

248

1
2
3
4
5
6
7
8
9
10
11
12
13
14
15
16
17
18

3
25-247

UNIVERSITARIA

Biblioteca Universitaria
GRANADA

BIBLIOTECA HOSPITAL REAL
GRANADA
Sala: A
Estante: 4
Numero: 409

1151 Del. Col. de la Comp. de Hist. de Soran. 1151

HISTORIA, ^{R 3869}

RVM DE DIVIS TAM

VETERIS QVAM NOVI TESTA-

MENTI TEMPORE CELEBERRI-

MIS, OMNI MYTHOLOGIA LIBE-

RE RESECTA, LIBER VNVS.



Accessit Tuba Gratiae, per
CHRISTVM facta,

Et Paedagogiae Christianae initium,
una cum nonnul-
lis alijs.

PER GEORGIVM WICELIVM
SENIOREM.

Cum Indice locupletissimo.

BASILEAE, ANNO
M.D. LVII.



REVERENDISSIMO

IN CHRISTO PATRI ET

DOMINO D. DANIELI, EC-


clesiæ Maguntinensis Archiepiscopo, ac

eidem Illustriss. Rom. Imperij Ele-

ctori, atq; Archicancell. Prin-

cipi, dominoq; colendis.

S. P. D.



Nisi non fui nescius, quid plurimi ex eruditorū etiā cœtu, quum primū aggrederer opus isthuc, secū animo reputarint, adeoq; sine dissimulatione affirmarint, quippe me moliri non minus arduum, quā audax facinus, à quo nimirum tentato, periculoq; intellecto abhorruissent doctissimi quicq; nec quid huic nostræ tempestati rerum eiusmodi gloriosæ contemptrici, minus convenire: attamen in eo quod mecum semel destinaram, immotus perstiti, hucq; nunc cœpta qualiacunq; perduxisse me confido, ut omnium tam benevolentium, quā æmulatorum cogitationes facile vincam. Certe multis eripuero, quod me tuebant cœptis, idq; animo neutiquam inimico, præterquā quod tot orthodoxorum

atque Ecclesiasticorum hominū undiquaque
 grauissimum fecero. Equidem nullo alio
 consilio ad id operis initio animum appu-
 li, nisi ut Ecclesiam Patrum, quam amare ac
 mirari uehementiss. coeperam, honore ali-
 quo prosequerem simul, & illam unam me
 communionem Sanctorum, fide minimè
 ficta credere publicitus contestarer. Putaui
 decere Christianū, ut synchristianos, quo-
 cunque tandem id fiat modo, ueneretur.
 Antiquioris Ecclesiæ cum prædicationem,
 tum obseruationem, quod quidem potui,
 & quātum licuit, fratribus per Germaniam
 nostram dilectissimis patefeci. Reliquum
 erat, ut eiusdem Ecclesiæ præclarissima ge-
 sta commendarentur pijs mentibus. Nec
 unquam me ut pœniteat, fore spero, quod
 amicis & domesticis Dei, hoc est, Sanctis
 Ecclesiæ hunc proprium laborem dedi. Vi-
 di pariter ac dolui, è nostrorum hominum
 memoria indignissimis modis eiectos, &
 ceu sepultos delitescere, per quos diuina
 Maiestas primū, tam ab orbe condito,
 quā redempto, sui notitiam atq; uolun-
 tatem manifestauit mortalibus, per quos
 ædidi innumerabilia miracula, omnipo-
 tentiæ suæ propalā declaranda, per quos
 pereuntis mundi tenebras illuminauit, per
 quos

quos mentium morbos sanauit, per quos
 miserabiliter errantes populos in uiam re-
 duxit: per quos deniq; omnem prioris Adæ
 calamitatem imminuit. Pròh pie Iesu, in-
 quam, Itane obliuione tam profunda da-
 mnati sunt homines Christiani inter Chri-
 stianos? Nullane illorum ratio, qui diuini-
 tus electi, nos eò præcesserunt, quò nemo
 non tendit? Archæologiam, & gentilium
 nomina semper in ore tantum habebimus,
 nunquam ne diuorum etiam nostrorum?
 Leguntur cupidissimè uitæ Plutarchi, uitæ
 Suetonij, uitæ Laërtij: ita enim uocant hi-
 storias, quas autores illi in paganitatis glo-
 riam descripserunt. Vix quisquam hodie
 ignorat Herodotum de Homero, Q. Cur-
 tium de Alexandro, Xenophontem de Cy-
 ro, & nescio quem historiographum de
 Phrygio fabulatore: solos sanctos Dei in-
 crassiss. ignorantiae caligine sopitos esse si-
 nimus, non secus ac si illorum memoria ni-
 hil ad nos pertineret, & essemus, qui quon-
 dam fuimus, ethnici. Atqui Christianif-
 mus noster, turpe dictu sit, si habeat suis de
 uiris illustribus nihil, atque solus eo careat,
 quo tument superbæ gentes. Tametsi præ-
 optarim, ut extaret rerū Ecclesiæ gestarum
 syncerissimus pronunciator, sicut de Thu-

cydide Cicero scribit: & quem unum promilibus obijcere Antagis liceat. Certè tradunt Fabianum episcop. Rom. septem notarios, cum uiueret, ordinasse, qui gesta S. Martyrum conscriberent. Atque idem Antherum præcessorem huius factitasse, Bartholomæus Platina testatur. Præter hos ipsi etiam sanctissimi doctissimiq; Episcopi uitas Patrum descripserunt. Nam Athanasius Antonium nobis dedit teste etiam Nazanzeno, Leontius Cyprus Eleemosynarium illum Ioannem, Amphilogius Basilium, quem tamen syncerius depictum continet monodia illa celebratissima. Euagrius item patres aliquot cecinit, & Gregorius Magnus Benedictum, Paulinum Nolanum, Sabinum Camislinū, Casium Narniensem, Frigidianum, Cerbonium, & complures alios scripto suo dignatus est. Reperi in codice peruetusto, quendam item Abdiam episcopum de Apostolis scripsisse: uerba mihi reperta subiungam: Scripsit autem gesta S. Apostolorum Abdias Episcopus Babylonie, qui ab ipsis Apostolis ordinatus, sermone Hebræo, quæ omnia à discipulo eiusdem Abdiæ, cui nomen Eutropius, in Græcum translata sunt, quæ uniuersa nihilominus ab Aphricano decem libris descripta

scripta, &c. Verùm scripsit, præter alios Ecclesiasticos historiographos, Eusebius etiam noster librum, cui titulum fecerat, De antiquis martyribus. Idem Eusebius in Chronicis citat Historicos Religionis nostræ Clementem, & Aphricanum, quem alibi appellat, Scriptorem temporum seu Chronographon. Is tempore Imp. Heliogab. uixisse legitur. Quin ipse etiam Euseb. de id genus Scriptoribus ait quodam loco: Polycarpus & Pionius Martyrium fecerunt, quorum passiones descriptæ quoq; feruntur. Idem alibi Euseb. Plurimi, inquit in Gallia gloriose ob Christi nomen interfecti, quorum certamina usque in præsentem diem condita libris perseverant. Hæc Eusebius. Præterea Egesippus, præter alia, uitã Iacobi fratris Domini connotauit: quam eandem clemens Alexãdr. exarasse legitur. Adeoq; lego citari Egesippum, ut qui scripserit historiam Ecclesiasticorum actuum à passione Domini, usq; ad sua tempora. Iam uerò ut huiusmodi nostris sæculis desiderare cogimur, ita scriptas scimus, nec habemus Epistolas Vienensium atq; Lugdunensium ad Asiaticos & Phrygas de gestis martyrū. Et Dionysij epistolam ad Flavianum, de Alexandrinis martyribus. Nicephorus pa-

lām fatetur Christianam historiam in triginta sex libris descriptam fuisse à Philippo presbytero, ut nullus memorem de sanctis quoq; compluribus historias texuisse quatuor illos, ex Latinis Hieronymū, Ambrosium, Augustinum, & Gregorium. His adiunge Seuerum Sulpitium, Paulum Diaconum, Gennadium, Bedam, & horum con similes. Nam inter ueteres connumeremne an uerò secus Heraclidem, Arabianum, Virardum, Adonium, seu Adonem, planè dubito. Raphael Volaterranus subinde allegat Eunapium quendam, è quo excerpterit nonnihil in Anthropologiae suae libris. Sigibertum ac Vsuardum, à quibusdā multoties citatum, esse neotericum, uel è nominibus liquere arbitror. Quo fit, ut non ita magni momenti apud nos Gelasij esse possit opinio, qua negat certa nomina eorum sciri, qui scripserint Sanctorum historias. Illud haud inficior, nempe saeculis proximis segniores æquo in celebrandis Sanctorum actis fuisse maiores nostros: id quod & Albertus Krantz Hamburgensis conqueritur. Nam Martyrologia manuscripta, quae in Canonicis templis quotidiana lectione uersantur, antiquitatem præ se ferunt, tam historiae fide, quam uenustate styli. Circumfertur

fertur quidem martyrologium formulis nuper excusum, sed manuscriptum mire diuersum. Extra hæc, quae ego sciam esse uetustū in hoc argumenti genere, codices illi Fuldenfis Bibliothecae sunt, è quibus sex ingentia uolumina composuit Ruggerus, pietate atq; doctrina præstantissimus monachus montis sanctae Mariae, sub abbate Marquardo, anno humanae salutis restitutae millesimo ceteresimo quinquagesimo sexto. Vix credam ullibi talem latere thesaurum meliorum ac uetustiorum codicum. Et propè adducor, ut quod A. Gellius de Fabij annalibus, Libri, inquit, bonae atq; syncerae uetustatis, id ego de libris Bonifacianae bibliothecae dicam. Continentur hic uaria Sanctorum Passionalia, & insigne quoddam Martyrologium, hirtio intectum corio, quo libro nihil augustius. Ante Ruggerū hunc diligentiss. scriptorem, sudarat in eodem lucubrandi stadio Aruodulphus cœnobita facundissimus, hsdem ferè temporibus, aut non ita multo post, existimo, scripta fuisse de Sanctis duo illa uolumina Moguntiae in monte sancti Iacobi, qui mons olim, Speciosus, appellatus est, haud procul à uetustissima atq; famosissima pyramide uulgo dicta Eigelstein. Scripsit Ildo-

rus etiam Hispalensis Episcopus. uitas sanctorum martyrum aliquot, quemadmodum refert Platina. Post, ut ad recentiores descendam, extitit quidam Iacobus Voragini præsul Genuensis, qui uixit Anno millesimo ducentesimo nonagesimo. Verùm quid is præstiterit, uel cæco perspicuum sit. Longè melius Voragine de Ecclesia meritus est Petrus Lombardus, qui post Voraginem scriptitauit, multa mutuatus ad uerbum ex membranis ueterum: id quod conferenti inter se libros facile apparet. Mythologiæ ille impensius indulget, quam ob rem in tantum contemptum abiit apud omnes cordatos. Hac profecto Lombardica hæctenus nimium uisæ, seu abusæ potius cathedræ sunt, contemptis interim, aut certè neglectis sanctorum actis, quæ nobis Ecclesiastica historia, Eusebio Pamphilo auctore, offerebat in Christi gregem diuulganda. Nec uulgares passim bibliothecæ in monasterijs continent historicum quid de Sanctis, præter hanc unam Lombardicam, quæ cur auream uocët, demiror. Sub eosdem annos, ni fallor, consarcinauit Vincentius Beluacensis Speculum illud suum, qui ipse quoque compilator Voragini præferri meretur.

retur. Anno millesimo quadringsentesimo nonagesimo quarto scripsit Iacobus ille Philippus Pergamensis uitas Sanctarum, seu clararum uel illustrium foeminarum. Nec is quidem attulit aliud quàm quod ante se dictum ab alijs autoribus fuit. Tersiore stylo retexit Historias quasdam, & rem fauorabilem facere satagit Beatrici Aragoniæ reginæ: huic enim nuncupauit librum. His omnium nouissimus accessit, inter recentiores diligentior agiologus, Petrus de Natalibus præsul Equilinus, & ante hunc Petrus Calo Venetus. Pergratæ breuitati studuit Equilinus, & quàm minimum intexuit mythologiæ, quo commendatior eius apud nos fama est, Diuorum ille non chiliades, sed myriades enumerat: quod quidem de nullo huc usque compertum esse arbitror. Baptista Mantuanus obsequium (si quisquam alius inter neotericos) maximum, Ecclesiæ præstare poterat, nisi aliò inclinatus, id argumenti neglexisset. Sic enim promiserat in lib. 2. Calamitatum:

Si tranquilla quies, & tristibus ocia curis
 Libera me sinerent sanctos inuisere fontes,
 Et totos Heliconæ dies consumere circum,
 Prima salutiferi repetens exordia Christi,
 Ad

Ad suprema meum uenisset tēpora carmen,
Acta q̄ tentassem maiori singula uersu
Texere, et annales melioribus edere chartis

Et cūm contra poētas impudicē loquen-
tes intonans, ad hanc materiam istoshortatur,
his quidem uerbis:

Collige diuorum mores, & fortia facta
Inclyta martyriū bella rubentis habes,

Porro qui ex Breuiariorum Choralium
turbatissimis lacunis sanctorum mores cog-
noscere coguntur, nā isti bis miseri sunt. Ex
cussi ego uiginti plus minus uel Breuiaria di-
uersae dioceseos, aliudq̄ cum alio contuli,
sed difficile credas mihi, quanta in nonnullis
Cenagoria, ut dictionis barbarie nihil attingam,
nihilq̄ de librariorum mendis, quibus undiq̄
scatent Ecclesiasticae cantiones. Bona
Breuiariorum pars, quod quidem ad Le-
ctiones matutinas attinet, ex Lombardica de-
sumpta est, licet interdum uerbis paululum
immutatis, & diuersa de sanctis nonnun-
quam ingerunt nobis diuersa Breuiaria. Vnde
non imprudenter fecit, mea quidem sen-
tentia, Clemens pontifex Rom. adiuutus ope-
ra Francisci Quingnonij, quod historiolas
aliquot Sanctorū utriusq̄ sexus cum Chri-
sto in Paradiso conregnantium, succinctē
iuxta

iuxta & eruditē describi, inq̄ Romanum
Breuiarium inseri curarit, omnem calumni-
atoribus ansam amputans, qui fabulas, non
historias, in templis recitari clamitabant. Ip-
se quidem carptim degustatis plerisq̄ scrip-
tis, quotquot uidelicet ē multis bibliothecis
nancisci potui, ea congeffi tantum, inq̄ hanc
redegi farraginem, quæ neq̄ historiae fidem
excedant, neq̄ Euangelij uigorem laedant.
Suetonius Tranquillus scribit in Claudij ui-
ta, se aliquid magis ne prætermitteret refer-
re, quam quia uerum esse, aut uerissimile pu-
taret. Atqui ego, quæ hīc collegi, nisi maxima
ex parte uera & uerissimilia putarem es-
se, non referrem, uel repētē dispeream. Non
nitor Lombardica, non Scholastica, sed Ec-
clesiastica historia: hoc est, quam ueluti per
manus traditam acceperunt à ueteribus re-
centiores. Indubitatissimum enim fuerit,
posteros istos qualescunq̄, neque confinxif-
se Sanctos, qui non extiterint olim in uita,
neque de ijs historias, quarum cognitio ad
ipsum à maioribus non peruenerit. Prisco-
rum libris historialibus, quos ætatem no-
stram desiderare suprā dixi, proculdubio
probè usi sunt, qui uiciniores illorum tem-
poribus uixerunt. Et non uulgare historiae
ueritatis argumentum est, quod passim
mem-

membranei codices, uetustate propè modum detrìti, in locis diuersis, nec iisdem manuscripti seculis, usq; adeò inter se consentiunt. Atq; utinam antea mihi uiderè Vaticanam bibliothecam contigisset, aut si qua alia uetustior & locupletior Vaticana est. Spero tamen me hoc ausu Italos extimulaturum, ut quod ipse, librorum eam ad rem necessariorum indigens non infelicissimè cœpi, illi copia sua cõsumment. Nemo altius me, fateor, ad id operis exigendum minus aptus est: uerum igneus quidam amor, quo erga ecclesiam, seu omnium sanctorum panegyriam iam pridem ardeo, animum meum quiescere minime siuit: impulit uerò magis magisq; ad audendum, & tandem præualuit. Fidem profectò libet hìc ostendere, si minus eruditionem (quæ est nulla) licet ostentare. Accedat alius, qui me ostensa etiã fide superet, & perlibens cesserò locum. Nec enim gloriæ certamen cum ullo homine subibo, quippe qui Ecclesiæ gloriã suam uindico, sectæ detractam: ut interim non comminiscar à Catholicis, hac tempestate nostra grauiter afflictis, opus huiusmodi à paruitate mea crebris hortatibus extortum esse, quibus negare rem tam piã

sane

sane difficillimum fuit, nec nimis honestum. Equidem præstare non queo, si qua è Patrum uitis, à ueritate esse alieniora uidebuntur: aut si occurreret aliquid, quod in speciem appareat dissidere à communi doctrina. Ei certè, qui manum domini haud quaquam abbreviatam esse credit, & qui dictum illud Domini uerissimum esse iudicat: Illi uerò egressi prædicarunt ubiq; domino cooperante, & sermonem confirmante sequentibus signis: non is reclamabit huic nostro Hagiologio. An ideo fictum est, quod tota ubique ecclesia piè credit, quia tu mendaces sectarie, ac ore mendaci conspurcare labores communionem Sanctorum? Aut forsan ideo falsum esse putas, quia his temporibus non usuueniunt similia? Credere non uis in sanctis Dei, nisi quæ sub humanum sensum cadunt, & quæ coràm cernas in sanctis istis tuis scilicet. Quo errore grauissimo, immodica ipse tuæ professioni ignominiam paris. Finge existere iam Ecclesiam, seu Christianismon, qualis olim erat: finge in terris Sanctos uiuere, quales aliquot retro sæculis uixerunt: finge eo pacto feruere in templis ueram religionem, adeoq; ardere in omniũ pectoribus synceram pietatẽ

quem

quemadmodum primis Ecclesiae temporibus, & aperte infanias, si ademeris miracula nobis, ac tam insignem omnis supplicij atq; mortis contemptum. Nos atri tuo iudicio, quæ præsci autores super stupendis miraculis, per sanctos Christi testes potenter exhibitis, tradiderunt, non credimus solum, uerum etiã reueremur, ac proni adoramus in his præsentem Domini manum, factricem uidelicet talium uirtutum. Nicephorus monachus Græcus multa simul & insigniter admiranda miracula Sanctorum Ecclesiae nostræ in libro historiae suæ recenset, quæ cur reijcias, irrideasue, nullam afferre rationem poteris, nisi quod sunt eiusmodi prædicatu ridicula, creditu absurda, humanum deniq; intellectum respuentia: quasi uerò quicquam sit coram Deo uel difficile, uel impossibile, qui uirtutem altissimam suam exerere in membris suis solitus, glorificari inter gentes uoluit. Nec ego in ea sententia sum, ut mox ab Apostolorum ætate, uirtutes ac miracula desisse in Ecclesia Sanctorum existimem. Nam istuc qui asseuerant, uniuersam semel Ecclesiam pudefaciunt. Cæterum de pœnarum atrocitate quid obsecro, dicturi sumus Antagie? Crederes opinor, si istiusmodi in paganorum literis

teris lectitares: at de Sanctis, hoc est, contra tribus tuis propter baptismum & dominicam coenam, credere non potes eam, quam animi fortitudinem descripserunt sancti. Nihil addubitas de Græcorum atque Romanorum historijs, quantumlibet sæpenuerò incredibilibus: uerum eam gloriam Christo triumphanti, per corpora Sanctorum mortalia dare diffidis, nimirum ut fide dignum esse tibi persuadeas, per testacea Sanctorum uasa sapissime contritum fuisse Satanam. Noli quæso sanctos Ecclesiae primæ uæ à nostro ingenio & moribus æstimare. Tanta nostra est ignauia, tanta timiditas, quanta illorum uiguit cum strenuitate fortitudo. Ohe nostri cum illis similitudinem: sic, scilicet, canibus catuli similes: sic matribus hædi illi cœlestia tantum expetere, uerum hodie præter terrestria quaritari nihil planè comperio. Per calcatas ibant illi opes, nesciebant delicias, ridebant glorias: illud uerò contendebant unice in omni, ut lesit Christo, cui nomen dederant, & cui erant obstricti sacramento, fortissimè militarent, eicq; in tantum placerent, ut sanctissimos homines ob nullam aliam causam uel natos, uel renatos fuisse, asserere possis. Eos igitur orthodoxos non emori dolore nimio

b



mírurum est, qui facta diuorum maxima atq; summa, cum nostrę etatis illaudatissima conuersatione uel leuiter comparare parent. Heu nobis: Egressus est à filia Zion omnis decor eius. Sed ad querimóniam & lachrymas Hieremianas nolens digredior. Ergo non pium modò, uerũ etiam utile est, sibi quenquam Christianorum persuasum habere, Ecclesiam seruatoris nostri Opt. Max. temporibus multiplicis atq; sæuissimæ persecutionis, tam omnigenis miraculis, quam incõparabili magnanimitate mirabiliter clariuisse. Facit ea persuasio ad confirmandos ac stabiliendos credentium animos, præter quàm quòd iucunditatem nobis, Ecclesiæ filijs, parit, & gloriandi materiam præbet aduersum anteclesiasticos quosuis, lætitiæ isti suos, si quos habent, Sanctos, suaq; debuccinent egregia gesta: nos nostros, seu nostræ Ecclesiæ (quę ut una, ita sola est) sanctos decet quotidianis extollere laudibus, uoce styloq; plurimi facere, ceu uiuendi regulam proponere, adq; horum castissimos mores, nostræ uitæ corrigere uitia. Nostri Sancti ij sunt, quos prædicare è suggesto citra ruborem queas. Nostri sancti ij sunt, quibus à speciosissima uictoria, quam de inferorum oppresso regno reportarunt, triumphus magnifi-

gnificentissimus debeat. Nostri sancti ij sunt, in quos solos Apostolica lectio competat: Sancti per fidem uicerunt regna, operati sunt iustitiã, assequuti sunt promissiones, occluserunt ora leonum, extinxerunt uim ignis, effugerunt acies gladij, ualidi facti sunt ex imbecillitate, effecti sunt robusti in bello, incursiones auerterunt exterorũ. Mulieres acceperunt ex resurrectione mortuos suos. Alij uerò distenti sunt, aspernari redemptionem, ut potiolem sortirentur resurrectionem. Alij rursus ludibrijs & flagris explorati sunt, in super & uinculis & carcere, lapidati sunt, dissecti sunt, tentati sunt, occasione gladij occubuerunt: oberrarunt in ouillis et caprinis pellibus, destituti, pressi, afflicti, quibus indignus erat mundus: in desertis errantes & montibus, ac speluncis & cauernis terræ. Atq; omnes hi testimonium promeriti per fidem, non acceperant promissionem, quòd deus de nobis melius quiddam prouiderat, ne sine nobis consummarentur. Proinde nos quoq; cùm tanta septi simus nube testium, deposito onere omni, & tenaciter inhærente peccato, per tolerantiam curramus in proposito nobis certamine, respicientes ad fidei Ducem & consummatorem Iesum, qui pro proposito sibi gaudio,

gaudio, pertulit crucem, ignominia contempta, & ad dexteram throni dei confedit, Hactenus Paulina retulimus. Excellentissimus concionator Gregorius Nazanzenus illud perquam familiare habet, ut in sermonibus suis nostros Sanctos, quam potest maxime ferat praeconijs: & cum laudat Sanctum Athanasium, ait se uirtutem laudare. Porro uirtutem laudans, se Deum ipsum laudare affirmat. Verum ipsius Gregorij uerba haec sunt: Αθανασιο μὲ παινῶμ, ἀρετῶν ἐπαινέσομαι, τῶν τὸν γὰρ ἐκείνου τε εἶπεν καὶ ἀρετῶν ἐπαινέσαι, ὅτι πᾶσαι γὰρ ἐαυτῶ συλλαβῶν ἔχω τὴν ἀρετῶν, ἢ τὸ γὰρ ἀληθές εἶπον εἶπεν ἔχει, θεῶν γὰρ ξῶσι πάντες οἱ κατὰ θεὸν ξήσαντες. Mox in hunc modum: ἀρετῶν δὲ ἐπαινῶμ, θεῶν ἐπαινέσομαι, πᾶρ οὐ τοῖς ἀνθρώποις ἢ ἀρετῆ. Praeterea Ecclesiastes hic eximius, hoc quod in reliqua Sermonis huius parte de S. Athanasio encomiastice scribit, ad omnium Sanctorum laudem non pertinere non potest. Qui Athanasium defunctum ob merita (Dei dona) in corpore mortis huius declarata ita praedicat, nae is alios quoque Sanctos ob eadem, aut his proxima praedicaturus fuerat, si uel omnes aequenouisset, uel omnium attigisset aetatem. Quin igitur laudes huius sancti, aut potius sanctorum omnium laudes in hoc Sancto, ipso sermone

moci-

mocinante Gregorio patienter audimus. Aduocat principio cunctos omnis aetatis, conditionis, ordinis & sexus homines, & hortatur ad laudandum Athanasium, quem omnibus omnia facit argutissimè: ὁ μὲν ἐπαινείτω τὸ γὰρ νηστίας καὶ πειθοδουχῆς, ὡς ἀσώματόν τε καὶ αἴθλομ, ὁ δὲ τὸ γὰρ ἀγρυπνίας τε καὶ ψαλμοδίας θυφύνομτε καὶ ἀθήητομ, ἀλλὰ τὸ γὰρ πειρασία τῶν δειομύλων, ἀλλὰ τὴν πρὸς τὸ ὑπερέχον ἀντητυπία, ἢ πρὸς τὸ ταπεινὸμ συγκατάβασιμ, καὶ παρθένοι τὸμ νυμφολόγῳ, καὶ ὑπὸ ξυγῶν τὸμ σωφρονιστῶν, οἱ τὴν ἐρημίας τὸμ πτέρωτῆμ, οἱ τὴν ὑδιμίξίας τὸμ νομοθέτῶν, οἱ τὴν ἀπλότητ τὸμ ὀδολόγῳ, οἱ τὴν θεωρίας τὸμ θεολόγῳ, οἱ γὰρ θυθυμίας τὸμ χαλίνου, οἱ γὰρ συμφοραῖς τὴν παρακλησιμ, τὴν βακτηρίαμ ἢ πολία, τὴν παιδιαγωγίαμ ἢ νεότης, ἢ παρῆς τὸμ ποριστῶν, ἢ θυπορία τὸμ οἰνόνομομ, δοκασίμοι καὶ χῆραι τὸμ πτωχῶν ἐπαίνεσθαι, καὶ ὀρφανοὶ τὸμ πατέρεσ, καὶ πτωχοὶ τὸμ φιλόπρωχῳ, καὶ τὸμ φιλόξενου οἱ ξηνοὶ καὶ ἀδελφοὶ τὸμ φιλοδελφου, οἱ νοσῶντες τὸμ ἰατροῦ, οἱ ὑγιαίνοντες τὸμ φύλακας τὴν ὑγείας, & cætera. Magna quidem laus haec Sanctorum: sed hac longe maiorem meretur Christi spiritus sanctus, qui ex se se effecit, ut homines isti non solum essent Sancti, uerum etiam ut sanctam uitam in non sancto mundo ducerent. Proinde uel spiritus sancti nomine laudandi sancti ho-

b 3

mines sunt, horumque memoria solenni ritu colenda. Nazanzenus in Oratione de sancto Cypriano, inquit, se oblectari martyrum honoribus, & agonizantium exultare sanguine: denique eorundem memoria releuari. Quem pietatis affectum, reor, quotquot amici Euangelio sunt, perpetuum habere. Solebant olim celebrari Sancti & Martyres in Christo mortui Christiani inter ipsas exequias, partim ut sanctissimis illorum factis honos haberetur, partim ut qui è fraternitate Christiana superstites erant, incenderentur ad consimilem uiuendi formam, atque iuxta anhelarent ad consummationem illam perbeatam. Sic enim tradit Dionysius ille Areopagita in libro Ecclesiastica Hierarchia: *ἔτα τῶν λειτουργῶν ὁ πρῶτος ἀπολλύει τοὺς κατηκουμβλούς, καὶ ἀνακκρύπτει τοὺς ἡδὴ λεκομυμβλούς ἁγίους, μετ' ὧν ἄξιοι τῶν ἀρετῶν τελειωθῆναι τῆς ὁμοταγούσης ἀναρρήσεως, καὶ πρῶτρεπέταται πῶντας αὐτῶν σαὶ τε γὰρ χριστῶ μακαρίαν τελείωσιν.* Quid? Nunquid gentilitas laudare uirosegregios, & iactare solebat? Præter alia multa eius rei testimonia suffecerit Portij Romani, in declamatione contra seditiosum ciuem, cuius hæc est sententia: Nihil statuimus animo dignius, nec autoritate maiorum, nec opinio-

ne po=

ne populari, quàm in eo genere uersari forensis exercitationis, quæ canere laudes egregias summorum hominum posset, atque animos inflare nostræ ciuitatis ad imitandum. Hæc quidem ille. Equidem ex Hieronymo nostro liquet, morè antiquitus etiam fuisse, recitandorum in Ecclesiis diuorum nominum. Sic enim ille contra Ruffinum, carceres & exilia iactitantem: Prodat, inquit, nobis confessionis suæ acta, quæ huc usque nesciuimus, ut inter alios Alexandria martyres, huius quoque gesta recitemus, &c. Cupimus autem omnes nos, eò uenire, quò Sancti atque adeò summi illi homines peruenunt: at non omnes æque uia eadem delectat. Bonorum operum labores delicatulos nos potissimum absterrent à summi boni fructu. Quæ maior inter mortales infamia haud quaquam esse potest. Oblatam felicitatem refugimus, propter pauca facta, quæ à fidelibus seruis suis redemptor iure suo requirit. Volumus in cælum repente ab obitu rapiri: sed interea uoluntatem patris, qui est in cælis, facere detrectamus, sufficere putantes: Domine, domine: Credo, credo. Quin igitur, dum tempus est, dumque sapientia fores nostras pulsat, resipiscimus,

b 4

& primùm perspecto archetypo Christo seruatore, oculos uertimus ad exemplaria gregis, hoc est, sanctos episcopos ac martyres qui nobiscum Christi eiusdem seruatoris uicium, æternumq; corpus sunt. Laudemus uiros illos gloriosos, ac decantemus ipsorum opera bona, ut per ea is glorificetur demum, quo authore facta sunt omnia opera bona. Quid? Ethnici ethnicos ab obitu uexerunt laudibus, & tale Christiani erga Christianos non factitent? Cuius rei testimonium apud Platonē habes, & hoc apud Pindarum in Isthmijs: Qui (inquit) ex heroibus insignes bellatores fuerūt, uel post mortem encomia consequuti sunt. Nam celebrantur & citharis, & sonoris tibiariū concentibus. Hæc Pindarus. Verum à laude statim progrediamur ad laudatorum uirorum imitationem, ne in nos quoq; quadrare posse uideatur, quod de Demosthene Plutarchus scripsit, Nimirum illum maiorum facta laudare potuisse, sed nequaquam imitari. Legamus uitas Sanctorum tam publicè, quàm domesticè, sed lectis etiam utamur, utpote cuius rei gratia, & descripta omnia istiusmodi sunt, & à nobis congesta. Dices: da mihi quàm breuissimè depictas diuorum omnium uitas. Nam & Suetonius uitas suorum

rum Cæsarum in calce breuiter perstringere solet: & Plinius Nouocomensis sui auunculi uitam in epistolis ad Marcū & Tacitum suum paucis comprehendit. Marcus item Cicero suam ipsius conuersationem, seu diurna gesta, ad Papyrium delíneat: Hæc, inquit, uita nostra: mane salutamus domi, & bonos uiros multos, sed tristes, & hos lætos uictores, qui me quidem perofficiose & peramanter obseruant. Vbi salutarario defluxit, literis me inuoluo, aut scribo, aut lego: ueniunt etiam qui me audiunt, quasi doctum hominem, quia paulò sum, quàm ipsi doctior. Inde corpori omne tempus datur. Patriam eluxi iam & grauius & diutius, quàm ulla mater unicum filium. Et Valerius Martialis suam quoq; uitam hisce adumbrat uersibus:

*Rui e morans quid agam, respondeo pauca rogatus.
Luce deos oro, famulo post arua reuiso,
Partibus atq; mei iustos indico labores.
Inde lego, Phœbumq; cio, Musamq; laceffo.
Hinc oleo corpus frico, molliq; palestra
Stringo libens, animo gaudens, ac scenore libenter,
Pondero potio, cano, ludo, lauo, cceno, quiesco,
Dum paruus lychnus modicum consumit oliui,
Hæc dat nocturnis nos lucubrata Camœnis.*

Verum heus pie uir, quod tempestiue pe-

tis, præstare non grauabor. Accipe ergo hunc diuorum typum uerbis quàm paucissimis: Sancti, iam beati homines ex hoc seculo nequam per Euangelium erepti, in regnum cœlorum per gratiã collocati, spiritu Dei induti, nouos in homines transformati, per regenerationem filij Dei facti, tanquã luminaria in mundi tenebris luxerunt. Fuerunt illi uerò per omnem uitam pauperes tam spiritu, quàm carne, lugentes, mites, esuriẽtes sitientesq; iustitiam, misericordes, mundo corde, pacifici, paciẽtes, Matth. 5. Nec non uigilantes, sobrii, modesti, hospitales: non uinolenti, nõ percussores, non turpis lucri cupidi, non iracundi, non præfracti, sed æqui, alieni à pugnis, alieni ab auaritia, bonarum rerum studiosi, iusti, piij. Euangelicæ doctrinæ tenaces, Timot. 2. Tit. 1. Præterea pleni fide, spe, charitate, gaudio spiritus, pace, benignitate, bonitate, temperantia, Galat. 5. ijs semper intenti, quęcunq; honesta sunt, quęcunq; iusta, quęcunq; pura, quęcunq; accommoda, quęcunq; boni nominis, si qua uirtus, si qua laus. Philipp. 4. En habes uitas Sanctorum. Iam uerò beatũ, beatamq; huius uitam prædicamus in hunc modum. Beati omnes qui timent Dominũ, qui immaculati ambulant in uis eius, non
in con-

in consilio impiorum, nec stant in uia peccatorum, nec in cathedra derisorum sedent: in lege uerò domini beneplacitum eorum, in qua meditatur die ac nocte. Ingressũtur irreprehensi, & operantur iustitiam. Nec id solum, uerum etiam loquuntur ueritatem e corde suo: Non agunt dolum in lingua sua: Non faciunt proximo suo malum: Non opprobant, negligunt improbos: dominum uerò timentes colunt: tenent id alteri, quod promittunt, pecuniam suam ad usuram non dant. Nec munus contra innocentem accipiunt: dispersunt, dant pauperibus, intelligunt super egenum, commouentur super contritione Ioseph, uxorem proximi sui non uiolant, neminem contristant, pignus domi non retinent, nudum operiunt uestimento, à pauperis iniuria manum auertunt, dimittunt eos, qui contra facti sunt liberos, & omne onus disruptum, tremunt sermones dei, &c. Hæc uerba sacre Scripturæ tantum sunt. Superest, ut quotquot Acta diuorũ uel scribimus uel legimus, de imitãdo cogitemus, uirtute diuina, non humana, ut quò illi, nos quoq; perueniamus. In Christo Iesu domino nostro. Etsi autem opus istud qualecũq; olim R. Archiepiscopo nostro Adalberto, fuerit dedicatum, & ab illo pergrato animo ac-

mo acceptum, tamen quando res ita fuerit, non dubitavi successori huius secundo nuncupare librum ita eundem, ut plane diuersus uideri queat, si quæ uel addita, uel adempta, uel castigata etiam sunt, spectes. Eapropter clarissimè princeps Daniel, non minus inter Archiepiscopos Ecclesiæ, quam inter electores Rom. Imperij prime, demissè oro, ut R. V. C. pro sua erga Deum pietate, deinde pro sua illa erga homines humanitate, postremò pro sua erga Ecclesiasticas res cura atq; desiderio hanc meam operam haud secus interpretetur, quam isthæc ab animo meo proficiscitur, id quod fecit olim & Adalbertus, & ante biennium Sebastianus. Honorem hunc huic Sedi debeo, amplio rem habiturus, si quid amplius suppeteret. Hoc ipsum uerò, quod in præfens exhibetur, religioni prouehendæ conducit, atq; ob id ecclesiastico præfule, qui accipiat legatue dignius. Ecclesia concuti atq; conuelli nostris hisce funestis annis nõdum desistit, quo seuerius insistendum erat operi domini, & maiore sollicitudine uigilandum, ne quod nostra supinitate labefactari passim coepit, in deterius corruat. Experti etiã atq; etiam sumus, quanta zizaniorum uis, dormientibus hominibus, in agrum Dominicũ super-

superfeminata à Malo sit, quẽ Malum Clemens Alexand. scitè Sophistam improbum uocat. Quo uehemētius ad laborandũ, ut rebus afflictis succurratur, equidem ita infanabilis plaga & fractura nõ est apud Prophetã Hieremiam, ut curari nõ possit, nec rubigo usq; adeò adhæret ollæ, apud Ezechielẽ, ut inde defricari nunquã queat, si Antistitum modò pectora flagrarent amore medendi. Quod si cessabitur in posterũ, quã uereor ne *χάλλκος ἀρης* per Philostasios suos, una impressione conturbet Eous partes Hesperiasq; simul, & cõculcet omnia inter hæc R. V. C. operi dominico, ut nõ est defutura, ita pro sapientia sua comitetur, ne *ἡ ἠσυχία*, quã Pindarus Iustitiæ filiũ ac urbiũ seruatricẽ rectè appellat, in Germania nostra disiciatur. Id qd̄ facilius citiusq; successurũ erat, ubi ueluti diuino iudicio, hoc est, planè Danielico, R. V. C. adducta, illud Græci poëtæ sibi sequendum proposuerit: *χρησάσι δὲ ἄρα μὲτρον*, sicq; clauum Ecclesiasticæ nauis gubernãdo tenuerit, ut bonus famæ suæ odor in omnem usq; posteritatem duret. Benè ualeat R. V. C. & Christo Seruatori Opt. Max. commendata, me meosq; labores firmãdo Christianis. cõmendatos sibi quã diligentissimè ac semper habeat. Anno 1557. Ge. Vic. Se.

Quoniam ferè nostris temporibus defunt, qui ut ad-
monet sanctus Petrus, *τύποι* gregis Christiani sint,
quosq; tutò sequi possis: placuit ueterum, & eo-
rundem optimorum exempla, ceu *ἀποδείξεις* quoddam, in
usum proponere. Quæ tametsi in ipsis suis Biblijs melius le-
guntur, attamen non paulò iucundius est, suo in choro &
collectos solosq; intueri sanctos illos homines, amicos, do-
mesticosq; Dei, ita ut in promptu habeas, quid de quo pa-
triarcha, Rege, aut Propheta tradiderint sacra Biblia. Atq;
illi omnino digni sunt, qui multorum etiam literis celebren-
tur, atq; adeò gaudent ad imitationem exponi, uelut hono-
re eximio. Fuère illi templa uasq; spiritus sancti. Ad huius
modi nos ipsos exigamus, qui esse eadem & nobis uide-
mur. Horum conciuues nos Apostolus uocat alicubi fratres.
Et sunt iidem non doctores modò, sed & factores. Nec in-
dicarunt solum uiam Dei, uerum etiam ipsi calcarunt. Con-
cedamus interim sua Romanis, sua item Græcis exempla:
nos priscos illos exuscitados contemplemur, nosq; in
illis suspirantes & clamantes, donec, si non
pares, saltem proximos illis faciat ac
formet nos suo spiritu Deus.
Cui uni laus.

PHILIP. III.

Coimitatores mei estote fratres, & considerate eos
qui sic ambulant, quemadmodum formam
habetis nostram.

Iesus Christus fili⁹ dei & hominis, seruator
mūdi, rex cœli & terre, nō tātū rex Israël et
Ziō, lux mūdi, dñs dominātium, deus deorū,
princeps pacis, unigenit⁹ filius dei uiuī, pri-
mogenit⁹ omniū creaturarū, per quē creata
sunt omnia, & sine quo factū est nihil qđ fa-
ctū est: imago idē est & splēdor cœlestis pa-
tris sui, cui cōsubstāialis existit p omnia, hæ-
res uniuersorū: uerbū in p̄cipio apud deū,
in quo uita, de⁹ uer⁹ de deo uero: in ipso ple-
nitude diuinitatis, un⁹ cū patre, mediator dei
& hominū, caput ecclesiæ, corona sanctorū
omniū, sūm⁹ pon. fōs sapiētīę, typ⁹ factimo-
nię, magister ueritatis, petra iustitię, uia, ueri-
tas, iustitia, redēptio, resurrectio, agnus dei,
pastor bon⁹, p̄pheta magn⁹, ac potēs idē in
sermone et ope, reparator eternę salutis, p̄pi-
ciatio p peccatis, porta cœli, monarcha uisi-
biliū et inuisibiliū omniū, quē adorāt angeli
tremūt diaboli, archiatr⁹ utriusq; hominis,
architaumaturg⁹ sol⁹, mors mortis, domitor
infernī, uictor satanę, interfectoꝝ antichristi,
antiquator iudaismi, destructoꝝ ethnicismi,
iudex tā uiuorū q̄ mortuorū, lapis angula-
ris, suprem⁹ apex sacrię edificij, cardo uirtutū,
pulchritudo rerū, speciosus forma p̄ filijs ho-
minū, in cui⁹ uultū desiderāt angeli p̄spice-
re, refrigeriū aiarū nostrarū, consolatio gau-
diū et uoluptas nostra, legifer noster, doctor
noster. Generationē eius qs enarrabit; Laus
omniū sanctorū, huius Iesu Christi laus est.

Nec enim non laudatur & predicatur, quoties laudamus ac predicamus membra capitibus huius Iesu Christi, amicos dei, ciues coeli. Iesus Christus laudatur atque canitur in sanctis suis, & sancti laudantur per Christum suum. Iesum Christum laudo propter semetipsum, sanctos uero propter ipsum Christum. Iesum Christum igitur principem sanctorum omnium, alpha & omega, principio pono, citra quem nemo sanctus fuit, est, eritque. Verum expectas historiam Iesu Christi: Lege Mosen & prophetas, relege libros euangelistarum ac Apostolorum. Ibi depicta est utraque natiuitas Iesu Christi, quippe filij dei & Adae: deinde incomparabilia eiusdem unici, ueri, nostrique messis facta dictaque, omnia plusquam angelica, plusquam prophetica, plusquam regia. Postremo mors huius nostri ducis ignominiosa quidem sed quam mox subsecuta est reuiuiscetia gloriosissima. Totus terrarum orbis libros non caperet, qui de Iesu Christo sancto sanctorum, diuo diuorum, iusto iustorum, doctore doctorum conscribendi fuerat. Hunc uero Iesum Christum nouit, credit, diligit, colit, & sequitur ecclesia dei ab initio, per uniuersum orbem diffusa, quae est communio sanctorum dei felicissima, persuasa, se deum opt. max. deum unum, deum uiuum nosse, credere, diligere, colere ac sequi, cum hunc Iesum Christum cornu salutis nostrae, duce uerbo ipsius in ueritate nouit, credit, diligit, colit, et sequitur.

2

DIVORVM VETERIS TESTAMENTI HYPODEIG- MATA, AVTHORE GEORG. VICELIO SENIORE.

ADAM.



Adam est Paradiso uoluptatis e- *Gene. 1.*
mittitur, ut in sudore operetur
terram, de qua sumptus est. Igi-
tur Paradisus, hac in terra Ada-
miae posteritati interdicta est: o-
pus uero manuum praecipuum.
Paradisum in futuro seculo ex-
pectamus: de qua Dominus Lucae xxij. Hodie me-
cum eris in paradiso. Hic euntes imus, & in lachry-
mis seminamus, in exultatione messuri, Psalm. cxxv.
Porro quisque sibi contra superbiam saepe occinat il-
lud: Puluis es, & in puluerem reuerteris. Aut si ma-
lis cum Abrahamo אברהם אבי אברהם aduersus pleo- *Id est, quae*
nexam utere: Nudus uenisti, nudus abibis. Atque *sum puluis*
hic demum habes, quale sis τὸ πλάσμα inuicte Polyph- *et cinis.*
me, unam cum Ennacin socijs. Lutulentum genus est,
quod iactatis; aut si poetis mauultis credere, lapideum.

HEVA.

Perfert multiplices pressuras mater, idque non tam *Gene. 3.*
pregnans, quam pariens. Virum suum appetit, atque
ad hunc sese uertit, qui ipsi praesit. Afflictionem car-
nis habent huiusmodi. i. Corint. vij. Saluatur tamen
uxor puerpera, si manserit in fide ac dilectione, &
sanctificatione cum castitate. i. Timoth. ij. Recole Chri- *1. Cor. 7.*
stiane, Tempus breue est. Qui habet uxorem, sit tan-
quam non habeat.

HABEL.

Verrimam hostiam obtulit Deo Habel, fide, factisque *Gene. 4.*

A

iustus, & ore Dominico cōmēdatus. Vnde inuidians sibi cōsās, cruce glōrificatus est. Sed heus tu quoq; fidelis offer. At quid offeras? Dicam equidem: Primū remet, quantus es: mox cor contritum: deinde fructū labiorum: postremō substantiā in fratres dispersam, quæ res odorem præbebit bonæ fragrantia. Hoc factō, para collum. Tunc etenim gladio præbenda est candida ceruix. Subinde memoria repete: Vox sanguinis fratris tui, &c. Hoc est: Non impunē occidisti te meliorem fratricida. In auribus Domini Zebaoth istud, crede mihi, est.

Ibidem.

ENOS.

Gene. 4. **H**uius tempore palām cōpit inuocari nomen Domini: tu hunc sequere, credendo, prædicando, laudando, amando, ut sis ueri Adæ filius, cuius priscus ille transgressor typum gerit. Non nescis: Omnis qui inuocauerit nomen Domini, is saluus erit.

Ioc. 2.

ENOCH.

Gene. 5. **E**noch ambulauit cum Deo. Ouocem sacram, quæ augustius quiddā in sua lingua sonat. Vera factitas & iusticia hominis eo schemate significatur, adeoq; quicquid est, quod pietatem, siue religionem, item alicubi timorem dei, scriptura appellat. Necessē est igitur, uitę huius commodis parcissimē usum, & futuram, toto pectore, citra intermissionem, gemebundum exoptasse. Vnde sublatus ē peccatrice generatione, quā grauiter ferebat, gaudio inenarrabili in Paradiso ueræ uoluptatis in sempiternum fruitur.

NOAH.

Gene. 5. **I**n terra hac maledicta cōsolator siue recreator Noe est, sed eorū qui laboribus & oneribus premuntur. Matth. xj. Qui contendunt per strictum iter in hæreditatem promissam. Qui quotidie baiulāt sibi crucē, gementes domicilio, quod ē cælo est, superindui. Cæteri diluuiō ac igne æterno perdentur. Noah uir iustus est, & Thamim. Gen. vi. Nam & ipse ambulauit cum

Ist est, perfectus.

tum deo. Vide textum. Item iustus erat in generatione sua, cap. viij. Et ædificauit altare Domino, & sacrificauit, cap. viij. Iustus idem cum iustis numeratur, Ezech. xiiij. Fuit & iustitiæ præco, non iustus tantum. ij. Petri ij. Nisi ex animo & cōstanter credidisset, non apparasset arcam rebus adhuc secundis. Hebr. xj. Habes pietatem Noe erga Deum, nunc communem uitam accipe. Cōpit (ait textus) Noe esse uir agricola, & plantauit uineam, cap. ix. Labores enim manuum suarum comedit. Psalm. cxxvij. Tu quoq; incumbas, ut quietus sis, & agas res proprias, & operere manibus proprijs. j. Thess. iij. Lege ij. Thess. iij. Et tibi, non monachis tantū, dictum puta. Pudor ingenuus duorum filiorum huius, pædagogia studium declarat. Ca taclysmi subitam irruptionem de subito aduentu iudicis orbis expositam in Euangelio meditare.

ABRAHAM.

Huius uiri fides, pietas, obedientia, fortitudo, dilectio nunquam satis commendabitur, Quin textū audimus: Ædificauit Abraham altare Domino, & inuocauit ibi nomen eius. Ecce cultus Dei. Mox cap. xv. Credidit Abraham, &c. Ecce fidelē ac iustū corde, ore, opere. Accipit idem in mandatis a domino: Ambula coram me, & esto perfectus: quod Græci ἀλλοθ. Tale tibi præcipitur quoq; Deutero. xviij. Perfectus, id est, absq; macula, cum deo tuo eris. Item Matth. v. De Abrahamo Cyrus Theod. Sic ἡλιθα νινδρ πατρικῶ. Et de eodē: φιλοξενία ἡρεθῶθ, &c. Hæc hominis religio. Priuatā conuersationē, hoc est, ueræ religionis testimonium, ornat relicta patria, perpetua peregrinatio, tribulatio, apud ignotos tentatio, quam heroica fide uicit, philoxenia, precatio pro sterili regina, precatio fortis pro Sodomorum salute, libertas arguendi regem, iam attinet & hoc ad rem, quod laborat, plantans nemus. Nec fordus est, ut pote qui a rege Sodomorum nec calciamenti corrigiam accipere

Gene. 32.

A 2

uelit. Emit liberaliter, sicut & Dauid ab Areuna, honorat alios, &c. Propheta idem dicitur, cap. xx. Patriarcha, Hebr. vij. Homo, cuius nemo similis inueniatur. Eccl. xliij. Typus est omnium credentium & peregrinantium in Ecclesia. Eapropter ad hunc respicere in Isaia iubemur, cap. ij. Quod ni, spiritu operante feceris, sinu huius nunquam colligere. Si filius huius esse uis, ingredi uestigijs fidei huius. Ro. iij. Et declara fide, ut Zacchæus Luc. xix. Breuiter, filius Abrahæ, opera patris peragit. Ioan. viij.

SARA.

Gene. 19. **S** Aram allegat D. Petrus contra mūdum muliebrē, & ponit eandem in exemplum Christianis mulieribus, spei in Deo, subiectionis & obedientiæ erga maritos. Quemadmodum Sara, inquit, obediuit Abrahæ, dominum illum appellans: Comes peregrinationis sui uiri ac tribulationis omnis sociæ, fide profectō non caruit.

LOT.

L Ot Abrahæ nepos, Abrahæ fidem, obedientiam ac hospitalitatem imitatur, nobis imitandus. Compellit intrare ad se hospites, Dei angelos, ut eos lauet, cibet, reficiatq; adeoq; quos aduersus uolentiā uel filiarum suarū prostitutione, tueatur. Adq; illorum imperium, relictis omnibus fugit: is antea oppressus à nefarijs per libidinosam conuersationem. Et quoniam oculis & auribus iustus habitaret inter illos, quotidie animam iustam iniquis suis factis ex cruciabant. ij. Per. ij. Ridetur hodie, qui ob mæfacta Christianorum torquetur, cum ferè superent Sodomitas in superbia, crapula, abundantia, ocio, immiserordia. Ezech. xvj. Nec temerè queritur Ieremias: Maior effecta est, inquit, iniquitas filiarum populi mei peccato Sodomorum. *à per uonol rca Itali Sodomitæ soli non sunt, qui quotquot sunt, grauius iudicium expectent oportet, Matth. xj.* **C**aterum subuersio ista ciuitatum

ciuitatum *uidetur* est illorum, qui impiè forent acturi, sicut S. Petrus exponit. Idem Dominus in Euangelistis ad nostri *uideretur* trahit: Sicut, ait, accidit in diebus Lot, edebant, bibebant. &c. Ut nimirum in sanctis conuersationibus ac pietatibus expectemus aduentum diei Dei: utq; immaculati & incontaminati ab illo in pace reperiamur. Sic enim docet S. Petrus.

UXOR LOT.

M Emores estote uxoris Lot, dicit Dominus, Mat. xvj. Nemo qui manu sua admota aratro, respexerit à tergo, apertus est regno cælorum, Luc. xj. Exemplum S. Pauli hoc loco substituendum, lege Philip. iij. Atq; illud imitari nos uult, ut ibidem legis. Obluiscere patriæ tuæ, & dic patri ac matri: Nescio uos. & fratribus: Ignoro uos. Deut. ult. Ægypto ac Babyloni, hoc est, mūdo huic ualedicamus, nec illuc redeamus, nec cum eo damnemur, & pereamus.

ABRAHAE SERVVS.

F Orma piorum seruorum, si quibus datum est. *Gene. 24.* **F** mo ille religiose precatur, credit, gratias agit. In heri sui negotio sollicitus, prudens ac fidus est, postponens officio patinas. Obserua item, quàm sit idem in orando apud Syros illos diligens & disertus, quàm uerax, quàm simplex. Ablegatus reditum maturat. *Gene. 22.* Verè dixit Salomon: Sapiens seruus regis beneplacitum est. Et Sirach: Si est tibi seruus fidelis, sit tibi quasi anima tua.

ISAAC.

B enedicti seminis typus, in quo benedicendæ erant omnes familie gentiū. Filius promissionis uerius quàm carnis, genitus ex deo, &c. Quæ generatio risū facit filijs generationis huius adulteræ. Puellus Isaac patri obediens fuit usq; ad mortem etiam, quæ sibi intentabatur. Patitur Ismaelem derisorem, siue, ut Paulus dicit, persequentem. Patitur Palestinorū simulta-

Id est, in disciplina et admonitione

res. Nec ulli dubiū, quin sanctus pater filiū tenellum in ualde uigilantia domini educarit, iuxta illud: Scio, ait Dominus, quod Abraham præcepit filiis suis, & domui suæ post se, ut custodiant uiam domini. Tandem illi uxor à deo prudens datur, Prouer. xix. Morem præterea peculiarem habuisse existimandus est, nimirū, quod rus deambulauit ad meditando siue orandum, cap. xxiii. Cuiusmodi Dauid in Ogdode sua sæpe dicit: Meditabor siue exercebor in statutis tuis. Et factus Paulus præcipit: Hæc meditare, in his esto. Signū est hoc inhabitatoris spiritus, qui sensus accorda ad sese suatq; rapit. Orat Isaac contra sterilitatem uxoris, & impetrat, paterno uidelicet exemplo edoctus. Vides ubiq; in patriarchis pietatem & honestatem. j. Timot. ij. Illud semel dictum sufficiat: nempe in somnis illo tempore reuelasse populo suam uoluntatem Deum, nunc uero idem facere in scripturis sanctis per doctorem spiritum. Itē illud: Nimirum naturam in sanctis non tacere scripturas. Abraham ridet grauidam anum, mortuam desit. Isaac adimit dolorem nouæ nuptæ amor, ludens nugarur cum uxore, uterq; timore adactus simulat. Iacob puellam iuniorē mirè amat, rei familiari studet: natu minorem filium præ ceteris tenerè senex adamat, cuius etiam in somnio iritatur, ueste sanguine resperfa luditur, mox uehementer luget in aduersione. Rebecca uiuere renuit, ni ex sententia succedat. Rahel inuidet sorori fecunditatem, & eludit patrē. Iosepho commouentur uiscera super fratribus, &c. In rege Dauide multi affectus. Quis enim huiusmodi omnes enumeret? Aliud: Noe, & post Iosephi ebrietas, Loti, & post Iudæ incestus, Abrahamæ cruenta manus, Iacobi in parando uictū calliditas (Si tamen hæc duo in peccatis numerari debent) Mosi, & post Dauidis homicidium, Aharonis murmur, Ionæ inobedientia, Iobi maledicentia, Dauidis successio, scortationes

Id est, non absq; lacrymis.

tationes Samsonis, Ruth nocturni concubitus captatio, & si qua sunt alia factorū hominū flagitia, pijs incautē labentibus medicina esse debent. Impij contra peccatores eiusmodi respuūt.

REBECCA.

UNA ex mulieribus quas S. Petrus sanctas ac sperantes in Deo scribit. Reperitur ea uirgo in labore. Querit lanam & linum, &c. Prouer. xxxj. Et perquam comes ac benigna: Bibe, ait ignoto Abrahamæ æcono- mo, domine mi. Hospitalis quoq; est, inuitās uirum. Parentibus assentit nuptura, & uolens tam patriam quam parentes derelinquit, ut marito suo adhæreat. Vide quam genuinus uirgunculæ pudor, quando se pallio obtegit. Vide pietatem mulieris, quando Dominum consuleret, non pythnicos, aut augures, Isa. viij. An non populus apud deum suum querat? Pe regrinatur cum marito suo in fide dei. Summa: Mulier est, qualem describit Apostolus j. Timo. ij.

IAACOB.

IAACOB uir integer, à fratre odio habitus, consilio matris solum uertit, ut uitam tueretur. Duriter peregrinans uixit, sed interim audit à domino: Ero custos tuus. Mirè pius adolescēs, quod uel ex cap. xxviii liquet. Nam erecto Bethel, orat, uouet, & deum præsentē sibi propitiumq; & credit & habet: ualde idem affabilis ac humanus erga populū orientālē. Seruit liberaliter uni hero xx. annos: diu noctuq; æstu ac gelu affligitur, uigilat, damnū hero facit: seruus qualē nimirū exigit Apostolus Ephes. vj. Coloss. ij. Tandē una atque altera uxore ducta, τῆ τειροθρονία studet. Per hunc enim δαδινάφουλυ γένος, ut Cyrus Theod. ait. Tale enim ad multiplicandam Abrahamianam sobolem attinebat. Nuptiale conuiuium Isaac, præter hoc in Aram factum, non legimus: ubi et Iacobo pro more gentis celebratum conuiuium legis: sicut & Simsoni apud Philistæos. Non ibi legis Germanicas

Gene. 23.

Gene. 27.

Gene. 28.

Id est, filiorum procreationi.

- nuptias, hoc est, diabolicas comestiones, cōpotationes, pompas, infanias, choreas, & planè dedecorosum Christiano nomini strepitū. Nota item, quā non sit amarulentus erga uxorem Iacob, Coloss. iij. **Gene. 30.** Sed ut Petrus admonet, secūdū scientiā eam tractat, cum potuisset eius importunitatem sauis uerbis retundere: Nunquid, ait, pro deo ego sum? Nec illud arbitror contemnendū, quanta uidelicet sedulitate infantulis nomina indiderint sancti parentes, tametsi parum referat, quocunq; appelleris nomine, modò Christum sequare. Vult Iacob & suæ etiam domui præesse, hoc est iuxta Pauli parænesim, operari propria. Hactenus seruierat. Sed potuit liber fieri, cur nō uteretur? Idem è uultu latentem soceri iram animaduertit: sed uide, ut illam iniustam arguat, ac sese purget. Audi fidem: Non, ait, dedit illi deus, ut male mecum ageret. Ibidem honestis rationibus exoptulat cum socero, & multa libertate aduersus ingratum in dicendo utitur. Ea est bonæ conscientiae fiducia: Rediens uir bonus obuium habet fratrem Esau, quem ex multo metu dominū suum uocat, & placat ferocem donis atq; uerborum facilitate. Obserua quā pie deo, non sibi aut operi suo, tam liberos, quā bona uendicet: Minor, inquit, sum cūctis misericordijs. Item: Benedictio, quam donauit mihi dominus, &c. **Gene. 35.** Item: Paruuli sunt, quos donauit mihi Dominus. Lucta illa diuina, summam uiri pietatem & iustitiam indicat simul & commendat. In uia orat, promissionis fide plenus, affigitur, tentatur, uincit. Illud admirandum, quòd pius uixit in medio gentis impiæ. Omnia sic loquitur, sicq; se per omnia gerit, ut concordiam cum fratre alat, eiusq; ferocitatem mitiget. Atq; hic uides, mollem sermonem iram frangere, Prouer. xv. Seruit deo in Suchoth, diues quidem pecoris, sed tamen pius. Hunc igitur imitemini, & diuitiæ nobis nihil oberunt. Diuites erga Deum fitis,

ris, Lucae. xij. Et diuites in bonis operibus. j. Timoth. vj. Displicet uiro iusto cædes Sichimorum. Tribulatio & angustia hic inuenerant eum. Iubet è medio auferri idola, & mundari, &c. Vbi claret, quā pie, quāq; paternæ suæ domui præferit. Perpetuò peregrinatur Dei populus, declarans se in terris locum manentem non habere. Et hoc in genere prætereundum non est, uidelicet, incolas ubique uidelicet, erga Hebræum populum benignos ac humanos sese exhibere, ut cap. xij. Ægyptij, cap. xx. Geraræ, cap. xxij. Hethæi, cap. xxiiij. Syrij, cap. xxxij. Sychemi, &c. Nobis tale præcipitur in Deuter. nec fecimus atque hoc Christiani.

IOSEPH.

N Arrat liberè diuina somnia, hoc est, Dei iudicia: **Gen. 37** suffert incredibilē fratrum inuidiā: nudatur, in la cum conijcitur non aperiens os suū, uenditur in exiliū. Sed o felix, quia Dominus cū eo. Ex exule ac famulo fit præpositus & æconomus regis. Cogita hic, quāta hominis fidelitas, quāta modestia, quāta bonitas, quātū denique deliciū sui generis. Cōtinētia adolescentis prodigiosa est, utpote quē tā ingens tentationis ignis incēdere nō ualuit. Hinc celebratur Iosephi *εὐνομίαν*: sicut e contra, *τὸ ἐν λυγρῶν ἀνεπιτοίαν* uituperatur. Tali dono donatū quoq; Paphnutiū quēdā et Narcissum tradūt, & cum primis diuā Cecilīā, & Agathā, quę sollicitatori Quintiano dixisse legitur: Mēs mea supra petram solidata est, uentus uerborum tuorum hīc nihil efficiet. Bellephoron & Hippolytus gentiles, hac in re Christianos nostri temporis antecēdit. Vera crux pijsimi iuxta ac castissimi iuuenis quòd in carcerem conijcitur, sed Deus cum eo in carcere. Papē quā gloriosum est, pati aliquem *ὡς χριστιανὸν*, hoc est, innocentem. His tamen malis cupit eripi Ioseph, sed ad uorum protinus non succedit: duos enim annos in lacu illo degere oportuit. Hac discipli

Id est, malefactor.

na est filiorum Dei. Pincerna interim *λεωνωδης* cum Barraba educitur. Tandem uir, in quo spiritus Dei est, uir intelligens et sapiens, ad summum honorem, quem non affectarat, euehitur. Gloriam enim ubiq; præcedit ignominia. Bone Deus, quàm admirabili prudentia, quàm salubri cõsilio regioni adest. Quis fatis explicet animi illius diuinitatem, morum conseruatam integritatem, summi in iuuando studium ac laborem: Non est oppressor pauperũ, nec exactor tyrannicus, sed saluator ac patronus, adeoq; *θεουορος* totius populi. Atque ita in publico se gerit: Priuatim ad pietatem exercetur, obliuiscitur populi sui. Et domus patris sui, grato animo beneficia à Deo datore accipit. Durius cum fratribus agit dissimulatur egregius. Porro sic debebat fieri. Odio aut uindictæ libidine nihil egisse existimandus est. *αδελφοι* fratres commeruerant iram, sed ipse condonat, sed flet, sed pecunias largitur Iosephi pietas. Item benignè excipit, refocillat benignius, tractat honorificè immeritos, consolatur, & exiliũ sui necessitatem per quàm comiter ipsè exponit. Usque adeo autem Deo plenus est Ioseph, ut nomen Dei non possit suis sermonibus non frequentissimè inferere, atque hoc reuerenter utiliterq; Deus, inquit, uester dedit uobis thesauros. Mox: Deus misereatur tui fili mi. Item: Deus me pro salute uestra misit in Ægyptum. Et iterũ: Dei uoluntate huc missus sum, non uestro consilio. Et, Deus fecit me dominũ uniuersæ regionis. Itẽ, Filij mei quos dedit mihi dominus. Item: Vos cogitastis de me malum, sed deus uertit illud in bonum. Atq; ira ex abundantia cordis os loquitur. Vtinam & nos talibus uerbis adsuuesceremus, & disceremus rectè nomine diuino uti. Magnum præterea honorandorũ parentum exemplum in Iosepho relucet, qui patrem senio confectum tam diligenter cum tota propagine accersit, & tam amanter aduenientes suscipit, instruit, curat, pascit,

Id est, naturali affectu carerentes.

Gen. 45.

Ibidem,

Ibidem.

pascit, pater uerius quàm filius Iacobi, quem uicissim alit, mortuum ritè sepelit, fratres metu liberat, solatur, recipit sese illorum necessitati non defuturum, loquitur super corda eorum, &c. Morem sepulturæ Ægyptiæ seruat, rem mediam uidelicet, tam in condendo se quàm patre. Nec prætermittenda est aliorũ fratrum erga parentè obedientia, erga Ægypti præfidem illum ignotũ humilitas ac reuerentia, pro fraterculo sollicitudo. Breuiter erga omnes exhibita honestas ciuilitasq;.

MOSES.

Infans etiamdũ impij regis tyrannidem experitur, Exod. 2. domino suo in hoc pulchrè adsimilatus, Matth. 17. Sed tamen perdere homo non potest, quem seruat deus. Exul idè est puer, adeoq; pupillus adoptatur. Vide quæ diuini uiri auspicia in hoc miseræ salum æditi. Adolescens supplicium effugit, et aduena fit sicut omnes patres eius, nec tamen Dei auxilio perpetuo destitutus. Pascit oues uir sanctus, atque in officio uidet auditq; Deum, sed non sine metu. Post, uocatur ad aliud munus, futurus ex pastore ouium, pastor hominum, sicuti S. Petrus ex pisciũ piscatore, hominum piscator. Munus aliquãtisper detrectat, non tam rei periculũ quàm suam paruitatè considerans. Gentis doctor à uocatione instituitur formaturq;, & audit primus ipse, quæ loquatur alijs, imò miraculis allicitur, & multa persuasione tantum non attrahitur, ut pareret ignominiam currentibus ultroq; captantibus publica munia. Magna Mofi laus à Græcis tribuitur, nisi fortè in præcipuis poni non debeat, *αγιος παρρησια, ητοι ουδενος παρρησια*. Cæterum prouinciam delegatam obiturus, salutato & consentiente socero, Ægyptum repetit, unã cũ uxore ac filijs. Partes suas apud regem strenuè libereq; peragit, sed iterum atque iterum ludit operam. Nam ita fieri debebat. Tandem expellitur à facie tyranni, crucis opprobrium

Gen. 30

Ibidem.

Ibidem.

Exod. 3

Ibidem.

Exo. 4.

Exod. 10. probrum amplectens, & audit: Aut abi, aut morere,
 Exod. 14. Quod prius ille facit, & in æstu iræ discedit. Hæc in
 15. Ægypto. In profectioe uir dei fide firmatus, popu-
 lum labascentem mirè surrigit, roboratq; Deo ex-
 ultabundus canit, populo cum sollicitudine præest, à
 domino petens, si qua necessaria populus efflagitas-
 set. Murmur indomitæ gentis perfert, nec tamen sine
 contestatione, quod id in iniuriam Dei cederet. Præ-
 terea urget ac sudat pretiosa anima, ut alijs bene ef-
 fet. Post obdurat ad rixas uulgi, qui murmura pertule-
 rar, idq; adeo, ut ad lapides propè res ueniret. Planè
 est domus Mari synagoga. Planè ij sūt, si qui alij, quos
 Propheta lōgo post tēpore salonim, sarabim & mor-
 rerim appellat. Quæ agnomina rectissimè intellexe-
 ris, ubi huiusmodi expēderis, nēpe: Forfan nō erant
 sepulchra in Ægypto. Item, Vtinā mortui essemus in
 Exod. 14. Ægypto, &c. Quis dabit nobis ad uescendū carnes?
 Exod. 16. recordamur piscium, &c. Constituamus nobis ducē,
 Numc. 11. & reuertamur in Ægyptum, &c. Cur fecisti nos exire
 de Ægypto? ut occideres nos, &c. Est ne dominus in
 nobis, an nō? Quæ tametsi extra institutū est referre,
 tamen quia inde notior nobis Mosi mansuetudo fit,
 prætermittere non debebā. Christiani nostræ ætatis
 tanto Hebræos hosce interuallo antecunt, quanto o-
 lim gētes in circuitu, Ezec. viij. Orat homo magnus,
 Exod. 14. & tacens clamat ad deum. Quid quod sublatis pal-
 Exod. 17. mis hostem fundit? Vide itē, quibus negociorū un-
 dis iactetur, inuoluaturq; quæ subeat, quæ perpe-
 riatur, ut bene præsit. Consilio quoquē soceri bar-
 bari pro temporis ratione obtemperat, excellens ali-
 Exod. 18. oqui in quauis scientia. Ad montem Sinai præmo-
 Exod. 19. net, suscipit deq; cursitat, narrat, contestatur, conso-
 latur, docet, sui nimirū officij satagens. In periculo
 rursus orat, ac sese ceu parietem diuino furori oppo-
 nit. O ualidam ualidæ fidei præcationem. Eam nos
 oraturi in nostris casibus imitemur. Quam indignè
 tert

fert infandum relapsi populi scelus, quàm disquiri,
 quàm irascitur, quàm grauitè cū seducto fratre ex-
 postulat: Deinde quanto ardore Deum orando con-
 ciliat: Bone Deus, quæ ista uox: Sin minus, dele me,
 &c. Quàm non nostri sanguinis, quàm non nostræ
 mentis ea est: Ad eundem modum optabat se pro ali-
 is deuotum S. Paulus. Nulla maior charitas est. Pro-
 xima Davidis: Reus, inquit, ego sum omnium ani-
 marum. Item, Domine Deus uertatur, quæso, in me
 manus tua. Obscurantur hîc Curtij & Decij unā cum
 Scipionibus. Vide quoquē, quàm diligenter doceat,
 quàm ad amussim præscribat, quàm probè singula
 instillet ac repetat Moses pro suæ ætatis ratione, mul-
 ta pro hocce nostro tempore. Non condemnat blas-
 phemum, priusquàm à Domino iuberetur. Quemad-
 modum alibi pollutos celebrare pasah nō permittit,
 nisi antea consulto Domino: sic agit cum collectore
 lignorum, & filiabus Salphat. Pius est in affiné Ho-
 bab Madianitem, nec facilè à se illum dimittit, nō tam
 sui quàm totius synagogæ causa, cui per eremum
 opus fore illius industria uidebat. Quo claret solici-
 tudo prouidentiaq; Christiani præsidis, uti uolen-
 tis etiam increduli opera in administrando. Verùm
 illo recusante, aliunde deus supplet, ne quid in Ecclē-
 sia desyderes. Nec reticendum, quibus angustijs se-
 ptus uir dei fuerit, quādo res omnis iterū esset incli-
 nata: ut interpellat, ut afflictor, ut sua de sorte que-
 ritur apud deum: Sed post, ea pastoris querela accusa-
 tum populum ualde pressit. Id quod nobis magno
 solatio fuerit. Māz impunè nō fastidire saturi, sicuti
 nec nostri homines. Et quis non miretur animū uiri
 huius ab omni inuidia alienissimum, quando Eldad
 & Medad prophetantes, contra contemptores non
 tueretur solum, sed & optat, ut nemo non diuino spiri-
 tu illustratus prophetet in eius gloriam, cuius res
 agitur. Sic apud Euangelistas dominus prohiberi ue-

Exod. 32.

Roma. 9.

1. Reg. 22.

2. Reg. 24.

Numc. 9.

Numc. 15.

Num. 27.

Num. 11.

Marc. 9.

Luc. 9.

Philip. 1.

ruit, qui eiiciebant demonia. Et Paulus Christum adnunciari quauis occasione gaudet. Audi aliã atq; aliã subinde optimi hominis afflictionẽ. Antea affligebatur à turba promiscua, nũc à supremis. Quã infestationem quomodo rulsset, ni eum & dextera dei suffulisset, & aluisset remunerationis æternæ spes: Neque enim uulgaris animi est, summam inuidiam iuxta ac maleuolentissimas pati obrectationes. Vnde scribitur ualde *Ani* fuisse, hoc est, qui humili deiectione spiritui iniuriam deuorare omnem potuerit, quod uirtutis Apostoli *μαρτυρία* dixere. Iam quia *μαρτύριον* erat, noluit calumniã ipse ulcisci, sed hoc fecit dominus, qui semper dicit, Mihi ultio: à quo laudatur contra Mosi fidelitas. Adhæc quod liquidius pateret Mosi mansuetudo, longanimitas & candor quidam, orat pro persecutore *ὁ ὄντας ἡμῶν*, & orat toto pectore. Id quod est uis ipsius uerbis melius intellexeris. Ira enim habet precatiuncula: Deus obsecro, sana eam. Omirandam *ἀδελφικῶς*. Sic alibi humi prouolutus sistit iram dei, nec cessat à clamore in ipsa etiam strage. Iterum à populi plane deplorati impio murmure afflictus, unã cum Aharone pronus in terram corruit, quippe non ferens sacrilegam uocem (grauiori enim uerbo uti non possum) Constituamus capitaneũ, & redeamus in Ægyptum. Quæ machæra, quod telum syncerissimæ ac fidelissimæ pectus immanius transfurberare unquam poterit: Neq; tamen minus post Deum illis propitium facit. Audimus uidemusq; & nos hodie non ita multũ disparia in nostro populo Christiano: ob quæ quantũ ego excoquar adedatq; dissimulatum quã confessum malo. Accedunt his nouæ illæ Cora turbæ aduersus uirũ iustũ. Cuius schismata, cenodoxia matre prognata, plurimũ nostris casibus solatij adferũt. Sed hic mihi obserua, quã sapienter eã synagoga læbẽ absterferit. Agẽ, ait, Dominus ipse secernet à prophanis sanctos, ne nos iudicando inter nosmet erre

Id est, mansuetus.

Id est, tolerantia malorum.

Num. 14.

mus. Quo in loco discamus à Mose uocationis certitudinẽ, deq; deo in nobis plerophoriã. Destituti hac persuasione sunt, quotquot spiritu dei destituti sunt, ut sunt litærarij, mercenarij, uentriculi, hæretici. Verbis illi pugnant inanibus & cõuitijs amarulentis, nec apparere audẽt, ubi cognitio causæ exactior habẽda est. Discamus item, multum habere momenti in controuersia uitæ innocentiam, ut dicere possis: Tu scis Domine, quod nec asellum, &c. Huic *ἰούδα* Samuel erat. Homo multis modis exercetur, & grauius etiam, ac si plagis cum Paulo uapularet. Populi mores mihi crede, uerba abundẽ atrocia pio sunt antistitri. Quinetiam exemplũ fidi pastoris præbet, quando sententia mortis accepta sollicitẽ à Domino peteret, ut sibi in ministerio æquẽ bonus succederet. Oues enim multæ, pastores uerò pauci: pauciores ueri pastores, patres paucissimi. Nemo est, cui tam curæ sit Ecclesiã, quã est sua cuiq; domus. Ad hoc dilucidat legem, siue ut Paul. dicit, secatur, ne ullus nõ intelligat. Deuter. 1. Moriturus successorem diligenter instruit fingitq; scribit legem, tradit, præcipit, interminatur. Habes itaque absolutissimum optimi pastoris *ὁ ἰούδα* in Mose, cui contigit eloquium: Non fore, ut similis illius propheta in Israel surgeret. De cuius spiritu auferat, & nobis impartiat misericors deus. Amen.

Deut. 34.

Nume. 11.

AHARON.

A Harõ Mosi frater, eloquens à domino pronunciat, qui oraculo admõnitus, fratri obuiam lætabũdus exit, propheta illi loco futurus in Ægypto. Murmur populi perfert, ita ut decet uirum. Expostulatori Mosi mansuetẽ responderet, quando populi uesaniæ infelix acquieuisset. Communem cum Mose iniuriam tam à populo quã à Leuitis fert. Quã supplex ueniam precatur uir tantus, quando nimirum in Mosi personam peccasset. Huius uirga præ cæteris floruit: is enim cõmendatus est, quem Dominus cõmendat.

Exod. 4.

Nume. 16.

Nume. 14.

Exod. 32.

Porro

Sic quoque Heliā miraculo insigni alijs praelatū legis. Porro uestitus hominis Episcopo *μυστικῶς* cōuenit, præsertim pectorale, quod cōrinet iuxta Septuaginta *ῥήματος ἡγεῖ ἀληθείας*. Adeoque tota Aaronis uita, præbyteri Christiani instructio esse poterit. Horum est, panes Dei sui adportare, id est, Euangelizare, ideo sancti sint: in quibus uerō *Μωμ* est (quod pulchrē *ΙΧΧ. μωμ*) ij non adferant panē dei sui, unde Paulus presbyterū *ἡμῶν* requirit. Eorundem quoque est docere, ne flagitiorum immunditijs tabernaculum polluatur, id est, Ecclesia. Vide Leui. xv. Vnde Paulus 1. Cor. v. Ad eundem modū celebrari merentur duodecim principes Israël, & septuaginta seniores, cæteri que sacerdotes, synagogæ columina. Horum curā atque laborem imitentur Ecclesiæ diaconi, ut ei cum synagoga nō certare solūm queant, uerum etiam superare. O utinam & nos in Ecclesia tandem audiremus: En populus sapiens & intelligēs, gens magna. Nec est alia natio tam grandis, quæ habeat deos appropinquantes sibi, &c. Deut. iij.

PINEHAS

Num. 25. Idei spiritu non caruit Pinehas, qui zelo polluit. Videt homo sanctus præuaricantes, & zelo diuinæ legis incenditur, usque ad mali propulsationem. Ardens pectus sese continere non ualuit, quemadmodū nec Elias, nec Mathathias cohibere se potuere zelo Dei concitatissimi. Dauidis zelus incredibilis uel hinc nobis commendatur. Consumpsit, inquit, me zelus meus. Et: Vidi præuaricationem, & mæstus dolui, idque adeo, ut præ mærore tantūm non extabescerem. Idem: Nonne odiētes te domine odio persequar, & in insurgentes aduersum te extabescam. Quem affectum & omnium princeps Christus induerat, quando de indignabundo diceretur: Zelus domus tuæ, &c. In Exodo *ῥημάτων* prædicatur. Recte scripsit D. Ambros. Zelus charitas est, & angeli sine zelo

zelo nihil sunt. Horum temporū conuientia, indulgentia & dissimulatio, nota est ecclesiæ, deo inimica.

CALEB.

Num. 14. Vir excelso animo Caleb, quippe qui diffidentes reprimat, & pollicetur omnia per Deum fausta: Ascēdentes ascendamus, inquit, & hereditemus terrā, quia potentes poterimus (obtinere) eam. An non uia planēque mascula uox hæc? Hinc collige non fidē modo, sed & fidei naturā, usum, adeoque uitam. Idē alibi populū rebellem pari fiducia alloquitur: Nolite timere, inquit, Nam sicut panem uorabimus hostes, Dominus nobiscum est. Quale, Deus immortalis, pectorum illorum robur: Quanta confidentiæ uis: Heu nostram dissimilitudinē. Illi lapides, nobis perdicēs parit ueritas. Sed absolutam Calebi laudem acipe: Seruus meus Caleb, ait Dominus, qui cū spiritu alius est, &c. Hoc est, qui diuerso à uestro spiritu ducitur. Et idem: Plenus est imitatione mei; hoc est, perfectē me sequitur. Quo idiomate & alibi in eiusdē laude utitur, & sapius Ios. xiiij. Adeo, ut hoc; ceu titulo insigniore cohonestandus esse Caleb mihi uideatur. Impleuit, ut iret post deum. Quemadmodum in Genesi de Henoch peculiarius scriptum, Et ambulauit cum Deo. Non nostri temporis uiri tales fuere.

IOSUA.

Iosue 1. Vocatur ad subeundū munus Iosua, uir in quo est spiritus Dei, posita Mosi manu super eum, & alibi clarius: Surge & trāsi, &c. Homo nō tā corpore, quam animo fortis ac robustus, suo ministerio non sine laude satisfacit. Fidei insignis, studio impiger, bonitate, sapientia, potentia præstans. Breuiter talis: ut iure exemplar sit Christianorū principū, si qui sunt. Quā pie, quā comiter à facinoroso cōmissū discit. Quā cuncta ex mandato agit, atque iuxta legem domini scriptam. Scribit, legit, repetit, infigit, doctor etiā, n edū ductor. Græcis dicitur hic ductor exercitus Israëlitiæ

Id est, solsti- *ἡ ὑποσημασία τοῦ δειπῆς μωσίου.* Præterea tantum ualet
tium, Ios. 10. apud deum, ut illius uoci obediret poli cursus, &
Iosue 24. *1. Macha. 2.* inaudita præter naturam fieret. E' uiuis deces-
 furus sollicitè omnia præcauet, ne quid mali faciat po-
 pulus. Legem legis populo commendat, pollicetur
 minaturq; quò citius emolliat marmoreos animos,
 reuocat illis in memoriã beneficia domini, &c. Deni-
 q; nequid prætermittat, se suãq; familiã diuino serui-
 tio addicit, ut uel in se uiderent, quid esset faciũdum.
 O uirum ineffabilis fidei, & dilectionis incredibilis.
 Quis Episcopus tam possit & uelit suis uigilijs plebẽ
 sibi concreditã admonere: Ego, inquit, & domus mea
 feruiemus domino. Quem imitatus Mathathias: Et si,
 ait, omnes ad regem Antiochũ desciscant, ego & filij
 mei & fratres mei obediemus legi patrum nostrorũ.
 Pauculi ingrediuntur per arctam portam: at his pau-
 ciores usq; ad finem saluandi perseverant.

Iosue 24.
1. Macha. 2.

RAHAB.

Iosue. 2. **F**ide purgata meretricula, confors radicis & pingue
 dinis olæ fit. Eadem hospitalitate percelebris, &
 amore hospitum nulli secunda de hac græci τῆς κα-
 τὰς ἡσπέρου σιδουσα, μὲν τὴν ἑλλησπυ ἰσὶθου.

Iudicum. 1.
Iudicum 3.
Id est, salua-
tores.

IUDICES.

IVda, Othoniel, Ehud, Sanger, Barac uiri bellaces,
 Iudicti Israëlis Moschiæ. Nec nobis pax cum carne no-
 stra est. Vexamus enim & ipsi uexantem nos, ut cum
 Macario illo dicam, Sed uincenti datur arboris uitæ
 fructus. Qui accipit brabium, is bene cucurrit.

DEBORA.

Id est, pro-
pbeiffa.
Iudicum 4.
Id est, car-
men.
Iudic. 5.

Prophetissa mulier tanta fide & grauitate, ut iudicãdi
 illi munus arduum committeretur. Insuper tanti
 animi, ut exercitu collecto, aduersus hostem iret. Pro-
 pheten sese præterea declarat, quando Sisseram à mu-
 liercula trucidandum Baraco uaticinaretur, inseguro
 facto. Mater decantatur eadem in Israël. Et *id est* illa
 subindicat, quã uehementer amarit Deum, quã
 unice

Unice delectata sit dei mirabilibus, quã mirifice ge-
 stierit in laudando, inq; gratiam agendo fortissimã
 Dei dexterã. Virago nobis ea, & nescio quã Pallas.
 depingitur. Nulla Semiramis, nulla Thamyris, nulla *1. Reg. 1.*
 Zenobia, nulla deniq; Amazonũ cum nostra ista De-
 bora conferri meretur Et quod ad eruditionem atti-
 net, nulla Cornelia, nulla Hortensia. Hanna Phanue-
 lis, Hulda prophetissa, Philippi diaconi filia, ut alias
 præteream, huius esse ordinis possunt.

JABL.

Benedicta inter mulieres Iael, habet *id est* hostem *Id est, cantio-*
 suã gentis delet, muliebris uirtutis exẽplar. Vtere *cum.*
 & tu Christiana mulier simili dolo, uictura impeten- *iudic. 4.*
 tem te anguem: Vince, aut cum Eua uincere, Iugulum
 pete superbiã, & nõ aberraueris. Quis enim te ea ma-
 gis sollicitat: Quod ni facias, non coronaberis. Marię
 Bethanicæ similis in audiendo discendoq; fias. Cana-
 neã fidẽ imitare. Sequere dominũ cũ Galilæis mulier
 culis. Sipathica es, clama ad dominũ cum Aemorrhous-
 sa, Manus enim eius ad sanandam est ad hanc usq; ho-
 ram. Ad eandẽ mulier hæreditatẽ uocata es, ad quam
 uir, & æque tibi ac mihi præcipitur: Vigilate, aduerfa-
 rio resistite, fide solidi. Animosã Iudith huiusce rei-
 pleniorem hypotyposin exprimit.

GEDEON.

VOcatur Gedeon è minima tribu, minimus ipse in
 paterna domo. Sic minimus eligitur Dauid, Iacob
 simplex diligitur, Ioseph contẽptissimus probatur,
 Proiectus in profluentem Moses uocatur, *id est* *Id est, tardim*
 γλωσσῶ, iunior Ieremias assumitur, Amos rusticus, *loquus.*
 puer Daniel, Petrus piscator, Paulus scenopœus,
 Matthæus telones. Adeo uerum est, quod in literis re-
 liquit Apostolus: Infirma mundi huius elegit Deus,
 ut fortia confundat. Porro Gedeon operi rustico ua-
 cans uocatur & audit, Dominus tecũ uir Mauortie,
 Huius fidem scriptura non tacet Ea ex allato nuncio

accepta, atq; hinc sibi redditus, qui antea confusus in certusq; animi erat, extruit altare domino. Vides religionem. Destruit altare diaboli: uidet zelum & libertatem, sed hominis spiritu Dominico induti. Quod uero id noctu fecit, humani metus est, cuius expertus nullus diuorum uixit. Moschia & ipse Israël est, sed id negocij totum Deo transcribit. Si, inquit, per manum meam saluabis populum. Præit autem selectis ad aciem, & dicit: In me aspiciite, sicq; facite. Et mox: Sicut ipse fecero, sic facite. O regiã planè uocem. Par erat & diaconos ad eundem modum præire, id est, præluere Ecclesiæ dei, & eandem usurpare uocem: aut, si malint istam: Exemplum dedi uobis, ut quem admòdum ego feci, ita & uos faciatis. Quod si ad id requirant præceptum, audiant Paulū: Esto forma fidelium, in sermone, in conuersatione, &c. Verum huiusmodi frustra admonemus, nisi Ecclesia corrigatur, & à tot sceditatibus purgetur. Iã quanta homo facilitate ac humanitate fit, uel ex hoc liquet, quod Ephraitas contra se acriter rixantes, non ferocia, sed comitate frãgit. Est hoc profecto exẽplũ tã egregiũ, ut nihil supra. Imò laudatiurgantes quoq; idq; strãre gemate, à suã regionis ubertate, à diuino præsidio. Magni animi est, ita placabilẽ esse inferioribus. Verè potẽs est, qui sui potẽs est. Huic adde, summã hominis tapeinophrosenẽ, ac singularẽ sui agnitionẽ. Nõ, inquit, dominabor uobis, nec filius meus, sed dominabitur uobis dominus. Audite hoc uos anthropophagi. Audite uos hematodipfẽ tyranni, qui nihil didicistis, nisi uiduas facere, & prædã conuehere, sicuti Ezechiel dicit. Qui, iniquũ, si nõ dicũt, certe sentiunt: Fiuius, meus est, ego feci meipsum. Dracones, leones, pardi, urfẽ, & quiduis citius immanissimũ, quãm homines estis. Tãq; minus Christiani, quãm illi olim Midianitẽ. Audietis non longo post tempore: Derracta est ad inferos superbia uestra, concidit cadauer uestrum. Isa. xiiij.

Id est, saluator.

Ioan. 13.

1. Timot. 4.

Id est, animi humilitatẽ.

Id est, hominum uoratores.

Id est, sanguinem sitientes

EPHRA.

Ephtha uir bellicosus, heroico planè titulo decoratur, & ipsdem uerbis erat salutatus Gideon. Est & homo, super quẽ factus est spiritus Domini. Qua nulla laus absolutior. Spiritalis & religiosus idem, nec nõ militaris, hoc est, quouis laudis genere præstans. Spiritus exhæredatur, contemnitur, eiicitur. Ecce crucẽ. Insurgit hic frater in fratrem, sed suo tempore reuocatus postliminio redit. Nam mites terram possident. Matth. v. Post dux constituitur. Ecce gloriã post ignominia. Prou. xv. De stercore est erectus pauper, Psal. cxij. Iam qua prudentia, quo consilio idem polleat, uel unica illa cũ Ammonita actio arguit. Vide enim, quã proluxa oratione, quãq; probabili rem israeliticã aduersus hostẽ tueatur: modis omnibus agens, ne iniquẽ eos impetere uideatur: Nõ ego, inquit, pecco in te, &c. Cæterum quod uouet, stultius ne sit, an sanctius factum, deus nouit. D. Augustinus factum minus probat. Græcus Cyr. beatificat. Verum *μακρὸν οὐδ' ἀσφαλὴς ἰσχυρὸν*. Est cũ Saulis adiuratione penè idẽ. Vt cunq; est, adparet uir magnanimis fuisse, nec paulo melius egisse Agamemnone illo, qui & ipse filiam immolasse legitur. Item Embaxus Atheniensis, Romani olim stupri causa, proprias filias publicẽ interimebant: at hic nihil in puella sceleris. Gentibus barbaris peculiare erat, occisos sacrificare filios, sed diabolis. Cuius exemplum legis de Moabitico rege. iij. Reg. ij. De Schytis nemo nescit. Quod si omnino errauit uir pius, saluti gentis, error imputandus est, cuius nimirum gratia uouit. Ad ultimũ hominis mansuetudo *ἡδὲ μακροθυμία* hinc elucet, quod Ephraitas tumultuatuos (quod & Gedeon fecerat) tam leni responso mitigare nitebatur. Nam uirtutis eximitã est, summitatem affectione non frangi.

Iudic. 20

Ibidem.

Id est, longanimitas.

B 3

SAMSON.

Iud. 13 **N**Azaræo puero diuinitus benedicitur, & cum eo spiritus domini. Adolescens honorat patrem & matrem. Discerpit alter Hercules leonem rugientē. Ita tibi athleta Christiane subigendus est Diabolus. *Id est, ambrosius.* idē fidei uirtute, hoc est, diuina, nō tua. Idē *φιδέτιμος*, sed facti egregij dissimulatur egregius. Idem ferox uiribus hostes adffigit uarijs modis. Imitandū isthuc exēplū, ni noris ueros animæ hostes. Quorū caro improbior ac indomitior est. Cæterū prodigiosū illud robur subministrat testaceo uasi spiritus. Iam si scortum illud (Prou. cap. vij.) hoc est mundū hunc cōcupiscentijs suis in sinu te fouere, hoc est, blandiri ac placere tibi patiari, actū fuerit. Eneruat in te nim cœlestē Thais illa. Quare uitāda est, ut ille ait, improba Syrē.

NAEMI.

Ruth 1 **R**borum fructus produunt. Mulieris obedientia, peregrinatio cum uiro laboriosa, nūrum amor, patriæ sanctæ repetitio, pia uerba, & huiusmodi à fidelibus non esse non possunt. Commorari in regione impia pia potuit, & inter deos illos Moabiticos deum cœli unicum ac uerum credere atq; confiteri. Id quod ex uerbis eius palām est. Idem fecit Iacob in Mesopotamia, Ioseph in Ægypto, Moses in terra Madiā, Daniel in Chaldæa, Tobias in Assyria. Næmi ad Ruth dicebat: En reuersa est cognata tua ad deos suos. Deum uerō suū nostrumq; rectissimē iam Adonai, iam Sadaï appellat, unde Ruth instituta: Deus, inquit, tuus, deus meus. Non enim dijs suis tam repente ualediceret, si non antea à Iudæa illa probe edocta fuisset. His adde, quæ illius fidē clariorē reddunt: Dominus humiliauit me. Itē: Egressa est manus domini cōtra me. *Id est, amara* Cuiusmodi magna mortificatiōis pars est. Quid uis? Ea est Noemi, in quā Paulina cōperat. Quæ uerē uidua est, &c. j. Tim. v. Hæc igitur imitamini uiduæ, & huius

huius afflictionē cum Hannæ apud Lucā religionem copulatē.

RUTH Moabit.

Peregrina muliercula, oblita populi & domus patris sui, sub alas dei Israël confugiens *προσφύγιον* in populo dei sit. atq; adeo proaua Dauidis, & ipsa in ueram oleā inseritur. Ruth paupertatem sectatur, exul esse uult & contempta: modo uiuere liceat in Israël coram domino. O diuitias summas istam paupertatē. Dilectio, qua complexa est focrum, non osculo tantum & uerbo ut Arpæ, sed re ipsa declaratur. Iam obserua, quæ sit fœminæ conuersatio, & inuenies ea nullam aliam reuerentia, pudore, affabilitate, frugalitate, gratitudine, sui demissioe fuisse superiorē. *Ruth. 2* Nihil hic, quod in iunioribus uiduis dānat Paulus. Non est ociosa, nō garrula, nō alienas domos circūiēs, nō curiosa. Seruat autē præceptū Apostoli: Volo iuniores, *Id est, filios* nubere, &c. Atq; ita afflictā uarijsq; iactata *procreare.* casibus, curate deo abūdē refocillatur. Propterea sperare & benefacere discite mulieres abiectæ. Quia nō est deficientia timentibus deum, Psal. xxxiiij.

HANNA.

Ornamentū Hanna nō uulgare est mulierū omniū inter sanctas sanctissima, ac omni uirtutū genere deo cohonestata. Summa huius pietas non uno in loco nobis indicatur. Crux pietatis comes domestica est, et t̄ro ad ferendū grauior. Tēatur probrosa sterilitate. Marito subiecta atq; dilecta est, ipsa diligens ac reuerens. *1. Reg. 1.* Ephe. v. Sub cruce uerō, luget, orat, effūdīt animā corā domino, uouet, gratias agit, exultat, laudat. *Ibidem.* Ecce digna fide uita, uita inquam sobria, & ralis, ut eam ab infidelium uita facile dignoscas.

Sunt quoq; uiri boni Leuites Ephraïta, Boas, Elcana, & alij. Nos celebratiores in Christianæ uitæ formam, si quibus libet, producimus.

ELI.

Sacerdos sanè optimus, & religione nota: nisi quod *1. Reg. 4.*

pædagogiam negligeret, rem tam utilē quàm honestā. Quare hæc historia de parentibus indulgentioribus narratur, qui uirgæ parcunt, ne moriatur puer. Prouer. xiiij. xxiiij. Nulla lingua exitiosam horū temporū teneritatē satis enarrarit. Philosophi gentiles, nostros Christianos cum hac in re, tum in alijs plurimis præcelluere. Et qua cura Iudæi suos educunt liberos, nemini obscurum est. Et hoc ipsum Satyricus olim decantatū. Heu omnia Euangelio Ecclesiæq; Christi Iesu indignissima, hac ætate, si unquam, uidemus.

SAMUEL.

Id est, Nazareus & sacerdos.

NAzir *נאזיר* Samuel uenerabilis placet tã deo quàm hominibus. Idem propheta, qui cum dominus est & loquitur, etq; cuius ore nullum uerbum in terram cecidit. Eli istius uaticinium infaustum liberè confitetur, personam non acceptans. Populū ad penitentiam reuocat, proq; huius peccato orat, clamat, sacrificat, nec perdit operam. Iniquitas uiro iusto displicet, qua abundante, ad orationē dei sese totum uertit, nec id citra consolationē. Vulgō uir dei nō solum, sed & uir uidens habitus est. *φρηνει* idem est, ac perquam comis. Iam quis satis efferat pijsi. hominis ingenii ac mores castiss. quippe, qui poscat etiã, ut si quid in ullū admiserit, edisserat. Tanta est innocentie sanctæ libertas. Idem fecit Moses, Idē Paulus. Num (scribit hic Corinthijs) uos *επιλοβιζουσας* Non uestra quero, sed uos. Alibi: Argentum & aurum, aut uestem nullius concupiui. Cæterum aliquid est, populum tale testari. j. Tim. iij. Habes præterea solliciti pastoris in Samuele exemplar, cuiusmodi in Mose quoq; & in Iosua & Paulo. De hoc, Actu. xx. Tu quoq; ora & doce, uiam bonam rectamq;, & præi cum Gedeone dicens: Quod me uidetis facere, hoc facite. Nec prætereundum, qua linguæ libertate Regem imperat, iam stultè eum, iam fecisse impiè. Simili *παρηγορι* Achabum Helias, Jeremias Sallū, Sedechiã Ezechiel, Baltazarē Daniël,

Indic. 7

Id est, increpandi fiducia

niel, & Herodē Baptista reprehēdit. Ambrosiō Theodosiū, Nazianzenus Iulianū, Hilarius Cōstantiū, Bernardus Eugeniū pap. &c. Nostros uerò preconibus in publico modō taxasse, satis est. Rogatus honorat Saulē propter alios, quē & luget abiectū, interceptū plançgit Dauid. Verū afflictio, sancto homini adeoq; mortis metus incūbit, ne quid in eius religioe desideres.

IONATHAN.

Vir tam pius quàm fortis Jonathan, fidē animi ore manuq; declarat, quando diceret: Non est difficile domino, uel in multis uel in paucis saluare. Quod & Asa rex dixisse legitur. Patrem impium seueriusculē norat, post perditatur obruncandus de re leui: sed crudeli Manlio aduersatū est, ne scire in filium liceret. Qua in tentatione mititas hominis plane ouina claret. Porro similitudo morū conglutinat hunc cum Dauide uictore, adeo, ut eū quasi animā suā diligeret. Id quod beneficentia ac liberalitate quamprimum ostendit. Nā opere diligendus frater est, nō lingua. Nec nō excusat Dauidis innocentia apud regē, sublato in se fraterno onere, & mirificè eū solatur iã desperatis reb. & serio excogitat, quānā arte ærūnosum seruet. Cōtristatur, cursitat, illachrymās osculatur, &c. Quo certè exēplū uiuidius uix inuenias. Breuiter, tale Dauidi præstat officū Ionathas, quale sibi à Dauide præstari uelit. A' Dauide cōtrā nō secus diligebatur Ionathas, quàm diligit unicū filiū mater, sicuti in plançtu ipse fatetur. Apagesis nunc omnes Pylades istos & Orestes, & nescio quos Theseos ac Perithoos, amantes potius quàm amantes.

DAUID.

Vir Mauortius, prudens sermone, psaltes, formæ insignis: Hoc est, uir secundū cor Dei. His enim uerbis in eius laude utitur scriptura. Vocationi puer accuratè inseruit, & ruri, hoc est, in honesto labore reperitur. Sic ex agro arator Helisus, sic à caula Mo-

B 5

fecit, ab armentis Amos ad negociū dei accersitur. Regno inauguratus gigantem prostravit, puta Goliathum illum Polyphemum, Enceladum, Antæum, hoc est, spiritu donatus diabolum uincit Christianus *vtrius*, qui ni reddare, nullus eris. Vincit uerò inermis, hoc est exutus natura, seu naturæ præsidio, sed interim incelsitur à fratre, & exhibitur ab hoste. Habes simulacrum filij regni. In negocijs regijs prudenter sese gerit, omnibus dilectus, & quanto superior, tanto submissior in oculis omnium uisus. Quis ego, inquit, ut *fiam gener regis*? Cæterum qui in domino pacem habet, in mundo pressuram non habere non potest. Ea propter copiose descripta est crux Dauidis, figura crucis Christi & Christianorum: sed non cadit capillus de capite eius sine patre. Lancea, infideliæ, machinationes, minæ, inquisitiones, obsidiones, uanæ sunt. Fuga uerè infelix sæpius sibi consulit, quod & Elias facit, ut de Apostolis, adeoq; de secessu domini taceat. Bonus dominus confortat eum in die tribulationis, sciens sperantē in se. Cuius tribulationis occasione, tot cecinit Psalmos: Audi mortis umbram: Vno, inquit, gradu ego & mors diuidimur. Audi cōtra quid comiserit. Quid feci? Quæ est iniquitas mea, & quod peccatum meum in regem? Et mox: Si est iniquitas in me, tu me Ionatha interfice. Plurimum enim refert sons ne an insons patiari. Paulus in iudicio clamat: Si nocui, aut aliquod dignum morte feci, non recuso mori. Sic de domino Pilatus: Quid mali feci? Et iterum: Ego nullam inuenio in eo causam. Locum Petri nemo nescit. Obserua uerò indies auctam tyranni in innoxium sæuitiã. Bone deus, quæ ista barbaries? Imò miremur potius exulis animum ferendis omnibus malis parē. Nec illud prætermitte, quod tanto hostibus parcit, & illæsum seuat, à quo ipse tot malis erat afflictus. Eo pacto dein Absolonem & Semei fert, super quorum capita carbones ignis coaceruat. Idem fecit

Id est, puer.

1. Reg. 12.

Numer 1.

1. Reg. 20.

Ibidem.

Act. 24.

1. Pet. 4.

1. Reg. 24.
26

fecit Christus rex, idem Stephanus, idem cæterorum martyrum turba. Vincenda natura est contra naturã. Nam credenti nihil non possibile. Exul uerò & peregrinator nondum esse desuit, tametsi planè *inanos* ac iustus, uel hostis sententia, & meretur bonum testimonium eius probitas ab Achis extraneo: Æquus ait ille, tu & bonus, nec quicquam mali in te comperi. Nec *inimicus* uiri laudatissimi taceri potest, cuius æquitas ac liberalitas statutum etiam induxit. Interemptum hostem miserabiliter plangit: non nescius, impunitum non fore, qui in alterius ruina letaretur. Prouerb. xvij. Notum est ex prophetis, Amon, Moab, Edom & alias nationes eo grauius punitas, quod lætarentur in Israelis interitu. A morte Saulis: quod & uiuo illo fecerat: nihil inconsulto domino facit. Neque enim faciendum, quod nobis rectum uideretur, ut habet lex. Ad hoc sæpe perierunt, qui ore domini nõ interrogato, aliquid moliti sunt. Afflictio hominis, uolente id deo, non cessat, sed durat usq; ad eam, quæ à Seba afflictus est. Primi fratres iustam animam malis afficiebant, post exagitauit Saul, deinde Saulis semen, quarto loco Absalom, postremo Seba. Atq; ita tanquam aurum in fornace probauit illum deus, & inuenit illum se dignum. Dici uerò nequit, quàm infensus omni iniustitiæ & iniquitati fuerit, homo neq; in iustus ipse neq; iniquus. Pietatem summam subinde manifestius declarat, quando præter alia, adeo sudat pro arca reparanda, pro templo ædificando, pro cultu dei ordinando in laudem gloriæ eius, ut subsilit, ut totis uiribus tripudiat, corpore uidelicet præ se ferens, quod erat in animo. In gestis enim illis prorumpit pia affectio: id quod multis exemplis uel aliunde indicare possem, ni breuitati studerem. Ridentur autem à mundo illi gestus. Vnde David hominibus, nulla fronte, comparatur. Porro solene fuit nonnunquam choreis celebrari festos dies, idq; per-

Id est, inna-
gens.

Id est, æqui-
tas.

2. Reg. 1.

Deuter. 12.

Sapient. 3.

2. Reg. 6.

tinuit

1. Reg. 18

tinuit ad cultū dei, sicut patet Exod. xxxij. Iudic. xxj. Psalm. ultimo, & hoc loco. Deinde mulierum potius istæ erant choreæ quàm uirorum. Cæterum subinde uincit, quia dominus cum eo: Facit misericordiam femini Saulis hostico, refert gratiam Hanon benè de se merito, & per omnia talis est, ut culpari iure nō possit. Iam ne se stans extollar, cadit: sed rursus subleuatus surgit. Peccato ablato, perturbationibus filioli æstuat, ne nescires non modò hominē esse Dauidem, sed & humanum nihil esse ab eo alienum. Id quod & in recessione populi claret. Insuper quàm uigil iudex, & rex *quod dicitur* sit, uel Thecoira illa docet. Nouit seruauitq; legem, Iustitiam iustitia prosequere Deutero. vij. Filio fratricidæ durus est, at reuocatum osculatur, à quo mox regno expellitur. Atq; hinc mihi uidepij principis felicitatē, Polycrateā scilicet. Supra toties mærens uestes sciderat, cibū orās nō ceperat, in terra iacuera, hinc cooperto capite ac flēs fugit in syluas. Sed in media tentationū unda, sollicitus est pro arca, sese deo tradit, orat, cōuitia suffert, cōuiciantē seruat, bene adhuc sperat: Consultatur quidē de eo perpendo, sed à deo nō deseritur, nec quod ad cōmeatum at tinet, &c. Talis calamitas filio dei patris erga se amorem ardentissimū testatur. Nec tale seruo contingit, nec *uidetur*. Quin tragædiæ huius finem spectas, & reficere. Difficiles aditus regnū cœli habet. In fine illud appēdendū: Nimirum nihil laudabilius nihil magno & præclaro uiro dignius Dauidē fecisse, quàm quod tanta sollicitudine sacra curauit, primusq; post Mosen instituit. Qua de re sola ferè prior Paralipom. Res diuinæ curæ quoq; Ezechix, Iosifæ, Iosaphat, regibus fuere, tametsi alioqui prophanis. Nostra uerò capita dedecori sibi tam minuta, hoc est, sacerdotalia ducūt.

DAUIDIS VITA EX OGDOADE.

Seruus dei Dauid, fide, spe atq; timore plenus, pacem multā habet amator legis. Expectat salutem, quam

quā desiderat, in quam sperat. Discit iudicia iustitiæ dei. Cōfitemur deo, recto corde. Adolescens purificat iriam suam. Exquirat Dominum. In corde suo abscondit eloquia dei. Enunciat iudicia dei. Vnicè delectatur in testimonijs dei super omnes diuitias. Charior illi lex oris dominici, super milia auri & argenti. Item super aurum & topazion. Eidem eadem dulcis super mel, & unicum cordis illis gaudium est. In mandatis dei exercetur, siue meditatur tota die. In statutis dei delitiatur. Non obliuiscitur uerba dei. Orat peregrinus & attrita anima præ desiderio. Patitur principum oblocutiones, iacet pressus. Vias suas confitendo enarrat, recogitatq;. Agonizat præ maximo dolore blasphemix gratia. Viam fidei ueritatisq; eligit, iudicia dei sibi proponit. Adhæret testimonijs dei. Viā mandatorum dei currit. Orat iterum atq; iterum pro intellectu, pro doctrina, pro ductu in uia dei, pro corde ad pia procliu & integro, pro uita interioris hominis. Concupiscit, diligit, & ualde diligit mādata Dei. Respondet opprobrijs. Sperat in uerbis dei, & multum sperat. Semper custodit legem dei, quam & exquirat, sed toto corde. Loquitur ueritatē coram regibus. Consolatur eum in afflictione uerbum dei, ad eumq; uiuificat. Ridetur à superbis, spoliatur ab impiorum funibus. A superbis rursus mendacium suffert, idē iniquè agunt contra iustū. Parant illi foueas. Tendunt illi laqueum. Mendacijs persequuntur, & calumniantur eum scelesti persecutores. Et multi persecutores tribulatoresq; eius, ijq; non solum plebei, sed & principes, & affligunt gratis, unde fit, sicut uter in fumo. Memor est iudiciorum dei. Horret & tristatur propter impios & peccatores. Canit de statutis dei, noctu Deum meditatur. Festinat, nō differt rectè facere. Media nocte surgit ad confitendum & laudandum Deum. Socius est timentū Deum, qui illo uiso latantur. Credit dei præceptis. Errarat sicut ouis ante afflictionē

afflictionem, & restatur quàm sibi conducatur afflictior: & periisset in afflictione, ni in lege dei suas haberet delicias. Deficit homo præ nimia salutaris concupiscentia. Doctis doctior, senibus prudentior, adolescentulus licet & contemptus. A femita mala prohibet pedes suos. Non declinat. Odit omnem uiam mendacij: odit præfractos: odit mendacium, & abominatur. Lucerna eius uerbum dei, Iurat sese perseveraturum. Suapte sponte laudat deum. Inclinat cor suum ad faciendam statuta dei. Horripilat præ pauore iudiciorum dei caro eius, & à uerbis dei expauer cor eius. Facit iudiciũ & iustitiam. Ingemiscit ac desyderat præcepta dei. Orat pro liberatione, pro iudicanda causa, pro auxilio, pro sustentaculo, pro bonitate, pro miseratione, pro illuminatione, pro gressuum suorum directione. Præter modũ illachrymatur propter peccatores. Tabescit siue perit zelo suo: uidet præuariantes, & extabescit. Clamat & inuocat deum in crepusculo. Euigilat in intempesta nocte ad orationem laudem, gratiarum actionem, homo hominum religiosissimus.

NATHAN.

1. Reg. 7 **P**ropheta Domini, reprehensor Davidis, & idem consolator egregius. Qui ad quemuis uerè piũ dicit: Omne quod in corde tuo est, uade & fac, quia dominus tecum. Sed quid, si labatur aliquando pius, & ex animo eum pœniteat: Audi ab eodẽ propheta: Dominus transtulit peccatum tuum, non morieris. Quæ duo dicta totius libri loco tibi sint, quæ Nathan ille scripsisse legitur.

GAD.

1. Reg. 22 **P**ropheta domini, & Davidis uidens, quem cum fiducia adit, uerbum domini durum adnunciaturus. Simus & nos Gaditæ, super tecta prædicantes non solum, uerum etiam in aurem cuius seorsum, nempe illud: Aut hic mortificare, ut illic uiuas: aut hic uiue, (quod

(quod eheu facimus) ut illic mortificare.

SOLOMON.

Dilectus Domini uir, quietissimus ac permagnificus, sapientior ac gloriosior uniuersis, quotquot unquam uixere. Huius petitionem peculiarẽ tuamq; fecito, ut petas cor obediens, siue iuxta Chronicon, sapientiam, & scientiã, sed spiritalem, Coloss. j. Nam dominus qui illi dixit: Postula, ut dem tibi: idẽ dicit. 3. Reg. 3 Pete, & dabitur tibi. Victus uestitusq; ultro his adijcietur. Matth. vi. Lubetur Salomon, in simplicitate cordis & æquitate uiuere. Id quod indubie præstitit, donec redderetur mulierosior, πολιτεια eo rege floret. Mirum, quàm sapienter incorrupteq; iudicet, quàm prudenter satrapas constituat, quàm solícite rerum omnium cognitionem sibi paret, quàm diligenter ædificet. Planẽ hæc dei ordinatio est, nõ hominis. Vnde est, quod quidã Canticũ canticorũ de politia ceu amica, & de ipso rege amico exponant. Vt cunq; est, binas certe extruxit domos: suam, hoc est, politicam: & dei, hoc est, ecclesiasticam. Cuiusmodi sibi Christianus princeps, si qui sunt, dictum putet. Qui si nolit Christiano appellari nomine, curet modo πολιτεια. Ad ultimum, laudem iuxta ac æmulationem meretur regis huius eruditio, qui si naturæ historiam scribere uoluisset, Plinium & qui ante hunc scripserant, longe superasset. A nostris rectoribus exigit cum Plato, tum imminens rerum tempestas, ut docti sint. Sed õ nihil hic neq; doctrinæ, neq; prudentiæ.

ASSA.

Rex pius, cuius cor perfectum cum domino est, unde rectum facit in conspectu domini, sicut David. Memorabile est, quod idololatriam id temporis feruentem subuerterit. Memorabilius, quod pugnaturus tanta in deum fiducia dixerit: Dominus deus non ster tu es, non præualet contra te homo. Vir uirtute admirandus, & regib. nõ aspernandũ exẽplar. Sed eundem

3. Reg. 3
Matth. 7

Id est, Respublica.

Id est, res uiles.

3. Reg. 15

2. Par. 14.

dem peccasse podagricū, nō reticent sacrę literę, morbo ualido, tentatione ualidiore eō nimirū adactus. In administranda quoq; republica præstat, ædificator urbium, turrium, uallorum.

AHIA SILONITES.

3. Reg. 14. **P**ropheta Domini Ahia, uerbo reę uaticinatur. Quod fecēte præter alios Jeremias & Ezechiel. Durus idē nūcius aduersus Hieroboamitas nostros. Huius libri periēre magno Ecclesię detrimento.

IEDDI.

Propheta Domini, unus ex uidentibus. Contra impietate Ieroboā uisionem scripsit, sed & ipsa scripta desideratur. Arguēdi libertate usq; ad plagas usi isti homines sunt, quod uel in illo adparet, in cuius ultimam, regia manus exaruit.

SEMAIA.

3. Reg. 13. **P**ropheta domini, homo acer in malos principes inuehitur. Vos, inquit, deseruistis me, & ego de serui uos, dicit dominus. Verum idem lenior pœnitentes alloquitur. Quia humiliati estis, nō disperdami uos. Sic humiliatus Achab clementiam meruit, & ipsi etiā Niniuitę. Ea est dei nostri bonitas. Quos ad posteritatem transmisit liberos, noni exant.

IEHV.

3. Reg. 16. **P**ropheta Domini, contra perditos principes missus, ut illis ostendat peccata sua pariter & peccatorum stipendiū, hoc est, mortem. Quid rides satrapa? de te res, ea narratur.

HELIA.

3. Reg. 1. **P**ropheta domini magnus, spiritu uirtuteq; plenus, qui plus prophetis omnibus laborat. Vestis eius ex pilis, & zona pellicea circum lumbos eius, sicut Baptistę. Hic in tempore famis miraculosę saturatur, ne Christiane desperes. Simili modo cibatur Man Hebręa gens, & ē petra potatur. Samsoni, afini mandibula aquam præbet, hydria farinulę non ex-hauritur

hauritur. Turba in Eremito de modico fatiatur. Mulieris uasa uacua replentur, fossa arida alueum aquę concipit. Populus apud Helisæum comedit, & superest. Danieli mittitur, angelo duce, prandiolum: discipuli in nauī, oblitis panibus, aluntur. Quia in uerbo dei uiuere credens potest, non in pane solo. Hic, inquam, fame tentatus, sed nō uictus, quippe fide uiuafultus. Hic fese irato tyrāno offert, dei negocium tueretur, mendaciū ueritate retundit. Hic deo fidens, audet in certamen uocare totam pseudoprophetarum coluuiem. Vocat & uincit. Ea in re deprehendis prophetę zelum; scientiam, libertatem, fiduciam, orationem, dicacitatē: sed sobriā, & nihil non, quod talem uirum deceat. Verum huiusmodi, ita ut solet, comitatur crux & exiliū, quo usq; adeo perturbatur, ut mori, quam uiuere malit, sicuti post Ionas. Vide qua molestia homo sanctus montana pererret, quam frugaliter uiuat, quam pie zelet, ac in spiritu turbetur, quāq; incontanter Deo uocanti obediat, & uitam in discrimen ponat. Nam per tribulationes multas itur in regnum cęlorum. Ad astra doloribus itur, inquit Prudētius. Porro officio satisfaciens, libertatē ubiq; suā tuetur in corripiendo præsertim rege homicida simul & raptore. Opera tenebrarum, dicit Apostolus, arguite. Fructus uerō correctionem aliquis insequitur, nempe pœnitentia qualiscunq;. Ad eum modum scribit literas obiurgatrices Iorā pessimo regi. Et coram acriter reprehendit Ahasiam idololatram: dicens: Nunquid non est deus in Israël, ut mittas ad consulendum Belzebub? Iam cursu bene peracto, homo sanctissimus in cęlū sustollitur, prophetis alijs id futurum non nescientibus: & relinquit Elisę suo, operante deo, spiritum suum, zelum, & loquendi libertatem, quę est hodie nostra Eleuthero-stomia. Ipso facto declarans, quod peruenire serui dei soleant.

MICHA.

3. Reg. 12 **P**ropheta Domini, uir contemptus, inuisa impietati prædicens, odio habitus, sed syncerus ac uerax. Cui oppone Zedechiam prophetam regis, uirum spectabilem, grata prædicentem, in precio habitum, sed plane mendacem. Talis est cum Ieremia collatus Anania, Paschur, Semeia, Achab. Talis Amazia, si eum cum Amos cõparet. Talis cum Paulo collati Pseudapostoli *ἀποστολοι*. Ne quid de purpuratis ac delicatulis huius æui Euangelistis dicam. Audax admodum Micha, qui à ceteris prophetis non solum dissensit, uerum etiam affirmat eos falso spiritu capros: pro qua libertate alapam recipit, sicut & Christus & Paulus. At uerò audacior, qui regem iritat, & malum illi, quod uolebat, uaticinatur: pro qua ueritate cõpedes præmium accipit, sicut & Ieremias. Homo in aliorum prophetarum sententiam flecti non potest, nihil adulatur, non ambit mollem uestem, non fauores aulicos. Tama uerò uelle omnes nos de doctrina esse certos, quam illi de prophetia occidendi regis.

AZARIA.

2. Paral. 15 **P**ropheta domini, bono regi consolator atq; consolator missus: Dominus, ait, uobiscum, siquidem uos cum eo. Vox pergrata. Nostri homines cum contra dominum toti & loquantur & operentur, sibi tamen ipsi persuasissimum habent, non esse alios se feliciores: Numquid, inquiunt, non dominus in medio nostri est? Item: Non ueniet super nos malum, Ierem. v. Quin uos Azariam auditis: Si dominum reliqueritis, relinquet uos. Quod postdixit & Zacharia, Ioarege. Audite Ieremiam, qui confiditis in uerbis mendacium: Quid dilecto meo cum domo mea? facit enim multa scelera.

HANANI.

2. Paral. 16 **P**ropheta domini, reprehensor regis ob initum cum Syro fœdus, & quod Deo parum fideret: Stultum egisti, inquiens, &c. Sed non impune. Nam pijs etiam principibus

principibus inimica esse aliquando asperior ueritas solet. Vsq; adeo semper & ubiq; illa est mater odij.

IEHASIEL.

Propheta & Leuita Domini, regem religiosum & populum Dei in periculo roborat: Nolite, dicens, timere nec formidare hanc multitudinem: non enim uestra pugna est, sed Dei. Vos cõfidenter state, & uidebitis auxilium domini super uos. Atq; isthuc credens rex populorum, uincit. Huiusmodi certe uti non nesciet Christi discipulus.

ZAREPTHANA VIDVA.

Gentilis quidem hæc, sed fidelis, & uix tanta fides in Israël reperiri potuisset, ubi licet quotidie in synagogis sacræ literæ legantur. Eadem paupercula, afflicta, lugens, sed cuius est regnum cœlorum, sed cuius tristitia uertitur in gaudium. Cæterum ne diffidas de huius fide, audi confessionem: Nunc cognoui, &c. Vide & opus, Abijt, & fecit secundum uerbum Eliæ, Hoc est, esurientem pauit. Postremo & peccata sua sentit ac palam de his queritur: Ut, inquiens, rememorarẽtur iniquitates meæ. Sanctorum, quorum nomina sunt scripta in cœlis, multus numerus est, præter centum prophetas domini occultatos, & lxxxv. sacerdotes, quos occidit Saul, & quinquaginta uiros de filiis prophetarum. Deniq; præter 7000. uiros, qui non incurua uerunt Baalo genua. Omnes illi operati sunt iustitiam, destituti, pressi, afflicti, quibus indignuserat mundus.

ABDIA.

Oconomus regis Abdia, dominum deum non timet modo, sed & ualde timet, idq; ab infantia sua. Eum autem timorem, amoris opus, hoc est, beneficentia ostendit. Nam ostendit non sine periculo fratres prophetas. Atq; adeo facit sibi amicos de bonis domini sui, si quisquam alius. Opiam fraudem, Attamen humanum quiddam passus, dum ueluti Nicodemus aliquis, rem dissimulat.

IOSAPHAT.

2. Paral. 17 **R**ex, qui cum dominus est Quia ambulat in uis pri-
 oribus Dauid, & facit quod rectū est coram deo,
 seruans præcepta dei, uitās Baalim, & Israelis opera
 non bona. Quin animi excelsi uir, deos propellit alie
 nos, & deum uerum ac unū prædicari per regionem
 mandat, mittēs prophetas, sacerdotes, & leuitas, qui
 populum legem domini doceant. Peccans, hoc est, im-
 pijs adhærens, à propheta Iehu reprehēditur, & pōst
 à propheta Eliezer, sicut à Nathan Dauid, ab Hanani
 Assa rex, ab Iſaia Ezechias, pijs omnes, sed tamen ho-
 mines. Contra uero consydera, quā religioſe rex ſa-
 cra uindicet, ac in suum quæq; locum reuocet, atq; re-
 ſtituat. Vide quā ſolicitē constitutis ſynagogæ dia-
 conis præcipiat ſuper lege, mandato, ceremonijs, iu-
 ſtitijs, iudicio: Ne peccetur, in quiens, in dominum. I-
 tem: Sic ageſtis in timore domini, in fide, & corde per-
 ſecto. Sed de ſacris hætenus. Num idem ciuilia iuſtē
 tractat? Maximē, uide enim quā ſeuerē constitutis
 Reipub. iudicibus mandet: Videte, dicens, quid facia-
 tis. Item: Sit timor domini uobiscū. Cauete & facite.
 Non eſt apud dominū deum noſtrum iniquitas, nec
 perſonarum reſpectus, nec acceptio munerū. Quid,
 officij quæſo, in principe deſyderes? Non hic legis
 comeſſationes ſumptuoſas, non expilationes, nō ue-
 nationes, non choreas, non luſtas theatricas. Heu la-
 boratur uehementiſſimē. Male eccleſiæ ſtatus habet,
 peius Reipublicæ. Muti ſunt prædicatores, ſurdi prin-
 cipes. Cæterum ſi qui boni proceres ſunt, legant,
 adq; ſe pertinere putent, quod ſcribitur & Deut. xvij.
 & Exod. xvij. Vix tamen, uel hoc factō, Chriſtianos
 dixeris. Præterea rex pius in anguſtia ſeſe totum ad
 dominum confert, orans, fidens, & proclamans ieiun-
 ium. Quod exemplum ſecutus Ezechias, & uterq;
 ſaluatus eſt. Huc oculos animoſq; principes flectite.
 Sin minus, exite Eccleſia.

HELISAEVS.

HELISAEVS, Hebræi Eliſa.

Relictis bobus, adeoq; patre & matre, ex aratore
 famulus Eliam ſequitur, quem patris nomine di-
 gnatur, & longē fidelius illi per omnia adhæret, atq;
 Paulo Iohan. Marcus, uir excellens futurus Helifæus.
 Quare patre illo deceſſuro filius ac miniſter rem lon-
 gē omnium preciōſiſſimam impetrat: Fiat quæſo, in-
 quiens, os meum duplex per ſpiritum tuū ſuper me:
 hoc eſt, fiat, ut dato mihi tuo ſpiritu, duplo liberius &
 potentius aduerſum malos agam, atq; tu egifti. Quæ
 petitio totum ſemel hominem nobis depinxerit. Vi-
 debat opus eo fore, ad oppugnandam impietatis ar-
 cem, Eliā ſublato. Homo dei uitam omnem eo deſtina-
 rat, ut dei unius gloriam tueretur, uel ſui corpusculi
 diſpendio. Vtriuſq; miracula imitari, in nobis ſitum
 non eſt qui ſingularem ſanctorum hominū pietatem
 exoſculamur. Tantus hic eſt, ut mortuus ædat mira-
 cula, non uiuus tantum. Obſerua, nihil commercij
 Helifæum cum rege impio habere uelle, adeo ut ne
 intruſi quidem eum dignetur, ne communicaret ope-
 ribus eius malis, quemadmodum Iohannes ait. Sed
 propter bonum Iofaphat cauſæ a deſt. Certē enim ui-
 tandi pijs ſunt, tum relapſi à ueritate dei, tum flagitio-
 ſi fruſtra moniti fratres, Mat. xvij. i. Cor. xv. ij. Theſſ.
 iij. Viduā afflictam beneficio non uulgari ſubleuat,
 quando eam & ditat, & ditatæ conſulit. Ecce charita-
 tem eximie neceſſariā. Mox Sunamiti, à qua ipſe be-
 neficio affectus fuerat, geſtit etiam remeriri benefi-
 cij: nec quieſcit, donec penſarit, atq; hoc duplo. Ecce
 gratitudinem incomparabilem uiri probiſſimi. Simi-
 lem huic gratiam Loto Angeli hospites retulerant. Simi-
 lem item exploratores mulieri Rahab, Tantum
 meretur uel in hoc ſæculo hoſpitalitas liberalitasq;
 Porro multiplicat charitatis officia, quando tam be-
 nigne famelicos exatiet, leproſum operante deo cu-
 rat, munera nō accipit: ſecuritan amiſſam pauperi reſti-
 tuit.

C 3

tuit, &c. Per quæ illustrat pariter diuini nominis gloriam, & auget discipulorum cœtum. Adde his, quod regem Israël inimicum licet, consilijs iuuat, quod captos Syros, hostes nimirum, non percuti, sed parci iubet. Audi maiora: Obsidionem ciuitatis, in qua erat, & è qua petebatur, nihil curat, ministrũ desperantem erigit. Noli timere, inquit, plures nobiscum sunt, quam cū illis. Orat deniq; quod orat, impetrat. Ecce igitur uiri fidem in tentationibus robustam, adamantinã, inuictam. Quæ putas confidentia, quæ salutis certitudo est, dum spiculatorem aduenturũ sentit, nec fugit: Quæ longanimitas, dum regis minas non solum perfert, uerum etiam querulorum murmuratorumq; & blasphemorũ sacrilegas uoces audit, misfitat, deuorat: Quibus tamen postridie, quantum in ingratum ac malis, calamitatem mutaturũ iri pollicetur. Papè, ut eadem est Dei patris, & filiorum germanorum natura: ut eadem uoluntas: Atque eam rem regenerationi debemus. Insuper & prophanis gentibus, rogatus, affabilem sese exhibet propheta, sed in ipso statim sermone sistit componit que uultum, hoc est, fixum tenet, dũ erubesceret & fletet. Qui gestus, affectus uiri diuinos nobis repræsenterat, & plus indicat, quam nos aut scrutari possumus, aut etiam debemus. Forte pectus amore ac commiseratione ciuium liquefcit, sicut & domini Iesu apud Lucam & Iohannẽ, turbatur spiritu ad lachrymas usq;. Tandẽ egrotans obdormit uir dei. Egrotant enim & sancti, & nõ sine fructu, ut Ezechias rex, Daniel, Timotheus, Epaphroditus, *μαθητήρια* illa apud Ioppen, &c. Mirũ uerò est, Helisã sicca morte extinctũ, cuius sanguini tot insidiabantur. Sed hæc est ala protegentis dei Israël.

I H V.

4. Reg. 9 AD regni administrationem, ut pleriq; alij, uocatus Alehu, ultor innoxij sanguinis seruatorũ dei, deleter Baalitarum, uir fortis ac uehementissimi spiritus zelig;

litq; Veni, dicit ad Ionadab, & uide zelum meum pro domino. Sed nihil in impios molitur, nisi iussus. Vafricie pia, aut si mauis, innocuo mendacio pro necessitate utitur. Quemadmodum & Dauid in Nobe & apud Achis. Tale quippiam fecere Pharaoni obstetrices Ægyptiæ, timentes deum. Sic ferme Herodiã Magis illufum. Cæterum quantumuis Boalim infestus Iehu, uitulos tamen aureos & ipse adhuc coluit. Quo in scelere si mortuus est, ex hoc catalogo eum radendum existimamus.

PROPHETA Inunctor Iehu regis.

Nonymus ille nobis traditur, unus uidelicet è filiis prophetarum, quos Helisã cœnobitas & ueluti discipulos cohabitasse legis, adeoq; omnium afflictionum magistri sui socios. Id quod uel hinc eniret, quod hunc Misga amentium more se habentẽ, aulici appellant, peculiari nimirum uerorum prophetarum eognomine, ut uides Ierem. xxix. Apud Oseam duos habent titulos æque scilicet honorificos: nẽpe hunc, & *Iseb baruah*, quod Græci *ἰσὴὴ βαρὺαβ* dicunt, hoc est, qui spiritu feratur: nos dementem.

IOAS.

REx Ioas facit rectũ corã domino, cūctis diebus, quibus eũ docuit Ioiada sacerdos. Excelsa tamẽ nõ abstulere, ipse uidelicet & sacerdos, ne de solo rege intel ligas, sicut supra legebas de Assã. Neq; uerò ipse aut Ioiada in excelsis sacrificasse dicitur, sed uulgus. At tamẽ in hoc uterq; peccauit, quod, se uiuis, nephastan tũ cõmitteretur. Prohibuisse quidẽ credendi sunt, sed manu regis ad hoc, nõ uerbo dũtaxat sacerdotis opus fuit. Verum nos, quatenus Ioas tale fecit, in diuos eũ nõ referimus, maxime, cū & prophetã deinceps occiderit: quo nullũ maius flagitiũ à rege isto admitti poterat. Peccatũ in sanctos cadere potest, impietas ac uaticidiũ nõ potest. Illud uerò in Ioa miramur, illud laudamus, quod ita sese doceri p̄tificẽ opt. finit. quod in

C 4

reficiendo templo tanto impendio tantoq; studio defudat. Iniquitates ipsi abunde habemus, propterea in alijs non quarimus.

ZACHARIA.

2. Par. 24

Propheta spiritu dei indutus, ruit in mediam idololatrarum turbam & inquit: Cur transgredimini praecepta dei, quod uobis male cederet? Sed iniquè ferentes ueritatem, correptorem iuxta ac confessorem prophetam lapidibus obruunt, qui animã simul & hanc uocem efflat: Videat dominus & requirat. In templo hoc factum, loco scilicet apto. In templo quoq; iugulatus est Thomas apud Cantuariam. Nos Ecclesiastæ nondum ad sanguinẽ restitimus idolo auaritiæ. Cætera taceo. Plagas, stigmata, lapides, lacrymas, Paulinam nuditatem, hac ætate nondum uidi.

Ibidem.

EZECHIA.

2. Par. 29

Regum omnium specimen egregium Ezechias. In domino Deo Israël sperat, & facit rectum, adheret domino, nec discedit: seruat legem, in omnibus prudenter agit, adeo ut nullus eum; post Dauidem, spiritu, fide, probitate æquet, nec æquarit. Illud multo præclarissimum, quod tanto studio replũ execrabili sordium colluue uacuefactum cupit. Nec cessat, dum dei cæli sacra uindiceret. Mundate, ait sacerdotibus, domũ Domini. Ad hæc scribit literas ad tribus, rogans, præcipiens, suadens artificiosulè, ut ad deum, dijs relictis, redeant. Sed risum ac uituperium promeretur inde pietas. At ipse bene operando non defatigatur, donat in rem diuinam plurima, laudat, orat, gratias agit, Super hoc tam eximio negotio in Paralipo. multa. Is uerò cum sit, & talia operetur, pressurã in mundo habet, necesse est. Ideo imponit Assyrium super caput eius Dominus, hoc est, affligit ut tentet, usque cordis secreta patefiant, Deut. viij. & Iudic. ij. & iij. Vide autem, qui sese in tempore tentationis gerat, non offenditur, non recedit temporarius, confitetur.

Ibidem.

2. Par. 30. 31

2. Par. 32

uerò

uerò palam: Peccaui, inquit. Et misso auro pacem quarit, tam se quàm templum defraudans. Vetat responderi impio oratori Rabsacæ. Cur enim Christus Herodi frustra respondeat: Iam negata pace scindit uestes, & indutus sacco templum ingreditur. Præterea mittit ad prophetam, literis ab hoste acceptis, expandit se coram Domino, fiducialiter orat: Salua nos, dicens, de manu eorum, ut cognoscant omnia regna terræ, quia tu es dominus Deus solus. Et feliciter exauditur. Exemplum hoc orbis ceteris admonuimus, iisdem uerbis & eadem fiducia oportuit nos quoq; defensionem aduersus impressionem Turcicam a deo postulare. Abiam & Assa reges non satis alioqui probati, fide tamen & oratione magis quàm armis usi, hostes fudere: nostri uerò quia confidunt in munitioibus & thesauris suis, capientur. Et quia in arcu sperant, in equo & in gladio occumbent. Cuius rei periculum fecerat in monomachia Dauid Psaltes. Cæterum, quemadmodum ab homine imperitus ad orationem ascendit sibi diffidens: sic a Deo uisitatus, ad deum it orans, lacrymansq;. Qui enim labi poterat, qui uocationẽ suam tam firmam fecerat? Nimirum pie, iuste, & sobrie uiuens, Id quod non iactat, sicuti Phariseus, Sed tamen in tentationis actu fit, ut sanctissimi quiq; integritatem suam uel inuiti, parcius licet, attestantur. Cuiusmodi in Dauide notissima: Si est, dicit ille, iniquitas in palmis meis. Item: Custodiui uias eius, nihil impiegeisi a deo meo. Et rursus: In innocentia mea ingressus sum. Et alibi, Mandata tua custodiui. Sic Caleb: Plane secutus sum dominum Deum. Sic Iob: Ut sciat Deus integritatẽ meam. Huc pertinet, quod Israëlita dicere docetur: Obediui, &c. & feci omnia, sicut præcepisti mihi. Sic Ieremias de uerbis: Quod egressum est de labijs meis, rectum est coram te. Atq; hinc de

4. Reg. 18

Luce. 23

Iere. 4. 8

Psal. 42. 43

146.

Id est, singulari certamine.

2. Petr. 2

Titum. 2

Psal. 7. 16

Psal. 25. 118

C 5

bona puraq; conscientia toties gloriatur Paulus, quæ habere uulgus istud pseudeuangelicum non potest: quippe fide tumens hypocritica, & rectoris uitæ negligens. Attamen & tam multæ probitatis uiri peccatum in Paralip. tectum non relinquitur. Sed operę pretium est, illud quoq; dicere, Ezechiam uidelicet re ualuisse curatū. Sed textus habet: Ecce ego, dicit Dominus, medicus tuus. In hoc rex confusus, pristinæ sanitati restituitur. Neq; tamē minus patitur medicum hominem Isaiam, qui ulcus cataplasmate siue malagma de pellit. In hoc, id est, medico homine confusus rex Assa perit. Valerudinarius medicum consule, deo fide. Creauit enim illum Dominus. Et Paulus medici uice nonnulla *γυναικί* filio scribit.

IOSIAS.

Longe laudatiss. Indaicę gentis dux. Qui quod bonū est corā domino facit. Nec declinat uel ad dextrā uel ad sinistrā. Qui puer etiānū patris sui deū querere incipit. Qui Ioā quoq; secutus, tēpli fartate cta re staurari mādāt. Hoc rege in lucē subito profertur

διωτηρονεπισημ. Quo rex comperto mire obstupescit, & tremens, quid facto opus sit, dominū consuli iubet, dolens insuper maiores tantū librum in pretio non habuisse, unde irā dei exardescētē intelligit. Adeoq; Hulda dicit, emollitum cor eius, humi prouolutum, illachrymarum. Et quis nō miretur hominis tam ualde pij pietatem, affectus, gestus: Quis non adoret in eo spiritum domini? Heu nostram disparitatem, qui saxo quouis duriores, neq; sacris permollimur, neq; fratrū nēcessitate tangimur. Ultimo loco uide, quā graui consilio erubescendam idololatrię sentinam submouere decernat, & quā serio quāq; intrepide alter Hercules augiæ stabulum repurget, atq; omnia in suum statū redigat, Ezechia hac in re non paulo superior. Vindex Theolatrię syncerus hodie nullus ferē est. Papismi uerō propulatores complurimi.

Interitus

Interitus huius regis dignus uidebatur, quem lamentaretur Ieremias. Reges illos optimos mortificauit quotidianus luctus, ac desyderium pro deo, & exulcerauit nephariorū idolorum abominatio. Quantum quæso, uoluptatibus datum ab ijs credis, qui nisi mæcere stercq; nihil potuerunt?

HULDA, Prophetissa.

Consulta uaticinium de Ierosolymę per Chaldeos excidio reddit, & mali causam adiciens: Quia, inquit, dereliquerunt dominum, & adoleuere dijs alienis. Durabit prophetia, uę ijs, in quos ceciderit. Nam dijs hoc seculum nondum ualedixit, & innoxium sanguinem effundere quotidie pergit, quapropter ad misericordiam seesti recusat dominus. Ieroboam, Achab, Achas, Manasse, sicut uas figuli conterentur, & sicut lutum platearum delebuntur calcabunturq;: sic Iezabel, Athalia, & id genus androgyni.

ZEROBABEL.

Priniceps reducis populi, uir suspiciendus, cuius amplitudinem simul illustrat & declarat pietatem ingens in extruenda domo dominica labor, quam in cinerem Chaldæi uerterant. Antea Ioas, Iothan & Iosias rupta modo sarserant: at hic de integro reedificat, monentibus eum prophetis Zacharia & Haggæo, atq; deo ipso excitante. Nec curat idem aduerfariorum machinationes quantumuis improbas. Quæ res fidem uiri & amorem erga deum flagrantem non obscure indicat Porro eandem laudem meretur pontifex Iosua synchronus.

ESRA.

Sacerdos dei cæli, & expeditus scriba in lege Mosis Esra, cui rex plurimū fauet, sicut & Danieli huiusq; socijs. Pręterea cor suū ira comparat, ut scruteretur legē domini, utq; & faciat & doceat statutū ac iudiciū. Atq; adeo in hoc omnis est, ut per Iudę fines euulgetur ac instituatur, quod non tam ad amplificandum quam ad innoquandum

1. Esra. 8 ad innouandum dei sui cultum pertinere uidebat, Breuiter patriam repetit in timore dei, in ieiunio, afflictuus, orans. Illud indignum quod præteream, nempe tam generosæ eum mentis esse, ut à prophano rege suppeticas petere nolit, ne deo suo diffidere uideatur. Quà, rogo, tam fortis fides non perrumpat: Neque uerò hic tentare deum existimandus est. Quale enim probrum dei in gentibus, si petijisset: Nam ante dixerat regi: Manus dei nostri super nos &c. Huic innitebantur, in hunc animos suos conijciebant, unde saluos remeasse legis. Brachio carneo, hoc est, arundineo baculo opus Mosi in Arabico sinu non est, nec in Iosua. Non tentat deum, qui certæ promissioni credens, nec hæsitans, omnem iacit aleam. Præterea hominis incredibilem, peccati causa, tristitiam confideremus: Mox enim ubi resciuit fordam Iudæorum & allophyolorum commixtionem, scindit pallium, uellit caput, uellit barbam, confidet macrens, ieiunat, affligitur, genuflectit, expandit manus ad dominum, & cum lachrymis orat: Domine confundor & erubescō leuare faciem meam ad te, &c. Bone deus, quantæ illorum hominum acerbitates, quanti cruciatus, quantæ denique mortes: Quàm plane cum deo unitum, inque deum transfusum pectus illos habuisse necesse est: Ut tantum non ægrotant, ut tantum non exiccantur ossa eorum, quoties uel uidere uel audire in populo uitia coguntur pij: Vnde in cremū secedere Ieremias exoptat, ne abominationes uideat, uir nimirum impatientissimus doloris, cuius lachrymę ne noctu quidem quiescunt, Cap. xiiij. Nec tacendum est sedulum docendi studium & ardor quidam in Esra. In lignea enim turricula ad id operis, fabrefacta stans (quo latus uox deuolaret, & ipse magis esset conspicuus) utrinque doctorum hominum turba septus, collecto populo legit legem dei. Sed qui legit: Plane & apposite ad intelligendum, Quàm diu uerò hoc: Num horulam?
- A^o matutino

A^o matutino in medium usque diem, & post quater in die. At qui se in ea concione gerit auditor populus? Arrectis auscultat auribus, intelligit, sublatis in cælum manibus respondet, Amen: procidens in terram orat, & in tam sancto negotio illachrymatur. Quo quæso spectaculo, quid incundius, imò quid utilius? *Ibidem.* Ceteri sacerdotes & Leuitæ, uiri religiosi, huc & ipsi omnia destinauerunt, ut res diuinæ redingrarentur.

VITA ET OBITVS

DANIELIS PROPHETAE.

Ex Epiphanio.

Daniel propheta è tribu quidem fuerat Iuda, genere patritius, optimatumue regie administrationis filius, adhuc admodum infans pufio è Iudea in Baby Iona perductus est. Pronatus autem in Berthebero superiore non porro ab Hierosolymis. Et ea semper fuit uir ille modestia ac probitate. Ut eunuchum putarent eum esse Iudæi. Magno mærore eiulauit urbem Hierosolymam, ita porro à canabulis genio nihil indulfit, ut ab omni genus cupedi facile temperarit. Vir idea quidem, siue aspectu aridissimus, at qui in fauore domini perquam speciosus: plurimas fudit preces pro rege Nabuchodonosor, quum factus esset brutum ac pecus siue iumentum, quo non perderetur. Præferbat enim anteriore parte, pariter & capite bouem, pedibus uerò & posterioribus leonem. His quippe optimates eorum plerique omnes in iuuentute sunt præditi, ut instar bouis de iugo nascantur Beliar uoluptatis, desideriorum gratia. Deinde bestie tandem fiunt, nempe prædones, uariatores, percussores. Cognouit itaque Daniel uir sanctus, quod (more bouis) fœno uesceretur, & destinatus est illi inhumanæ naturæ cibis. Quocirca Nabuchodonosor à flagello sibi hoc misso, retinens etiamdum in corde suo humanum sensum, ingenti luctu percussus eiulauit. Supplicabat que deo diesque noctesque quadragies, implorans Beemon,

emō ritus satā, & celabat eū quod natus fuerat homo. Linguaq; eius ligata hæserat, ne uerba faceret, & nox brui dedicata est ei. Et reddita sunt perinde ac caro, a continuo eiulatu, pleriq; uerò summi magistratus simul & ciues, uisum eum, urbē egrediebantur. Solus Daniel illum uifere detrectabat. Proinde ubi Nabuchodonosor transformatus est, assidue precationibus uacabat nomine eius, dixitq; fore ut iterū hominis formam indueret, principatusq; sui gubernacula resumat. Neque quisquam Danieli fidem habere ambigebat. Septem porro annos quæ illi septem tempora Daniel prædixit, supplicationibus ipse suis super eo ad dominum in totidem menses commutauit. Mysterium certe septem temporū super illo consummatum est, quod mediator septem restituit. Sex itaq; annos & totidem menses supplex precatus est dominum deum, & confessus est impietatem suam, & a remissione sceleris sui, principatum illi Deus restituit. Ex eo igitur tempore neque carnibus uesci, neque temeto potari unquam uoluit, confitens usq; Deo, eo quod Daniel sibi mandauit, in leguminibus uiridibus uel aut irriguis dominum posse propitiari. Proinde Nabuchodonosor, indidit prophetæ appellationem Baltasar, iuxta nomenclaturā unigeniti filij sui. Volebat ad hæc Danielelem cohæredem constituere pignoribus suis. At prius ille uir inquit, Arbitrari me maiorum hæreditatem repudiare, & non circumcisorum hæreditati ad hæerere. Designauit complura præterea inter reges Persarum miracula, quæ hoc cæne quidem uolumine annotata non sunt. Cæterum in libro Danielis prædicta scriptis comperiuntur. Ille propheta in celsis montibus Babylonis montem annunciauit & exhibuit, dicens: Vbi cernitis montem ex parte Boreæ fumo denigratum, pro foribus Babylonis terminus imminet. Quando uero isthunc flagrantem igne uidebitis, aderit totius orbis terrarum

orbis terrarum finis. Sed quum ad meridiem montes aquas propellet, remeabit populus in patrium solium. Et condetur Hierusalem latè, campoq; capaci ori, perinde atq; factum est etiam per Iesum pontificem pariter & Zorobabel natum Salathiel. Quod si deniq; mos iste cruentus sanguine manat, stragem portendit ipsius Beliar in uniuerso terrarum orbe. Aderit autē dominus humana natura indutus. Tunc igitur Babylone ex hac uita discessit Daniel uir sanctus in pace. Et humatus est honoribus magnis, in augusta cauerna. Extat monumentum ipsius usq; ad hoc seculum nostrum, lippis omnibus & tonsoribus notum in Babylone.

EIVSDEM VITA.

Ex B. Isidoro Episcopo &c.

Daniel de tribu Iuda, genere nobilis, princeps omnium Chaldæorum sacerdotum, regumq; profapia, & florens patriæ nobilitate. Hic sub Ioachim rege Iuda, post excidium Hierusalem, cum tribus pueris admodum puer, in Babylonem translatus est. Vir gloriosus, & ad aspectu decorus, mente humilis, corpore castus, perfectus in fide, egregius in opere, in uirtute summus, in prodigijs clarus, terribilis, insignis cognitor secretorum cælestium, præsciens futurorum, uisionum interpres. Qui continuatis ieiunijs & orationis instantia, futura prænoscere meruit sacramenta. Hic inter cætera uisionum mysteria, his uirtutum portentis, atq; signis effulsit principium, sceleratorum femini iudicia reprehendens. Castitatē sceminæ reuelauit, tribus hebdomadibus dierum exorans, pro populo ieiunauit. Simulachrum Bel, diuinę aspirationis argumentis elisit, Draconē Babylonię, numen eiusdem gentis, ossa, pice, adipe capillorum confecta, diuinę mentis instinctu, incredibili admiratione dirupit. Et in lacum missus, rabiem mitigauit ferarum: atq; uirtute animæ fortis, inter frementes, securus epulatur

epulatur leones. Hunc Darius, postquam Babylonium subuertit imperium, honore maximo habitum secum tulit, & in Mediam abduxit. Qui etiã fertur dedisse signa in montibus super Babyloniam, dicens, Dum montis arborea fumauerit, finem instare Babylonie: dum uisi fuerint incendijs conflagrare, finis erit totius mundi. Idem, dum ad Parthiam non defluerit Tigris, regressio erit populi ad Hierusalem. Vixit autem usq; ad tempus Darij regis Persarũ, annis centum decem. Sepultusq; est iam senex in spelunca regia solus in captiuitate cum gloria.

NEHEMIAS.

Id est, pincer na.
2. Esra. 11
2. Esra. 2
Ezech. 9
O Inochos, Nehemia, in impia regione pius, interq; spinas rosa, sicut & ceteri aliquor electi, qui in idolatriã seduci non poterant, pulli uidelicet gallinæ alis recti. & in manibus pastoris conseruatæ ouiculę. Hic amore fratrum flagrat, & nihil eum perinde angit, atq; reuersi in patriam populi casus. Vide enim, quã sollicitè pro huius salute rogitet, quã uehementer percellatur comperta fratrum aduersitate, quã fleat, lugeat, ieiunet, oret. Deinde non potest non uultu prodere, quod sese maceret, nec id uerbis negat. Quir inquam, non tristis appaream? &c. Hypocritam hodie clamitant, qui retriçus incedat, uaria rerum discrimina, multiplicia nostrę religionis incommoda, & super cunctis abominationibus dolens gemensq;. Qui uerò explicata fronte est, qui cuius arridet, qui configuratur sæculi huius moribus, qui nihil nõ probat, is est Christianus scilicet. Ne uerò putes simulatũ dolorem & mœstitiã aspectu ementitã, en tibi ueritatis testimonia. A rege enim dimissus, redit in patriã consolator suę gentis, extructor urbis, & numẽ aliquod. Et quemadmodum Esra templi, sic Nehemia restaurandæ urbis gratia, patriæ terræ redditus uideri possit, hoc est, alter synagogæ, alter Reipub. gratia. Quo quid maius, aut toti orbi salubrius esse possit, non uideo

deo. Afflictionis ubiq; plurimum, item opprobrii & risus satis suffert propter honestum ædificandi studium. Quin etiam uirtute ad fastigium gubernationis euehitur Nehemia, & sapientia eõ uenit, ut latis legibus mala coherceat, utpote usurã, proprii commodi studium, rapacitatem, & similia. Bonitate quoq; rara pollet, dum annonas præfidibus debitas non exigit, dum non plebeculam grauat, nec expilat, dum non in eam exercet tyrannidem. Quid attinet hic huius temporis harpyias, atq; sanguisugas ad id exempli uocare, cum huiusmodi audire aures suas nõ docuerint, sicut nec Exod. xvij. Verum si quis regis ius ethnicum eĩ. Reg. viij. depromat, & censum Cæsaris al leget, mirũ, quã talpa etiam liquidius illic audiant, alioqui surdi. Deinde uarijs technis tentatur Nehemia, ut cœpta relinquat, sed seipso fortior fit indies, nec uel tantillũ remittit operis. Sunt & alij nonnulli in hoc album asciscendi, maximè Hanania ille, quem 2. Esra. 7 dixit fide & metu dei cæteris fuisse præstantiorem. Omnium communis erat conatus, ut reuiuisceret refloresceretq; neglecta religio. Nec nos hodie alia cura torquemur.

ESTHER.

Esther. 2
Xul Esther non modo, sed & orphana, uirgo Naia Edum pulcherrima, morib. optimis prædita, nõ sine Dei cõsilio uxor regi, hoc est, infideli fidelis ducitur. Et cum primis laude ferenda est iuuenulæ uirtus, qua tacere potuit, qua item ornatũ respuit, nimirum sic præmunita ac ficta ab institutore opt. ac clariff. Idem fidem Dei probè docuisse, inq; timore & disciplina eam educasse existimãdus est, idq; inter ipsos idololatræ, secundum illud Deut. Docebis ea filios ac nepotes tuos, &c. Si pertinax Rechabitarum obedientia apud propheta collaudatur, quis huius constanti obedientiã laudem detraherit? Et quę apud regē ignõta ac timidula tacere potuit, collige, qui sese

alibi gesserit. Quæ patri uoci tam obnixè obtempè-
rât, quàm, putas, ad uocem dei tremuit. Iam uerò in
regiâ tracta, atq; honorata diademate, non mutatur
Gen. 39 Abrahæ filia, sicuti nec in aula Ægypti Ioseph, nec in
Danic. 5 Babylonij satrapis Daniel. Quinetiam fratres Iudæ-
os, filios mortis, sui capitis periculo liberat. Id quod
uel ingeminatū pereundi uerbū illud declarat, senti-
ens nimirū, quod quidam ex gentilib. dixit: Si pere-
o, manibus hominū perijisse iuuabit. Nō sibi regina est,
sed alijs. Alijs inquam, salutare sydus, uitæq; mater.
Paucula in Apocryphis adiecta, subnotabimus.

MARDOCHAEVS.

Esther. 2 **I**udæus pius & æque bonus ciuis Mardochai, Is in
exilio ita uiuit, ut qui obloqui, & bonam eius in-
cessere conuersationem uelit, pudefiat. Idem pæ-
dagogus Esther uirgunculæ, & alumnus. Quod u-
trunq; satis arguit hominem optimum. Deinde uir-
ginæ pudicitæ custos peruigil est, post raptam in-
sequens, ante gynecium, in quo adseruabatur, obam-
bulans, anxie sciscitans, si qua accidissent. Iam quod
ad suam ipsius uitam attinet, indignum ducit glorio-
siss. illum satrapam, cui genu flectat, Dei nimirū uni-
us cultor. Qua ex pierate, cum illi, tum illius gratia
toti genti malum ilico nascitur quidem, sed in hostis
caput redundat. Atq; hic uides summam uiri charita-
tem, qua fratribus ter miseris condolet, ita, ut cultum
quoq; mutare eum interior mœror amaritudoq; co-
Esther. 4 gat. Nec id solum, sed & in publicum prodire, uoci-
ferari ac eiulare: hoc est, testari incredibilem animi
tristitiam. Præterea haud quaquam quiescit, dum eru-
ditiss. sermone, reginæ persuaserit, ut à rege gentis sa-
lutem impetret. Breuiter nihil non laboris ac peri-
culi subit, quo fratres calamitosos iuuet. Verū sicuti
sol pluuiam, ita tristitiam lætitia insequi solet. Iudæus
exehitur, Agagita deijcitur. Dominus enim est, qui
humiliat lignū sublime, & exaltat lignū humile: siue,
ut Dauid

ut Dauid psallit, qui humilia respicit, & alta à lōge co-
gnoscit. Dominus est, qui erigit elisos, qui diligit iu-
stos, qui custodit aduenas. Breuiter, Dominus est, qui
redimit nos ab inimicis nostris. Quæta uerò futuræ ui-
tæ gloria, si tã eximia in hoc mortalitatis oceano cōtin-
gere piō potest: Obserua hūc iā heros, in sua illa fan-
ctione ad Iudæos, & pauperes donis subleuandos edi-
xisse. Eo pacto memores pauperū erant Apostoli.

IOB.

Vir intēger & rectus Iob, & timens deū, malūq;
uitas. Quæ cōmēdatio omne pietatis atq; uirtutis
tū genus cōprehēdit. Prima cōmēdationis par-
te per scripturā nihil tritius. Quemadmodū & illud,
Bonus & rectus. Iam qui deū timet, declinat à malo,
Prou. xv. Atq; adeo timens, credit, sperat, diligit. Sy-
rach cap. ij. Talis uerò Græcis *σωφρονης* dicitur. Præci-
puā autē operā pius ille in pædagogia collocat. Cōui-
uatores liberos sanctificat, proq; illorū delictis offert
orātq; nō tam pater quàm sacerdos, hōc est, bis pater,
Non nescius, perraro epulari homines sine peccatō
posse. Cuiusmodi superstitionē magis quàm religionē
à nostris iudicari cōstat, qui nihil horū curant. Nemo
nescit, quid *καυτοι* in Paulo sint. Præterea per omnē uitā
integerrime se gerit, erudit plurimos, oculus est cæco,
& pes claudō, pater itē pauperū, cōsolaror in cœrentiū.
Audi plura: In manibus eius nulla macula, omnib. æ-
quus, egenis nihil negat, solus nō comedit, hudū ue-
sit. Diues diuitijs nō fidit, sed Deo: nec inde sibi gau-
det, inimico amicus, nulli malus peregrinos hospitio
colligit. Sūmatim, Tã sancte uiuit, ut se cor suū in om-
ni uita nō reprehēdat, tametsi in hoc non iustificatus
Vbi uerò peccat, haud quaquā cecat. Quo fit, ut nō in-
iuria inter iustos numeretur uir ille, Ezech. xiiij. Verū
quia talis est, afflictio nō tardat: in iustis interim in o-
pulentia florētibus. Permittitur ergo ad dinexādū tē-
tandūq; iustū Satā, ut fieret iustior, & ex puro purior.

D 2

Diuexare autem eum, nisi quantum ad externa illa, & ab homine aliena, non potest. Nihil enim de se amittit, qui liberos, ædes, iumenta ualitudinem amittit, id quod piaculū est, Philosophos credere, Christianos non item. Vnde Iob quoque non magnificat rerum omnium iacturam, sed pulchris etiam apophthegmatibus semet solans: Nudus, inquit, exi ab utero matris, &c. Itē: Dominus dedit, dominus ademit. Et rursus: Bonum equidē à Domino accepimus, malum autem non accipiemus? Quid, quæso, huic addi possit? Nec sat aduersitatum tulerat, ni & Xantippæ suæ & amicorum ferret importunitatem. Quo fit, ut in exemplum patientiæ illustrissimum accipiatur, Iacob v. Nos gentibus Vlyssæ sufferentiæ *ἰσχυροῦ* libentes concedimus, de qua poëta: Exemplum est animi nimium patientis Vlysses, Iactatus dubio per duo lustramari. Pudeat uerò rapaces & usurarios, & negociatōres, atq; id genus Ecclesiæ dedecora, suam auariciam Iobi huius patrociniō defensare. Cuius farinae sunt bibuli quidam fratres, qui quories se ob hoc argui audiunt, Christū obijciunt uinipotorem. Eō scilicet inscripturis sanctis profecere nostri homines.

TOBIAS.

Tobi. 1
Id est, uitulo
rum cultu-
ram.
Id est, idolo-
thya.
Psal. 33

Inibus extorris quidē Tobia, inq; terra aliena degens, ed tamen ueritatis uiam haudquaquam deferit, imō *μωρολογία* diligenter uitat in Iudæa, in Assyria uerò *εὐνοία* horret. Eleemosynas multas quotidie facit, filium ab incunabulis timere Deum docet, recta monet, consolatur alitq; uiuos, mortuos condit polinctor sollicitus. Sed quia iustitiæ aduersitas comes esse solet, pro benefactis malum accipit. Occidendus fugit, sed non longe post redit. Multæ quidem tribulationes iustorū, & multo ubiq; sale igneq; saliuntur, atq; explorātur. Sed tamen est, qui acre temperat, faciens nimirum cum tentatione exitum, ut sufferre ualeant. Verum alia exeunte, alia uenit. En igitur oculis

tur oculis captum, en ab uxore afflictum adeo, ut morti eligat. Vide interim, ut beati illi homines orent, ieiuent, in luctu ac tremore uiuant. Cū primis uerò legenda est iuuentæ nostræ *παιδεία* illa patris, sed Græce. Nam nonnulla in Latino desiderantur. Porro patrem proles sequitur. Eadem probitate est conobrinus Raguel, huiusq; filia Sara. Mores illorum ab Ethnicis diuersi sunt, iuxta illud: Nolite adsimilari eis. Vbique piē nomen dei usurpatur, glorificatur, rimetur.

IUDITH.

Id est, for-
Iudit. 8
1. Cor. 14

Mulier uerè (ut Lamuel ait, Hail) pia, doctaq; uiridua, ieiunijs & obsecrationibus Deo nocte dieq; seruens: deniq; conuersatione talis, ut nemo loqueretur de ea uerbum malum. Zelo feruet, libertate arguendi sacrificos ualet (tametsi id præter decorum) & docendi peritia præminet, cui sacrificus credere cogitur. Deinde pro salute gentis precatur cilicio tecta, clausa ac supplex. Quo immensa sanctæ fœminæ charitas elucet. Quin & capite periclitatur, atq; hostili sæuitiæ industria uirtuteq; resistit, donec iugum seruitutis à populo acerbissimum discutiat. Quo facto immortalitatis gloriam sibi peperit. Simili ratione nobis, qui Christiani dicimur, Assyrius draco, qui est princeps mūdi, petendus est. Sed heus Leuiathan est, quo nihil immanius, inuictiusq;. Quare diuino robore opus est, quod animo ad pugnandum alacri spiritus Christi præbet, cui bulla erat tota eius uis, Matth. iij. Dici uerò non potest, quàm planè dei præsidio, hoc est, fide, sui diffidentia, oratione, lachrymis rem peragat. Ea peracta, papè, quas benedictiones, quas gratiarum actiones, quas laudes, quamq; lætum præana deo recinuit, cui etiam totum negocium transcribit Hebræorum liberatrix, mulierum decus, uiorum calcar.

Iudit. 16

SOSANNA.

Dani. 13 **I**nstruta ac erudita secundum legem Mosi puella, mulier iam existens Deum timet, idē in impia Babilone. Præterea illegitimum seruat coniugij thori castissima matrona, moribus honestissimis, rebusq̄ omnibus ornata. Probari uerò eius fidem cōsentaneam erat. Ecce igitur procellam. Petitur ad scelus, recusat: cōdēnandā ergo sese audit, nihil curat, quippe mori malens, quā peccare. Rogata clamat, iuxta Deut. xxij. Acurfu facto silet, tāquā nō habens in ore suo redargutiones, uociferantibus in eā interim reis. **Psal. 37** **P**o mario castior exit, quā fuerat ingressa, sicut ex fornice Hagnes. Iā in iudicio grauiter accusata silet, suspiciens ac cōfisa Deo, qui audit gemitus cōpeditorum: quibz protector est in se sperantiū. Deniqz cōdēnata orat ad deū: qui uidet scitqz omnia, etiam occulta cordis, contestans suā innocentiam: quo fit, ut seruetur. **2. Pct. 2** Adeo nouit è tētatione eripere pios, piorū pater. Pari crimine absolutus Anastasius legitur, quū & ipse accusatus facinoris tam indigni se, sileret. Sic mulier septies percussa, apud Hierony. Non refert accusari, si sis innocēs. Cato gloriabatur etiā se sepius accusatū, sed semper absolutū fuisse. Adeo uerū est, quod quidā scripsit: Conscia mens recti, uulgi mendacia ridet.

ESTHER.

Esther. 14 **R**ebus in arctum contractis, lugubri cultu nestitur. Corpus ieiunijs humiliat, inqz seruitutē redigit, ad dominum confugit, orat, confitetur, queritur. Cōfidēs dicit: Peccauimus. Orans: Da mihi fiduciam domine, & sermonē compositū in ore meo corā leone. Item: Libera ancillam tuam, nullū aliud auxilium habentem, nisi te domine. Sic mox: Exaudi eos, qui nullam aliā spem habent. Conquerens dicit: Volunt claudere ora laudantium te. Audisti pietatem mulieris, cui aliquid addi posse dubjto. Communis uita syncerę pietati in uniuersum cōformis est. Vehementissime

mentissime odit sæculi huius delicias, pompas, lautitias, & hoc genus sordes. Nec ijs, nisi coacta, utitur regina, adeoqz quasi nō utatur. Non lætata, inquit, sum a die, qua huc translata sum. Vera hæc Christiani hominis uita est, in carne ambulare, sed secundū carnem non militare: in mundo uiuere, eoqz carptim ad necessitatē corporis abuti, sed non de eo esse, nec in eo lætari. Nam hospitium est, & commorandi, non habi tandi diuerforiū, quemadmodū gentilis etiā orator asserit. Talis ferē fuit Elizabetha illa *φιλότητος*. (Facilla etiā Augusta hac in re superior) quę & ipsa fastū illū & splendorē aulicū extremē detestabatur. Talis prope modū Kunegūdis. Et de Cecilia legitur, quod spōsa cilio ufa, desuper bysso ac purpura ornata apparuerit, quę alijs alia pro libidine canētibus in corde suo psallit. Fiat domine cor meū immaculatū, Circumi nūc or bē totū, & cōsydera si inuenias inter omnes *ισόψυχοι*.

Ibidem.

Id est, pauperum subleuatrix.

Id est, unani mem.

MATTHATHIAS.

Fidei eius uiri mirū robur, miraqz animi fortitudo. Fac potentia. Facta cōsydera. Hostiles blāditiā abscisso responso retūdit: Non audiemus, inquit, uerba regis transgressoris legis nostrę. Iā ubi uidet idololatriā, dolet ac adeo incandescit, ut renes in intimo contremant, sicut Athenis Apostolus. Autor est homo nobiliss. & armis tutandę rei Iudaicę & fessi Imperij status fulciendi. Quantū uerò periculi unus pro tota gente sustinuerit, ipsa hystoria abūdē docet. Nec eadē tacet morituri dicta præclarissima, quib. progeniē suā ad perseuerantiā auitę religionis inflāmat.

1. Mac. 2

Ab. 19

1. Mac. 2

IUDAS, huius filius.

Patrē uirtute etiā superat flagrantissimi animi iuuenis & planē gigas. Quā plurimū is fiducia in deo habeat, demonstrāt actorū exitus, ne dicā uerba, quibus suorum uires incendit: Ipse dominus, inquit, conteret hostes ante faciē nostrā. Neqz enim aliunde est ista uirtus, ista pectoris magnitudo, ista

1. Mac. 2

1. Mac. 4

Achillæ firmitas, præterquam à deo suo, quo fiffi, feruantur. A quo item copias petunt, cui uendicant uictoriam, & agunt gratias. Accincti ad aciem piè dicunt: Sicut uoluntas in cælo fuerit, ita fiat.

1. Mac. 3

2. Mac. 7

Ibidem.

1. Petri. 4

Iohan. 12

2. Thes. 1

CAETERI FILII.

Iudaico sanguine omnes æque clarent, & eodem ardore labentem religionem utcunq; restituant Iudæ fratres. Quibus gestis æternam sibi laudem parant. In horum indice ponenda est mater piiff. planctus mascula fide, cum septem filiis, qui sanguinem suum Tyranno hauriendum pro aris tradunt. Talia fermè de Felicitate muliere Christianiss. leguntur. Nec non de matre Symphoriani. Item de uxore Hadriani. Atq; ô fortunatam mortem, quæ naturæ debita, pro religione redditur. Nos igitur eadè cogitatione armemur, odientes animas nostras, ut inueniamus eas. Mors nobis uita sit, & contra uita hæc mors. Simus uiri, & fortiter dicamus: Est hic animus lucis contemptor. Sciamus Abrahæ finum dilatare sese, ut nos suscipiat filios. Sciamus generi Cereris præstolari suos quoq; & parasse, quo eos excipiat ignem æternum. Neque enim moriemur inulti.

Prophetæ

PROPHETAE, quorum extant monumenta.



Vocati missiq; à deo omnes illi, amici spiritui in mundum uenere, quibus tamen is indignus erat. Præsertim uerò in unâ Syriæ partè, quâ Palaistinâ uocamus. Venere uerò primû uates Messia ab alto exoritur. Nam huic omnes propheta testimoniû perhibent. Deinde doctores Synagogæ Iudaicæ, adeoq; monitores ac correptores. Postremo prænunciatores super gèrè istâ excidit, siquidè nō audirent, imò cōtra subsannatores erāt nūciorū dei, & cōtēptores sermonū eius, & illusores prophetarum eius, ij. Paralip. ult. Sic. iij. Reg. xix. Quo factū, ut pati eos oportuerit, & ad crucē pijs paratā, iter sternere. Sūt propheta Angeli dei, sunt serui dei. Amos v. Sæpius & uiri dei appellantur. Maxima deniq; illorū dignitas est, quòd Christus prophetarū dominus, propheta dici uoluit. Scripta illorū per se lucida, nobis aliquāto obscuriora sunt, quæ proprio, hoc est humano sensu enarrari non licet. Nimirū super quæ extructa est Ecclesia dei Ephe. ij. Lucem ijs pugnent Apostolicæ literæ, & historiarū omniū plena cognitio. Linguae ubiq; plurimū profunt. Aduersitates scholia sunt optima. Breuiter ipse in te sit spiritus oportet, idē animus, eadē mens, cuiusmodi illi habere, si germanè uoles singula intelligere. Cōmētarij ueterū ac recentiorū adhibēdi sunt quidē, sed ut cōmētarij, nō ut oracula. Semper ad rectius aspirādū, & ad perfectius enitendū. porro intellecti prophetæ in Ecclesia prælegendi sunt, nō secus ac Apostoli. Euan gelizant enim & ipsi regnū dei, & de salute animarū scrutatores eos Petrus scribit. Fulciūt fidē, uocant ad *τὴν πίστιν*, terrent, cōminantur, consolātur: & ut cōcludā, nostris moribus corrigēdis, siquid aliud, quam maxime cōueniunt. Faxit Deus Opt. Max. ut se sequamur unū, & cum sancto sancti reddamur: cui honor & benedictio in omne æuum, Amen.

Hebr. 12

Act. 10

Luc. 3

Math. 5. 25

Deuter. 18

2. Petri. 1

1. Thessal. 5

1. Petri. 1
id est, respici
scientiam.

psalm. 17

MARIA VIRGO THEOTOKOS.



Ita propè omnis Virginis deipare, præterquam quòd in sacris Noui Testamèti biblijs magna ex parte cõprehenditur, maiore ex parte cognosci poterit è descriptione Ambrosiana, qua mater illa domini nostri in exemplū totius pietatis ac uirtutis, muliebri sexui proponitur. Ob id uisum fuit, locum illū diui Ambrosij pro nostro hoc instituto, suis uerbis accerfere. Sit uobis, inquit, tanquam in imagine descripta uirginitas uitæq; beatę Marię, de qua, uelut speculo, refulget species castitatis, & forma uirtutis. Hinc sumatis licet exempla uiuendi, ubi tanquam in exemplari, magisteria expressa probitatis, quid corrigere, quid effugere, quid tenere debeatis, ostendūt. Primus descende ardor, Nobilitas est magistri. Quid nobilius Dei matre? quid splendidius ea, quam splendor elegit? quid castius ea, quæ corpus sine corporis contagione generauit? Nam de cæteris eius uirtutibus quid loquar? Virgo erat non solum corpore, sed etiam mente, quæ nullo doli ambitu, syncerū adulteraret affectum. Corde humilis, uerbis grauis, animi prudens, loquendi parcior, legendi studiosior, nō in incerto diuitiarum, sed in prece pauperis spem repõnens. Intenta operi, uerecunda sermone, arbitrium mentis solita non hominē, sed Deum quærere. Non lædere reos, benè uelle omnibus, assurgere maioribus natu, æqualibus non inuidere, fugere inconstantiam, rationem sequi, amare uirtutem. Quando ista uultu læsit parentes? quando dissensit propinquis? quando derisit debilem? quando uitauit inopem? eos solos solita cætos uirorum inuisere, quos misericordia non erubesceret, neque præteriret uerecundia? Nihil in oculis, nihil in uerbis procax, nihil in actu inuerecundū: non gestus fractior, non incessus solutior, non uox petulantior: ut ipsa

ut ipsa corporis species simulachrum fuerit mentis, figura probitatis. Bona quippe domus in ipso uestibulo debet agnosci, ac primo prætendat ingressu, nihil intus latere tenebrarum, ut mens nostra nullis repagulis corporalibus impedita, tanquam lucernę lux intus posita, foris luceat. Quid ego exequar ciborum parsimoniam, officiorum redundantiam, alterum ultra naturam superfuisse, alterum penè ipsi naturæ defuisse? illic nulla intermissa tempora, hic congeminationes ieiunio dies? Et si quando reficiendi successisset uoluntas, cibus plerumq; obuius, qui mortē arceret, non delicias ministraret. Dormire non prius cupiditas quàm necessitas fuit. Et tamen cum quiesceret corpus, uigilaret animus, qui frequenter in somnis aut lecta repetit, aut somno interrupta continuat, aut disposita gerit, aut gerenda prænunciat. Prodire domo nescia, nisi cum ad Ecclesiam conueniret, & hoc ipsum cum parentibus aut propinquis. Domestico operosa secreto, forensi stipata comitatu, nullo meliore tamen sui custode, quàm se ipsa, quæ in cessu affectuq; uenerabilis, non tam uestigium pedis tolleret, quàm gradum uirtutis attolleret: & tamen alios habeat uirgo membrorum custodes suorum, morum autem suorum se habeat ipsa custodem. Plures erunt de quibus discat, si ipsa se doceat, quæ uirtutes magistras habet, quia quicquid egerit, disciplina est. Sic Maria intendebat omnibus, quasi à plurimis moueretur, sic implebat omnia uirtutis officia, ut non tam disceret, quàm doceret. Talem hanc Euangelista monstrauit, talem Angelus repperit, talem Spiritus sanctus elegit, Quid enim in singulis morer, ut eam parentes dilexerint, extranei prædicaue rint, quæ digna fuit, ex qua Dei filius nasceretur? Hæc ad ipsos ingressus Angeli inuenta domi in penetralibus, sine comite, ne quis intentionē abrumperet, ne quis obstreperet. Neque enim comites fœminas desiderabat, quæ bonas

quæ bonas comites cogitationes habebat. Quinetiã
 tum sibi minus sola uidebatur, cum sola esset. Nam
 quemadmodum sola, cui tot libri adessent, tot Ar-
 changeli, tot Prophetæ: Deniq; & Gabriel eam ubi re-
 uisere solebat inuenit, & angelum Maria quasi uiri
 specie mota, trepida, quasi non incognitum, auditò
 nomine recognouit, &c. Hæc est imago uirginitatis.
 Talis enim fuit Maria, ut eius unius uita omnium di-
 sciplina sit. De eadem Deipara Maria semper uirgine
 Diuus Cyprianus in Sermone de Natiuitate Christi,
 sic concionatur: Veniunt in Bethlehem, quem præ-
 dixit Gabriel, inuenitur Emmanuel, ciuitas parua, do-
 mus pauperula, supellex exigua. Nulla domus am-
 bitio, nisi reclinatorium in stabulo, mater in fœno, fi-
 lius in præsepio: tale elegit fabricator mundi hospiti-
 um, huiusmodi habuit delicias sacræ uirginis puer-
 perium. Panniculi pro purpura, pro bysso in ornatu
 regio lasciuia congeruntur, genitrix est obstetrix, &
 deuorã dilectæ soboli exhibet diem telam: attrahat,
 amplectitur, iungit oscula, porrigit mammã, totum
 negotium plenũ gaudio, nullus dolus, nulla naturæ
 contumelia in puerperio. Pedissequas substantia fami-
 liaris non patitur, mancipiorũ obsequia sumptus te-
 nuis, & inops mensa excludet. Nullum domus arcta
 diuersoriũ occultabat, nec secreti recessus erant illius
 casulæ, in castraturam tectum, & soli parietes per cir-
 cuitum uestiebant. Næc locus ibi erat lauacris, quæ so-
 lent puerperis præparari, quippe nec aliqua naturæ
 iniuria matrem Domini læserat: quoniam sine tor-
 mento peperit, quæ in conceptione caruit uoluptate:
 & tamen consuetudinẽ sequens, ut legi satisfaceret,
 quasi cum alijs mulieribus esset ei in hoc opere ratio
 similis, diebus designatis recubuit, & depositi oneris
 lassitudinem professa oblatae quieti paruit: & in di-
 ebus separationis non se à thoro Ioseph, qui ea nun-
 quam tetigit, sed ab ingressu templi, & ceteris quæ
 lex pro-

lex prohibebat, continuit. Vltro matus ab arbore
 baiula fructus elapsus est: nec oportuit uellicari,
 quod sponte prodibat. Nihil in hac re petijt ultro:
 nec præcedens delectatio aliquam petijt pœnarum:
 usuram, spiritu sancto obumbrante, incendium ori-
 ginale extinctum est. ideoq; innoxiam affligi non
 decuit, nec sustinebat iusticia, ut illud uas electionis
 communibus lassaretur iniurijs: quoniam plurimum
 à cæteris differens, natura communicabat, non cul-
 pa. Eratq; ei proprium priuilegium, quod nulla mu-
 lierum nec ante, nec deinceps meruit obtinere, quod
 erat simul mater & uirgo singulis titulis insignita.
 Vnde & matri plenitudo gratiæ debebatur, & uirgi-
 ni abundantior gloria, quæ carnis & mentis integri-
 tate insignis, spirituali & corporali intrus, & extra
 Christi præsentia fruebatur, &c. His adde, quæ diuus
 Athanasius Episcopus Alexandrinus, de Theotoco
 uirgine Maria scripsit. Is enim diuæ Mariæ tantum
 laudis attribuit, quantum uix alius è Theologis græ-
 cis. Atq; eadem græce extant, nedum latinè. Quoties
 ibi sonat dominã? quoties reginam? quoties gratiæ
 plenam? Et hæc oratio Athanasiana, non in
 apocryphis, sed in Tomo indubi-
 tatorum scriptorum huius
 numeratur.

Andreas

DE SANCTIS

ANDREAS APOSTOLVS.

Ex Hieronymo.



Andreas frater Petri, ut maiores nostri prodiderunt, Schytis, & Sogdianis, & Saccis prædicauit Euan gelium domini nostri Iesu Christi, & in Augusta ciuitate prædicauit, quæ cognominatur Magna, ubi est irruptio Apfari, & Phasis fluius, illic incolat Æthiopes interiores. Sepultus est autem Patris ciuitate Achaia, cruci suffixus ab Ægea præfecto Ede senorum.

Ex Inuēco, Matth. 4. Præteriensq; uidet ponti per littora fratres, Præsolidum Simonem dignum cognomine Petri, Andreamq;, simul sinuosa uolumina lini Piscibus insidias disponere marmoris undis. Nunc, inquit, pisces capitis maris æstibus altis, Sed me si libeat sectari, fortia uobis Prouenient hominum perpulchra indagine lucra. Illi confestim firmato pectore certi, Retibus abiectis, pariter præcepta sequuntur. Post fratres geminos Iacobum Ioannemq;, marinis Insidias gregibus, maculoso innectere textu Ut uidit, similemq; dedit de littore uocem. Illi Zebedæum genitorem in puppe relinquunt Illico, sectantes pulcherrima iussa salutis.

Ex Sedulio. Protinus ergo uiros ex piscatoribus aptos Humanas piscari animas, quæ lubrica mundi Gaudia sectantes tanquam uaga cœrula ponti, Cæcæq; præcipites tranant incerta profundi, Discipulos iubet esse suos, talesq; supernæ Conciliat uitæ, quos non uentosa loquendi Gloria, nec uana de nobilitate superbus Sanguis alat, sed fama tacens, humilicq; refulgens Mente nitore cœlo faciat de plebe propinquos, Nanq; stulta potens elegit, & infima mundi, Fortia confundens, Deus, & sapientia perdens.

S. Hiero.

ECCLESIAE DEI.

S. Hieronymus ad Marcellā de blasphemia in spiritum sanctum, meminit Sancti Andree Apostoli in Achaia, & Thomæ in India, &c. Vrbs maritima in Pir centinis, Amalphis dicitur, in qua S. Andree sepulchrum uisitur. Hierony. aduersus Vigilantiū, de Reli quijs S. Andree sic scribit: dolet martyri reliquias pre cioso operiri uelamine, & non uel pannis, uel cilicio colligari, uel proijci in sterquiliniū, ut solus Vigilantius ebrius & dormiens adoretur. Ergo sacrilegi sumus, quando Apostolorū basilicas ingredimur. Sacri legus fuit Constantinus imperator, qui sanctas reliquias Andree, Lucæ, & Timothei transtulit Constanti nopoli, apud quas demones rugiunt, & inhabitato res Vigilantiij, illorum se sentire præsentia confitentur. Sacri legus dicendus est & nunc Augustus Arcadius, qui ossa beati Samuelis longo post tempore de Iudæa transtulit in Traciam. Omnes Episcopi non solum sacrilegi, sed & fatui iudicandi, qui rem uilissimam, & cineres dissolutos in serico & uase aureo portauerunt. Stulti omnium ecclesiarum populi, qui occurrerunt sanctis reliquijs, & tanta lætitia, quasi præsentem uiuentemq; prophetam cernerent, susceperunt, ut de Palæstina usq; Chalcedonem iungerentur populorum examina, & in Christi laudem una uoce resonarent. Sanctus Cyprianus in libello de Duplici Martyrio hæc, de Andrea apostolo habet: Beatus Andreas, ut habet humana quidem historia, sed satis probatæ fidei, gaudens sibi gratulans ibat ad crucem. De S. Andrea sic Augustinus in libro de uera & falsa pœnitentia, cap. viij. In hoc, inquit, desyderio erat Andreas, qui in cruce positus, a Domino requirebat: Tempus est, ut cõmendes terræ corpus meum. Volebat enim cum plebs de cruce deponere. Ipse autem cœpit Dominum rogare: Ne me permittas domine descendere uiuum, sed tempus est, ut commendes terræ corpus meum: tamdiu enim iam

iam portauit, tamdiu super commendatum uigilauit & laborauit, quod uellem iam ab ipsa obedientia liberari, & isto grauisimo indumento expoliari.

Reliqua legat studiosus presbyter in loco citato.

BARBARA VIRGO ET MARTYR.

Per Georgium Vicelium.

Nicomediensem fuisse accepimus puellam hæc, Barbaram quidem nomine, sed minime barbaris moribus, imò sapientiæ studijs & excultam, & omni uirtutum genere cumulatam fuisse heroinam illam, res ipsa loquitur. Parens huius Dioscurus, nephandi Iouis cultor, à quo traxit & nomen, im pietate erga filiam orbi percelebris effectus est. Et enim crudeliorē hostē homo hominem uix unquā habuit, atq; filia patrem istum. Iuuenulam etiam dum cōnclauī ceu carcere clausit inhumanus ac uerē barbarus, non tam illius formæ metuens, quàm ne Christianæ religionis odor ad eam usq; penetraret præcauens. Verum hæc naturæ dotibus ornata, quippe liberali ingenio, & prudentiuscula ridere primis etiam ætatis annis cœpit idola deorum *χρησμοίστα*, ratiocinans, mortales fuisse Iouem, Saturnum, Martem, Neptunū, Triptolemum, Herculē, Venerem, Dianā, Vestam, & id genus portenta, idcirco nō esse, cur numinis instar adorarentur à mortalib. Atq; hic contemptus planē pius seminarium fuit odij & persecutionis. Interim ueluti flatu quodam cœlesti pulsa, deum unum, uertum, uiuum, existere cognouit, id quod uel è mundi prælustri machina potuit colligere. Cum uerò nihil certi haberet de deo uiuō, soloq; cui fidem daret solidam, spretis iam idōlis omnibus, cōmmodum ab Alexandria uenit Origines Adimantius Antiochiam accersitus Mammææ Augustæ literis, nostrī Euangelij audiendi gratia, cuius historiæ Eusebius Cæsariensis etiam meminit. Quo rumore percepto, statim exarasse ad Theologum literas dicitur, quibus significat

significarat suū plenē cognoscendi Dei desiderium, posteaquā eō uenisset notitiæ, ut non dubitaret semel omnia gentiū dæmonia abominari. Origenes, ut erat rei Christianæ propagator maximus, puellæ literis non respondit solum de Deo, atq; hoc trinō, uerum etiam unā ablegauit ad hanc Valentium Christi sacerdotem, qui nimirum copioso Euangelij sermone, adeoq; catechisticōs puellam Christo proprie dicatam institueret erudirēt ue cuiusmodi disponēte providentia Dei nostri, quibuscūq; occasionibus Nicomediæ factum esse, in custodia etiam uirginis quantumuis munita haudquaquam est dissimile ueri. Instituta igitur Barbara, & nostram edōcta fidem, per energiam diuini spiritus & Valentij ministerium, sacrum baptisma suscepit. Hoc licet celarat parrē, non potuit is tamē eā rem aliquando nō rescirē. Abit tempus, uirgō Christiana proficit & ætate & Euangelio. Tandem adreptit malignus anguis, sanguinem Barbaræ sitiens. Parcerat paganæ, Christianam ferre nequijt. Proinde offert occasionem, qua prodere tur, Dioscuri filiam Euangelium Iesu Christi recepisse. Extruit balineum pater, de mutata filia religione nihil dum suspicans. Sed cum illa duabus fenestellis tertiam addi iussisset hoc in ædificio, paterq; causam ternionis sciscitaretur, libere confessa est, Trinitatem Dei Opt. Max. qua uniuersus terrarū orbis ceu unico ac perpetuo cœli astro illustratur. Ea responsione quatumlibet simplici, senioreni ira perculit, ut educto ferro innoxiam interempturus fuerat, ni illam ab oculis furiosi tyranni ademisset bonus Angelus. Auxit iram hominis, quod casta puella obfirmato animo repulerat procos, præsertim ethnicos. Nolebat cogi uel ad impar coniugium, uel ad idololatriam, quam deseruerat. Sed parens seu potius hostis fugientem Barbaram, Dei nunc filiam, Christi sponsam, templum sancti Spiritus, furore percitus immo-

dico infectatur, sumpturus de ea poenam abnegatæ paganitatis. Equidē latere illa & hostiles manus fallere formidine mortis uoluit, sed quando aliter Deo fuit uisum, uestigauit eam crudelis pater, uestigatam cepit, captam uerberauit, uerberatam præfidi illudendam atq; excruciamdam tradidit. O uiscera genitoris saxea, O truculentas ac barbaricas manus eius, qui auxilium ferre natæ debuit. Siftitur puella iudici, hoc est, lupo datur ouicula, fit de fide quæstio, incidit dissectioni. Puella metu posito, & exputis ab animo perturbationibus, intrepidè confiterur Euangeliū. Nec id solum, sed acriter etiam intonat aduersus idololatricam omnium gentium: recinens unum atq; alterum uersum è psalmo cxij. præterquam quod antehac inspuerat in simulachra seu penates patriæ domus. Profecto uirile pectus in fœmina insit oportet, à quo procedunt coram iratissimis iudicib. hæc uoces: Vestri dij dæmonia sunt, ligna & lapides sunt, os habent & nō loquuntur, guttur habent & nō clamant, oculos habent & non uident, manus habent & non palpant, pedes habent & non ambulant. Similes illis fiant qui faciunt ea, & omnes qui cōfidunt in eis. Porro præses fategit primum, ut blandis alloquijs Barbaram à religione auulsam, pristinæ superstitioni redderet, inhortans ad sacrificandum. At illa erecta spiritu libero malū suasorem confutans, se Christo Iesu sacra facere affirmabat, Dei uidelicet filio, auctori ac opifici rerū uniuersarū, in cœlis, in terris, in inferis. Qua sermonis libertate pariter & ueritate offensus præses, adeoq; in furiam uersus, iubet Christianā cædi, lacerari, discerpi, usq; dum omnia pudici corporis artus cruore commaderent.

Sanguis erant lachrymæ, quęcunq; foramina nouit

Humor ab his largus manat cruor, ora redūdant.

Et patulæ nares, sudor rubet, omnia plenis

Membra fluūt uenis, totū est pro uulnere corpus.

Atament

Atamentum ne sic quidem ad abiuratā paganitatem redacta, fidem prodidit. Tam inuicti roboris in uase etiā imbecillo Christi spiritus est. At tam immani supplicio in tetro carcere abducitur uirissa illa, ibi cœlitus consolata & consolidata, uires grauiora patiendi colligit. Quanta hinc & quā efficax præcatio, quanta dilectio, qualis raptus, quod denique desyderium coronæ promerendæ? Iam uero redintegritatis uiribus, denuo trahitur ad lanienam. Admouentur lateribus ardentes faculæ, amputantur nāmillæ, atque eo pacto fœdata, ut spectetur in terrorem, circumducitur. Inter quæ ludibria uirgo Christi nihil nisi precari, & inuocare fortem Deum. Vltimò tot tormentorum uictrix, eripitur à patre filia è carnificum cruentis manibus, non ut curaretur, quod patrem decuerat, sed ut trucidaretur. Neque enim satiarat iracundiam tam lamentabili spectaculo, non homo, sed Tygris. Abductam igitur suis consceleratis manibus iugulat, & fundit sanguinem, quem ipse genuerat, plus quā astorgus, plus quā filicida belua. Habet nunc Ecclesia quoque, contra quas differat Medæas. Quo martyriò soluta anima in cœlum subuolauit ad sponsi oscula, corpusculo interim Ecclesiis relicto, non ut adoretur, sed ut honoretur à fidelibus, qui tam inusitata Barbaræ martyris constantia ac fortitudine ad crucem pro Christo & Ecclesia ferendam animantur. Passa est triumphaliter, imperante Maximiano. De hac Raphaël Volaterranus sic: Barbara uirgo Nicomediensis Dioscori nobilis uiri filia: à quo in turrim est coniecta, quod se Christianam profiteretur: ac post omnibus probris nudatum, conuerberatumq; corpus, ab eodem ad præsidem ducta, iugulataq; in eadem urbe sub Maximiano est. Demum Venetijs, quo deinde translata fuit, nunc condita. Illius quoq; sunt quæ sequuntur,

E 2

NICOLAUS MAGNVS,
EPISCOPVS MYRENSIS,
Per Georg. Vicelium.

Christianis parentibus apud Pataram Lyciæ oppidum natus Nicolaus, Religioni Christianæ iā inde à puero fuit deditus, adeo ut infans etiam ieiunationem adamarit. Mox bonis eruditus literis, permagnū atq; egregium sui specimen edidit. Adolefcens iam corpus suum in seruitutē redigens, rebus diuinis utacare, quā prophanis maluit, assiduus in sacrarum Scripturarum lectione. Porro inter alia Christianē præclareq; huius facta, percelebre est, quod in Ægyptū unā cū multis nauigans, in maxima tempestate, suis ad deum precibus naufragium auerterit, cum simul iussisset, ut cæteri quoq; magna fiducia dei auxilium inuocarēt. Alterum, quod tres sorores ob inopiam prostituendas, auro clam donato, ab turpitudine iam destinata eripuerit, quam historiam Leonhardus Iustinus eleganter iuxta ac copiose descripsit hunc in modū: Fuit Patara uir genere nobili, qui (ut fert humanæ felicitatis fragilitas) ab honoribus in contempum, à diuitijs in egestatem deciderat. Ei erant tres filiae corporis, formæq; uenustate, & morum elegantia longe præstantes, uirgines omnes, & quarū ætās (si patris calamitas non obsistat) nuptias flagigaret. Has inops pater omni rerū egestate calcatus, hō modo uiro tradere, sed ne alere quidem quo quo pacto poterat, neque spes ulla miserū hominē solabatur, qua quotidie crescētis inopiæ uim perferret. Heurem dictu fœdā, heu quo mortaliū mentes insuperabilis uis egestatis impellit. Tetrum, atrox, immane facinus, patrem paternæ pietatis memorem ne, an immemorem potius dixerim, exagitat filiarū decus, ac pudicitiam deserentem, ut natis esurientibus non deesset, cœpit enim de illarum uirginitate alienæ prostituenda libidini, cogitare, ut turpissimo & flagitio-

so quæ-

so quaestu, uitam pereuntis familiæ tueretur. Iam uersana fames reluctantem patris animum ægrè periregerat. Iam crudele, & humanis indignum luminibus spectaculum parabatur. Quid enim tam ualidum est, tamq; munitū, quod necessitas non prosternat? Sed affuit de cælo miserator dominus, qui escam daret timentibus se. Qui patris in filias inuitam crudelitatem non pateretur. Qui uirginum castissimas lachrymas miseratus à tā fœtido flagitio liberaret. Sed quo pacto id facies dulcissime deus, uniuersæ misericordiae pater & fons? aut quo ministro auxilium tuum oppressæ familiæ porriges? Angelum profecto tute tibi Nicolaum delegisti, quo nemo mortalium esset, qui tua iussa meliori aut studio, aut consilio, aut pietate perficeret. Tua igitur miseratione factum est, ut crudele consilium famulus tuus, nescio quo, nisi te uolente, sentiret: cuius animus, tū rei atrocitate, tum insita pietate commotus, in auxilium periclitantium totus accingitur. Stimulabant misericordē animum esurientis familiæ lachrymæ. Stimulabat castarum puellarum prostituenda uirginitas. Stimulabat amantis patris misericordia, qui in pudicitia inuitus agebat, ne in uentrem crudeliter agere uideretur. Sed seruus tuus, qua ratione Deus impleat præcepta, non uidet: cum enim iubeas misericordes nos esse, uetas tamen sinistra scire, quid faciat dextera nostra. Ardet animus misericordiae faciendæ studio, sed humanum sui beneficii testimonium refugit, quippe qui tibi soli benefactorū gratissimè retributor placere conetur. Tantum enim uir Dei ab omni humanæ laudis desiderio abhorrebat, ut quantum cæteri sua maleficia, tantum ipse iste benefacta sua celare studeret. His agitatus stimulis impiger animus, credo, te domine inspirante, intempestæ noctis silentio è strato profiliens, auri haud mediocri pondus sacculo belle insutum, sumit, domo egreditur clanculum, miseranda familiæ do-

E 3

num tacitus adit, circumspicit sagaciter omnia, an
 maduertit tandem, luna ipsa adiuuante, fenestram
 apertā paululū, ea cubili inferuiebat, in quo infelix
 pater membra quieti tradiderat. Tunc Nicolaus pul-
 cherrimam sibi à Deo oblatam occasionem ratus, au-
 ro per fenestram immisso, domum se statim proripit.
 Manè pater auri comperto miraculo, stupens, cum
 tanti muneris datorem suspicari non posset, dæmo-
 nium eam esse, aut callidi cuiuspiā hominis fallaciam
 putat, adulterinoq; credit se lusum auro. Inde cū aurū
 digitis cōtrectaret, iamq; rei cognosceret ueritatem,
 incredibili lætitia gestiens, lachrymas ubertim effun-
 dit. Miratur rem, animo uersat omnia. Et cum huma-
 num benefactorem coniectare non posset, in Deum
 hoc muneris transferens: Quid faciam nunc miser,
 inquit, ne tanti beneficii ingratus arguar? Certū est,
 peccatum meum diluere, & impio me ac nefario sceler-
 e expiare: Filiam, in cuius pudicitiam crudelissime
 fœuiebam, à fœdo periculo eruam. Aurum uirginem
 redimat, quæ meo scelere auri gratia perendā erat.
 Hæc itaq; secum reputans, primam ex tribus filiam
 honesto marito locat, Nicolaus non minus dato,
 quàm ille accepto munere gaudens, ubi uirginem ui-
 det à periculo liberatam: liberabo, inquit, & reliquas.
 Aurūq; tantūdem noctu, ut antea, per patentem fe-
 nestram immitit. Diluculo pater, cum secundum au-
 rum inuenisset, uix sui cōpos humi supplex sese pro-
 sternit, Tum ora, pectusq; largis irrigans stertibus:
 Deus, inquit, misericors, esurientium liberalis alum-
 ne, fac (quæso) domine, ut sciam, quo ministro ut flagi-
 tiorum meorum periculum sustulisti, ut te domine in
 illo laudem, te in illo magnificem, te in illo contem-
 pter: Domine, qui me iam pridem sanguine tuo rede-
 misti, & nunc auro pereuntē familiam redimis, osten-
 de mihi dispensatorem hunc tuum, & angelum pro-
 fectō in terris, cuius ope ecce secundam quoq; filiam,
 diabolo

diabolo crudeliter maritandam, sancto connubio ho-
 nestabo. Hæc cum dixisset, non prius destitit, quàm
 alterum quoq; generum sibi asciiuit, nec minore certè
 gaudio duplicis coniugij celebrati, quàm spe tertij
 quoque propediē celebrandi. Jam enim tantum sibi
 de Dei misericordia pollicetur, ut sese putaret tertix
 quoq; filix dotē tenere manibus. Ita ab inferno ere-
 ptus homo, noctes diesq; perpetuos, ereptores sui de-
 syderio estuabat. Statuitq; noctes infomnes per excu-
 bias ducere, quoad quis nam esset hic, exploratum
 haberet. Nec minus admirabilis noster, tertiam quoq;
 filiam nuptijs tradi cupiebat. Profunda itaq; nocte
 ueniens tacito (ut assolet) pede, per eandē fenestram
 tertiā introiecit dotem, ac peruigil pater decidentis
 auri strepitu monitus, quanta potest pedū uelocitate
 profiliens, Nicolaum tandem fugientem assequitur,
 comprehendit, tenet, atq; illius pedibus aduolutus,
 redemptorem suum, adiutorem, saluatorem pereun-
 tium animarū flens, gaudensq; compellat. Nisi enim
 miserationes tuas, inquit, misericors excitasset domi-
 nus, dudum iam perierat infelix cum tribus infelici-
 oribus natis pater, sed clementissimus Dominus per-
 te saluauit nos, & à crudeli peccati casu liberauit Do-
 minus, suscitans in opē à terra, & de stercore erigens
 pauperem. Talia lachrymantē, beatosq; osculantem
 pedes, Nicolaus ægre cōpescuit, qui cum beneficium
 suum, quanta potuit humilitate attenuasset, multis
 tandem adiurationibus, ut rem nulli mortalium pa-
 tafaceret, frustra precatus est. Vna igitur hæc ex in-
 numeris prope misericordis hominis huius eleemo-
 synis. Quod si reliquas quoq; recensere pergemus,
 quoties indigentibus opem tulit, quoties pauit
 esurientes, quoties alieno grauatos
 are leuauit, immensi prope-
 modum laboris id
 fuerit.

Iam Episcopus Myrensis electus, dixisse ad semet fertur: Hic dies Nicolaë, hæc cathedra mores alios postulat, posthac non tibi, sed alijs uiuendum. Statim ab electione uerè diuina cœpit nō minus cleri, quàm populi uitia corrigere, ipse exemplar absolutæ uirtutis, neglecto cultu corporis, & cœnauit tantum, nec id sine sacrorum librorum lectione. plenus bonis in fide operibus, nihil quod humano generi non esset salubre, gessit, usq; adeo etiam ut ad mortem damnatos aliquot erueret. Interfuit idem Episcopus Concilio Nicæno, numerum 318. præfulum Catholicorum implens. Cum autem Ecclesie optimè præfuisset, & omnibus ex æquo maximè profuisset, Myris obiit in senecta uiridi, uerus in Christo Thaumaturgus. Claruit temporibus Imperatoris Constantini Magni: cuius pietate, nomen Seruatoris nostri per orbē terrarum longè lateq; insonuit. Testimoniū huic Nicolao uerè Christiano Episcopo (cuius uestigia hodie oblitterata sunt) perhibet Ecclesia græca per Cyrum Theodosium, dum eius præsulatum ἀρχιεπισκοπὴ ἀγνὴν appellat, hoc est, primariam castamq; sedē. quod epigramma trimum quoq; filiarū pauperculi illius culus meminit, & mirificè benefactorem episcopum collaudat, à nullo non uirtute. ô Iesu redde tales Ecclesie tuæ, id est, qui re ipsa sint, qui dicantur, ne semper titulotenus Christiani audiamus.

LUCIA VIRGO

ET MARTYR,

Per Georgium Vicelium.

Syracusanam patria Luciam, genere nobilem, & bene honesteq; educatam esse tradunt. Quibus in Lucia mundi ornamentis cœlestia dona, & hæc quodē egregia, Magni regis gratuito beneficio accesserunt, ut laudaretur eius inexhausta gratiæ profusio. Hæc igitur cum esset Christianis orta parentibus, & peragendo cultui diuino, iam inde à pueritia assuefacta de-


sta deditaq; uisum est Eutychiæ matri uirginis illius nostræ, ut Catanã iter faceret, per celebrem tumbam diuæ Agathæ uisere, nec non, precibus ardentissimis patrem cœlestē sollicitare. Matrē filia morigera comitatur. Ventum est in tēplum, peragitur Liturgia, oratur, & iuxta auscultatur, quid uerborum pro more Ecclesiastico lectitaret diaconus. Fortè uerò legitur Euangelica hystoria de Æmorrhoussæ præfite beneficio. Tū per eā occasionē Lucia ad Eutychā cōuersa, Mater, inquit, nihil dubito, te tuo quoq; profluuiio liberatum iri, si hisce uerbis Domini, quæ publicitus recitata sunt, ex corde credas, ac fidas. Laborabat enim & matrona illa eodē morbo quàm grauissime. Præter uerbi fidem à matre exigebat etiam filia, ut ad memoriã sanctæ Agathæ, manus in cœlum tendens, precaretur Deum pro sanitate reddenda. Expectas euentum? Vtraq; pernoctant in Christiano delubro illo, prostratæ ad sepulchrū miraculorum ferax prolixè orant, & Agathā reliquosq; cum Christo diuos, ut secum orent, compellant. Inter orandum, ita ut sit, sopore oppressa Lucia, in somnium faustissimum de sananda matre percipit. Et eodē profecisse, precationem suam cum fide coniunctam, simul & Agathæ in cœlis cooperatricem intercessionē. Verū simulatq; illuxit postera dies, sistitur fons pudendi sanguinis in Eutychia: uoti sui compotes illæ magno cum studio domum repetunt, gratias agentes Deo, cuius bonitati potius, quàm suæ supplicationi incolumitatem ferebant acceptā. Hinc autem filia audentior facta, liberius posthac cum matre agit, ut quæ diuinitus tanto impetrato beneficio, in posterum sit æquior ac remissior futura. Quare ab ea petit præcipuum, ne se posthac nuptiarū mentione grauet, nam nolle se nubere. Atq; hoc ueluti præmij loco postulat pro communicata interpellatione Catanensi. Præterea uelle se, quicquid hereditate obueneret, dispergere in egenos. Nec

enim magnis opibus ei fore opus, quæ uita cœlibem agere decreuisset. Coniugium uorax magnopere est, & in erogandis eleemosynis tenax. Mater grauatim assentiens, illud à filia modò postulat, ut se uiua parcat opibus: Ab obitu autem ex animi sententia illas aut asseruet, aut expendat. Hic filia quasi Nuthetico quodam asperiore matrem ad beneficentiam exhortans (ut erat spiritu superior matre) in hunc modum ait: Heus mater mea, dare ut quidem uis pauperibus iamiam moritura, nunc incolumi uita dare renuis? Qua præpostera largitione eum animū præ te fers, quod nunquam quicquam sis datura, si perpetuò uiuere liceat in hoc sæculo. At uerò quia hinc emigrandum est tibi, dari non uetas: quandoquidem nosti, opes te in alterum sæculum non comitari. Quæ, obsecro, merces hinc tibi? Quæ eo animo inibis gratiam à domino? Proinde si me audis, ô charissima mater, confer cœlestia cum mudanis, æterna cum caducis, cœtemne, atq; animo eijs phylargyriam, hoc est, amorem pecuniæ, & fac tibi amicos de iniquo mammona, dum uiuis, dumq; bene habes, da tua, non aliena manu da copiosè, da candidè, nec aberit, quin pater noster cœleste tabernaculum olim tibi redditurus sit. Illiusmodi oratione Lucia matris tenaces manus expugnauit, hucq; adegit, ut posthac è domo illa opulenta eulogia pauperū usibus effunderetur. Resciuit hoc adolescens, qui Luciam in uxorem ambierat. Is ut erat sæculo huic deditior, religionem nostram nihil morabatur, contemptor tam Euangelij quam legis Christi. Nulla mora, procurrit frustratus amator (ut qui repulsam conjugij rulerat) ad Paschasium uirum consularem, accusat Luciam Christianismi, flagitij scilicet capitalis. En tibi crucem occasione bonorum operum, quod idem in diuo Laurentio uidere est. Puella non fide tantum, sed factis quoq; Christiana, ad impium tribunal citatur. Fit inquisitio de religione.

Affirmatur

Affirmatur Christianismus citra dissimulationē. Cōsul obijcit Imperatorum ethnicorum uidelicet decreta, quibus cauebatur, ne quis Christianus fieret. At Lucia non superioris & ordinatæ potestatis, sed impij decreti contemptrix, respondit, ad se nihil pertinere eius generis inhibitiones. Tu, inquit, ô Paschasi, principum tuorum decreta custodi, ipsa Dei mei legem custodiam. Metuis tu quidem reges & præsidēs, ego offendam Deum? Offendere non uis homines, & ego offendam Deum? Quinetiam ambis illis placere, & mihi succentes, quod Christo meo placere studeam? Agedum, fac tuo pro libitu, mihi curæ erit, ut quod Christianam decuerit, quodq; animæ meæ fructuosum fuerit, strenue faciā, uel renitentibus inferorum portis, nedum Romanorum armis. Paschasius audita uirginis apologia, diffidebat se illam in superstitio-nem gentilium posse retrahere, quandoquidem fortiter responderet, se nullo modo dijs sacrificaturam: simulq; docens, quidnā sit uerum sacrificium, ac deo placens: Nimirum uisitare pauperes, & illis in necessitatibus subuenire. Adeoq; addiderat, semet nunc offerri uelle, postquam sua omnia ceu Christianam oblationem in pauperes expendisset. Ira igitur incaluit homo, & conuersus ad conuitia, Luciam impudiciæ norabat, & quæ hereditatem suam nequiter prodigisset. Illa mendacij Paschasium arguens, respondit, se patrimonium suum tuto in loco posuisse, nec sibi consciam esse de ulla libidinis macula. Atq; hic reprehendit paganos, tanquam corruptores mentium, nedum corporum. Peruersa enim illorum cum sit religio, consentaneū est, ut uita eorundē omni scelerum genere operata sit. Præter hæc iactauit æternitatē uerbi diuini, seq; ipsam exhortari ac consolari dictis Euangelicis, pulchrū duxit. Post longā disputationē, uidebatur Paschasio haud abs re fore, si puella uirginitatis soluta zona, cuius in libidinē putri pstruēretur.

Nam



Nam hoc actū futurū, ut amisso casto spiritu, experta probrosa uoluptate, desereret disciplinam nostram, ac ad pristinum errorē licentiamq; rediret. Procurat impurus, ut lenonum turpissimorū turba ad Luciam uentiter, illiq; quod possunt persuadeant, donec firmum pectus expugnetur. Sed nihil effecerunt fœdi. Dein tentatum est alia uia: uerum ne sic quidem processit. Virgo in sententiā ac proposito castitatis fixa & immota perdurans, uerba fecit de pudicitia, uidelicet, quæ auferri nō queat à quoquam, si animo relucte ris: Non, inquit, inquinatur corpus, nisi de consensu mentis. Quod si me inuitam corrumpi præceperis, nihil aliud feceris, quàm quod hic mihi coronam castitatis auctam reddideris. Ecce corpus meum ad omne supplicium paratum habes. Hæc Lucia. Mox igne torquetur, nec tamen assentit uel errori, uel turpitudini. Ferunt inter tormenta uirginis ipsum Paschasium suæ tyrānidis dedisse pœnam, ultore Deo. Virgo morti destinata, multa sermocinata fuerat ad populum, admixtis etiā uaticinijs. Efflauit autem animam, transfixo gutture, ubi tamen prius acceperat sacram Eucharistiā. Acta sunt anno Domini cccx. sequente Maximiano & Diocletiano Christicida. Huius rei testis est Hermolaus Contractus. Quo loco meminit etiam Viti, Modesti, & Crescentiæ in Sicilia, pro Christo trucidatorū. O nymphā cœlesti throno dignam, dictam à Luce, qui Christus est, Luciam, præ qua gentilis illa Lucina tenebrosa fuerit. Raph. Volaterranus de Lucia & lucina sic: Luciam item duæ martyres, altera uirgo Syracusana, altera Romana uidua iam annis xxxix. unā cum Geminiano, quem à lymphatione liberatum, ad fidem deduxerat: gladio cæsa est sub Diocletiano. Lucina uirgo itē Romana diues admodum circa ea ferē tēpora Christianos sumptibus iuuabat, martyresq; in agro suo sepeliebat. Eius Romæ sepulchrum in templo Sebastiani, &c. Hæc Raphael. Habuit eadem

eadem nostra Ecclesia olim Lucium uirū Dei, de quo Eusebius Cæsariensis in hanc sententiam scribit: Lucius autem quidam Christianus uir, uidens tam temere datam sententiam, ait ad Urbicium: Quid quæso causæ est, quod neq; adulterū, neq; corruptorem, aut homicidam, uel latronem, raptoremq; aut alterius cuiuslibet facinoris reum, sed tantum pro nomine Christiani, quod hoc se uocabulo confessus est nuncupari, ad mortem duci hominem præcepisti? Non sunt hæc digna pio Imperatore, nec sapientissimo puero filio eius, neq; sacro senatu, quæ agis, ô Urbici. At ille nihil aliud inquirens, ait ad Lucium: Videris mihi & tu Christianus esse. Cumq; Lucius respondisset: Hoc planè sum: etiam ipsum Urbicium duci pariter iussit ad mortem. Ille: Gratias (inquit) ago, quod me nequissimis dominis absolutum, ad bonum & optimum patrem & regem omnium Deum remittis.

ODILIA VIRGO,

Per Georgium Vicelium.

E Nobili Francorum seu Gallorum genere natam Odiliam esse perhibent, patre magnate in superiore Burgundia, cui nomē Artico, tēpore Hildericū regis, qui inter Francorū reges à Roberto Gaguino, decimus quartus numeratur, in uenatione cum uxore Vlde occisus. Hæc ab incunabulis se colendo Deo mancipauit, accepto inter baptizandum peculiari lumine suæ mentis. Nam gratia dei & opus spiritus sancti est per filium, ut natura cæci, ad cognitionem rerum diuinarum oculati reddamur, alioqui Adamica illa cæcitas Christum Nazarenum, saluatorem mundi, precium emendis siue liberandis nobis à patre donatum, perspicere fidei oculis haudquam poreft. Tameñ non incredibile putamus, Odiliam etiam corporeis captā extitisse, & cum baptismi sacramento uifum accepisse. Nec fidē excedit, eandem immitti patre defuncto precum assiduitate profuisse.

Nos

Nos potissimum in hac Gallica puella spectamus, quod contempto saeculo, calcatisque uoluptatibus, se tanta fide Christo obstrinxerit, malens monasticos degere abiecta, quam aulicos uiuere splendida. Christi uirgo Odilia recte iudicauit, diuine Maiestati placere castitatem, ieiunia, preces, elemosynas, lectiones, preces conubijs, comessationibus, obrectationibus, rapinis, litibus. Studuit facere secundum Euangelium, non credere tantum: abnegans semetipsam, mortificans & crucifigens carnem suam, ambulans spiritu, uirgo sancta tum corpore, tum animo. In malorum annorum iuxta & operum honorum plena, decessit in Domino, simulatque e calice sumpsisset Dominicum corpus & sanguinem. Vt haec Odilia monacha, ita alius Odilio monachus extitit, tempore Othonis tertij, uir editis miraculis clarus. De isto legitur: pauperibus copatiens manu largissima attribuebat, ut etiam famis tempore sacra uasa & coronas, ab imperatore oblatas Ecclesiae distraheret, & pecuniam acceptam erogaret. Haec Petrus de Naralibus, Antonius Sabellicus de Odilia lib. ij. Nec minus, inquit, tetrice Odilia corpus affixit, uersina pelle pro stragulo usam, puluino muricoso lapide. Monasterij haec, quod in Bauaris uisebatur motibus, sacerdos fuit maxima, sed sororum omnium abiectissima & esse & uideri uoluit.

EVLALIA VIRGO,

Per Georgium Vicelium.

Hispanica uirgo, a S. Donato presbytero in ciuitate Barcinonensi catechizata, puerilibus etiam dum annis martyrij palmam cupide assecuta est, sub praeside Daciano. Causa mortis erat, idolorum abominatio. Aiebat se soli Deo, qui in caelis habitat, sacrificare solere, huiusque unigenito dedisse fidem. In qua sententia cum firma perstaret, cedens neque ad dextram neque ad sinistram, multo atrocissimis pariter & creberrimis tormentis, usque dum animam redderet, discruciatu fuit. Et quod in muliebri ac sanae quam in

becillo

becillo sexu magis mirere, bene locuta est Eulalia (suo uidelicet nomini respodens) in Christo Iesu inter has ipsas laminas, ungulas, fustes, cultros, flagra, haud secus ac si accubaret in uiridario quodam procul a carnificum cruentis & ferinis manibus. O uirtutem Dei ostensam in testaceo uasculo. O turpiter confusam potestatem robustissimi Behemoth. Hispaniae decus haud uulgare, haec Eulalia, satanicam tyrannidem deuicit in domino qui est benedictus in secula. Meminit Eulaliae Her. contractus, recedens eam inter sanctos Ecclesiae homines sub Diocletiano imper. passos.

AVRELIVS PRUDENTIVS EDIDIT

hymnum in laudem Eulaliae uirginis ac mart. quem ascribere libet.

Germine nobilis Eulalia,
Moris & indole nobilior,
Emeritam sacra uirgo suam
Cuius ab ubere progenita est
Osisibus ornat, amore colit.
Proximus occiduo locus est,
Qui tulit hoc decus egregium,
Urbe potens, populis locuples,
Sed magis sanguine martyrij,
Virgineoque potens titulo.
Curriculis tribus atque nouem
Treis hyemes quater attigerat,
Cum crepitante pyra, trepidos
Terruit aspera carnifices,
Supplicium sibi dulce rata.
Iam dederat prius indicium
Tendere se patris ad solium,
Nec sua membra dicata thoro
Ipsa crepundia reppulerat,
Ludere nescia pusiola.
Spernere succina, flere rosas,
Fulua monilia respuere,
Ore seuera, modesta gradu,
Moribus & nimium teneris:
Caniciem meditata senum.
Ast ubi se furiosa lues
Exitat in famulos Domini,
Christicolaeque cruenta iubet
Thura cremare, iecur pecudis
Mortiferis adolere deis,
Infremuit sacer Eulalia
Spiritus, ingenique ferox
Turbida frangere bella parat,
Et rude

Et rude pectus, anhela Deo
 Fœmina prouocat arma uirum.
Sed pia cura parentis agit
 Virgo animosa domi ut lateat,
 Abdita rure & ab urbe procul,
 Ne fera sanguinis in precium
 Mortis amore puella ruat.
Illa perosa, quietis opem
 Degeneri tolerare mora,
 Nocte fores sine teste mouet.
 Septaq; claustra fugax aperit,
 Inde per inuia carpit iter.
Ingreditur pedibus laceris,
 Per loca senta situ, & uepribus,
 Angelico comitata choro,
 Et licet horrida nox sileat,
 Lucis habet tamen illa ducem.
Sic habuit generosa patrum
 Turba columniferum radium.
 Scindere qui tenebrosa potens,
 Nocte uiam face perspicua
 Præstitit, intereunte Chao.
Non aliter pia uirgo uiam
 Nocte sequuta diem meruit,
 Nec tenebris adoperta fuit,
 Regna Canopica quum fugeres
 Et super astra pararet iter.
Illa gradu cita peruigili,
 Millia multa prius peragit,
 Quam plaga pandat Eoa polum,
 Mane superba tribunal adit,
 Fascibus adstat & in medijs.
Vociferans, rogo quis pudor est
 Perdere præcipites animas,
 Et male prodiga corda sui
 Sternere rasilibus scopulis,

Omni-

Omnipatremq; negare deum?
Quæritis ô miseranda manus
 Christicolûm genus? en ego sum
 Dæmoniâcis inimica sacris,
 Idola protero sub pedibus,
 Pectore & ore Deum fateor.
Isis, Apollo, Venus, nihil est,
 Maximianus & ipse, nihil,
 Illa nihil, quia facta manu:
 Hic, manuum quia facta colit:
 Fritolâ utraq; & utraq; nihil.
Maximianus opum dominus,
 Et tamen ipse cliens lapidum,
 Prostituat, uoueatq; suis
 Numinis caput ipse suum,
 Pectora cur generosa quatit?
Dux bonus, arbiter egregius,
 Sanguine pascitur innocuo,
 Corporibusq; pijs inhians,
 Viscera sobria dilacerat,
 Gaudet & excruciare fidem.
Ergo age tortor adure, seca,
 Diuide membra coacta luto.
 Soluere rem fragilem facile est,
 Non penetrabitur interior
 Exagitante dolore animus.
Talibus excitus in furias
 Prætor, ait, rape præcipitem
 Licetor, & obrue supplicijs,
 Sentiât esse deos patrios,
 Nec leue principis imperium.
Quam cuperem tamen, ante necem
 Si potis es, reuocare tuam
 Torua puellula nequitiam,
 Respice gaudia quanta metas,
 Quæ tibi fert genialis honor.

¶

Te lachrymis labefacta domus
 Prosequitur, generisq; tui
 Ingemit anxia nobilitas,
 Flore quod occidis in tenero,
 Proxima dotibus & thalamo.
 Non mouet aurea pompa thori,
 Non pietas ueneranda fenum,
 Quos temeraria debilitas,
 Ecce parata ministeria
 Excruciabilis exitij.
 Aut gladio feriere caput,
 Aut laniabere membra feris,
 Aut facibus data fumificis,
 Flebiliterq; ululanda tuis,
 In cineres resoluta flues.
 Hæc, rogo, quis labor est fugere?
 Si modicum salis eminulis,
 Thuris & exiguum digitis
 Tangere uirgo benigna uelis,
 Pœna grauis procul abfuerit.
 Martyr ad ista nihil, sed enim
 Infremit, inq; tyranni oculos
 Sputa iacit, simulachra dehinc
 Dissipat, impostamq; molam
 Thuribulis pede profubigit.
 Nec mora, carnifices gemini
 Iuncea pectora dilacerant,
 Et latus ungula uirginum
 Pulsat utrinq; & ad ossa secat,
 Eulalia numerante notas.
 Scriberis ecce mihi domine,
 Quam iuuat hos apices legere,
 Qui tua, Christe, trophæa notant,
 Nomen & ipsa sacrum loquitur
 Purpura sanguinis eliciti.
 Hæc sine stertibus & gemitu

Læta

Læta canebat & intrepida,
 Dirus abest dolor ex animo,
 Membraq; picta cruore, nouo
 Fonte cutem recalente lauant.
 Vltima carnificina dehinc
 Non laceratio uulnifica
 Cratetenus, nec arara cutis,
 Flamma, sed undiq; lampadibus
 In latera, stomachumq; furit.
 Crinis odor & in iugulos
 Fluxerat, inuolitans humeris,
 Quo pudibunda pudicitia,
 Virgineusq; lateret honos,
 Tegmine uerticis opposito.
 Flamma crepans uolat in faciem,
 Perq; comas uegetara caput
 Occupat, exuperatq; apicem.
 Virgo citum cupiens obitum,
 Appetit & bibit ore rogam.
 Emicat inde columba repens;
 Martyris os niue candidior
 Visa relinquere, & astra sequi:
 Spiritus hic erat Eulaliæ
 Lacteolus, celer, innocuus.
 Colla fluunt abeunte anima,
 Et rogos igneus emoritur,
 Pax datur artibus exanimis,
 Flatus in æthere plaudit ouans,
 Templaq; celsa petit uolucer.
 Vidit & ipse fatelles, auem
 Fœminæ ab ore meare palam,
 Obstupefactus, & attronitus
 Profilit, & sua gesta fugit,
 Lictor & ipse fugit pauidus.
 Ecce niuem glacialis hyems
 Ingerit, & tegit omne forum,

F *

Membra regit simul Eulaliæ
 Axe iacentia sub gelido,
 Pallioli uice linteoli.
Cedat amor lachrymantum hominum
 Qui celebrare suprema solent,
 Flebile cedat & officium,
 Ipsa elementa, iubente Deo,
 Exequias tibi uirgo ferunt.
Nunc locus emerita est tumulo
 Clara Colonia Vettoniæ,
 Quam memorabilis amnis Ana
 Præterit, & uiridante rapax
 Gurgite, mœnia pulchra lauat.
Hic ubi marmore perspicuo,
 Atria luminat alma nitor,
 Et peregrinus, & indigena,
 Reliquias, cineresq; sacros
 Seruat humus ueneranda sinu.
Tecta corusca superrutilant
 De laquearibus aureolis,
 Saxaq; cæsa solum uariant
 Floribus, ut rosulenta putes
 Prata rubescere multimodis.
Carpite purpureas uiolas,
 Sanguineosq; crocos metite,
 Non caret his genialis hyems,
 Laxat & arua tepens glacies,
 Floribus ut cumulet calathos.
Ista comantibus è folijs
 Munera uirgo, puerq; date,
 Ast ego ferta choro in medio
 Texta feram pede dactylico,
 Vilia, marcida, festa tamen.
Sic uenerarier ossa libet,
 Illâ Dei sita sub pedibus
 Ossibus altar & impositum,

Prospi-

Prospicit hæc, populosq; suos
 Carmine propitiata fouet.

NICASIVS ET EUTROPIA,
 Per Georgium Vicelium.

Frater & soror Nicasius & Eutropia Galli natione, Christi Euangelio toti addicti, quæsierunt regnum Dei atq; iustitiâ eius, & ambulauerunt in uia domini irreprehensibiles. Erat autem Nicasius episcopus Remensis, tempore Vandalicæ persecutionis, Auiano Aureliq; agente episcopum. Atq; ô lamentabiles Ecclesiæ casus. Non sat erat ipsos olim Romani orbis imperatores, in Christianorum capita iuratos hostes multipliciter sequere, nisi externos etiam Scythas, quibus nihil inhumanius, aduersus Ecclesiam suscitaret armaretq; diabolus, ueterator ille millicum execrandus. Pax nostris erat à domesticis persecutoribus, utpote Cæsaribus iam Ecclesiæ filiis factis, & ecce adest Ate noua, imò multo exitiabilior Tisiphone ab ipsis inferis immissa, ne uidelicet infelici Ecclesiæ ulla tranquillitas afforet, usq; adeo nimirum irato Satana, & ulciscente, quod à se suoq; tenebrarum regno, baptismatis obstricti sacramento defecerimus. Porro hæc Vandalica persecutio ut nō prima, ita nec ultima fuit. Primum omnium Gothi, ex ipso (opinor) Acherontis lacu prodeuntes, late uagantes Europam Christi anam truculentis armis inuaserunt. Sic scribit Eusebius. Per idem tempus, nempe Valentiniani Augusti, in orientis regno Gothorum gens sedibus suis pulsa, per omnes se Thracias infudit, armisq; urbes & agros uastare feraliter cœpit. Astipulatur Eusebio Nicephorus monachus græcus, qui de Hypogothis etiã scribit: item de Alanis, quorum Paulus quoq; Diaconus meminit. Hos Barbaros unâ cum Sarmatis antea bello superarat Constantinus Magnus. Sed Valens Imperator postea, inualefcenti Gothorum exercitui non potuit aequè obsistere, imò ab his uictus, miserè

F 3

perijt: nec illi quicquam profuit, quod Gothica gens Arianismo consenserat, cuius sectæ propugnator Valens Imperator, Ecclesiam catholicam hostiliter adflixit. Putabat bene secum actum esse Valens, posteaquã missis prædicatoribus sui Euangeli, Gothorũ exercitus deceperat, inq; Arii sectam traxerat, idq; consulente Eudoxio, qui aiebat: Communio unius dogmatis, firmiorem faciet pacem. Eo tempore præfuit bello Atalaricus rex Gothorum, iuxta Historiã Tripart. quem tyrannum Paulus Diaconus Athanaricum uocat. Defuncto Valente creuit Gothorum rabies in Italia, ducibus Alarico Valamero (de quo apud Bedam) Theoderico, Ataulpho, Radagaiso, Totila &c. Contrã uerò strenuè pugnatum est ab imperat. Roman. Valentiniano Valentis filio, Gratiano, Theodosio, Arcadio, Honorio, Iustiniano, Martiano, & sæpenumero de Barbaris illis reportata uictoria. Interim exurgunt Hunni, post Belam, duce Attila, qui se Terrorem orbis & Virgam Dei appellabat, Is, secundum Chronicum Vngaricum, quinquies centena milia militum ductauit in Europã, unde Gothos fudit expulit ue, ut ipse Romano imperio solus dominaretur: erat enim impatiens consortis regni. Circa idem tempus irruerunt etiam Vandali, duce Genserico & Helderico, qui adiunctis Alanorum copijs, per Gallias ac Hispanias maximo omnium terrore grassati sunt, domitores & uictores Christianorum populorum. Accessit huic malo, quod Gensericus Ariana iam doctrina infectus, catholicos immaniter trucidauit, idq; in Aphrica, quo tempore loco ue, S. Augustinus uixit. Tum capta fuit à Genserico Carthago, qui idem Siciliam adflixit. Quinetiam Hunni Thraciam & Illyricum nastarunt in iisdem Ecclesiæ procellis. Athanaricus rex Gothorũ, referente Paulo Diacono, Christianos in sua gente crudelissimè persequebatur, adq; coronam martyrii sublimauit.

Præ-

Præterea Vandali, regnante Thrasimundo, catholicas ecclesias clausit, & cccx. Episcopos in Sardiniam deportauit exilio multãdos. Horrenda mala narro: Romanam urbem à Gothis antea captam, Hunni quoq; expugnarunt & diripuerunt. Mox denuo Gothi, regnante Totila. Quid ea tempestate rebus Christianis potuit funestius accidere? Nihil tum contemptius, nihil abiecius Ecclesia, nihil abominabilius catholicismo. Verum ubi Deo iudicanti uisum fuit, cessauit illa uastatio. Missi enim fuerunt duo uexilli feri à Roma. imperatore, Narses scilicet, & Belizarius qui forti manu Getas illos expulerunt tam Aphrica quam Europa, terrasq; scæda barbarie purgatas, imperio Roma. restituerunt. Multo post deleuerat reliquias Hunnicæ gentis Carolus Magnus, teste Donato. Attamẽ totum Scythicæ huius familiæ seminarium, usq; in hunc diem extinctum haudquaquam est, siquidem Hunni, Hungariam seu Pannoniam obtinuerunt, ibiq; fixerunt stabilem sedem: & Gothi, Gothiam ad latus Daniæ, & Vandali, Vandaliam seu Lusitaniam. Nec non æterno Marte celebres Alani alicubi gentium existunt. Durauit ista per Europam & Aphricam Ecclesiæ perpetuis lachrymis deslenda calamitas, CC. amplius annis. Sed quia calamitatẽ calamitas comitari solet, in Italiã aut potius Romano imperio aliud ex alio malum. Non enim ita magno temporis interuallo post, mouent arma aduersã Longobardi, & de integro Italicas Gallicasq; urbes depopulantur, duce Alboino. Huic populo è Scandinia oriundo, successit nihil non ex sententia. Victa Italia, regnarunt aliquot annis, dehinc Italicæ regionis partem nacti, quæ ab his Longobardiæ nomen trahit, quieti manserunt. Ais: Quando tandem pax imperio? Tum ne, uidelicet prostratis Scythijs & Longobardis suum in nidum coactis? Heu minime. Nam post Gothos, Hunnos, Vandalos

F 4

& nunc etiam Longobardos sub Iustino & Tyberio, fatali quadam infelicitate Persæ contra Romanum imperium excitantur, nempe regnantibus Phoca & Heraclio. Tum enim temporis elato animo Cosdra rex Persarum orientem, Romanis tributarium, crude lissimè debellat, capta Hierosolyma, & expugnatis ciuitatibus plerisque Iudææ in imperij ludibrium triumphat: hostis religionis nostræ summus. Sed Heraclius, per Deum uiuum ac uerum potentior, Persicam beluam repressit. Sub eodem annos exoritur extrema mundi perniciēs Arabs Mahumeta. Prætereo in Hungaris ueterem Hunnorum rabiem ueluti renouatam. Etenim imperante Ludouico vij. Arnolphi filio & Conrado, Hungari iunctis armis socialibus, fortasse ad ultionem de Carolo capiendam, Italiam subegerunt. Quin & Germaniam nostram ingressi, multas ciuitates expugnarunt, ac omnia passim sanguinolentis cladibus implerunt. Multis post annis comperisit illorum ferociam, cæsis aliquot milibus, rex Otto, mox Imperator. Cæterum istæ calamitates Christianissimi iam olim deserunt, Mahometica noxa hoc etiam die perseuerat, in nocendo pertinacissam. Equidem primo tempore quum Arabes descuissent, hortatore simul & antesignano illo Mahometa à Romano Imper. ac plerique Cæsares, præcipue Tyberius, Absimarus & Anastasius Artemius huius defectionis causa iusta bella gereret aduersum illos, inflammati hinc atque cõcitati fuerunt Saraceni, ira ut frequenter irruptionem facerent in Italiã, seseq; de Romanis uindicarent. Atq; ista discordiæ acerbitas quotidie in maius euasit. Profecto nostra ætate experimur isthuc, ut historiarum lectione opus non admodum sit. Nunc ipsi, inquam, sentimus, quod seculis prioribus factitatum esse legimus. Ecclesia tot retro annis à Schythico populo uexata, nunc cõpluribus etiã seculis à longe immanissimis feris, quos Turcas uocant, ultra omnem

nem modum molestatur. Gothorum, Hunnorum, Vandalorum & Longobardorum usurpata potestas, finem accepit in Europa ac Africa: at Saracenorum tyrannus in omnes horas augetur, non habitura finem, hoc quidem rerum statu. Est hæc Antichristi tyrannis, & Draconis rabies, qua tot milia Christianorum hodie miserrime pereunt. Huiusmodi obiter percurramus, dum, quænam fuerit Vandalica persecutio aduersum Nicasium, presbyteris rudioribus subindicare uolumus, alioqui ferè extra institutum. Tametsi ea historiarum repetitione palam fit, quàm infinita sanctorum milia, non solum Nicasius cum sua Eutropia, in Scythicis istis cædibus interempti fuerint, quorum nomina licet nos lateant, uolumus tamen & illorum quotquot sunt, memoriã in Nicasij ferijs renouatã celebrari. Vnus Nicasius in Vandalorum furore occisus, representat nobis multas myriades ueterum Christianorum in istis barbarorum impressiõibus partim trucidatorum, partim spoliatorum exilioq; damnatorum. Celebramus quoq; in Nicasio & Eutropia omnes fratres, sororesq; nostras in Christo, quotquot Turca truculentiss. tyrannus ardens oculis, animoq; fremens tã præteritis quàm nostris annis, in Græcia, in Italia, in Pannonia, uelut oues mactauit. Vincit hæc Turcica immanitas Gothicam, hæc fauitia superat Hunnicam, hæc crudelitas antecellit Vandalicã. Incidimus eheu nos in longe deteriora tempora, atq; illa fuerunt, quæ nobis Chronographi de ueterum Romanorum atq; Africanorum ærumnis in scriptis reliquerunt. Scythæ loris, Turcæ scorpionibus cædunt Ecclesiam: Antiochus olim ad Soleimannum collatus, columba uideri possit. Siculi tyranni, & qui Athenis ui damnabantur tantum non amici fuerint, si hos Saracenos, inimicos tales, aspicias. Quis strages, quas edidit homo ille perditionis? quis funera fando explicet? Nicasius uerum agens pastorem, irruentibus immani ira con-

90
 citatis homicidis, pro populi salute solícite orans, gladiorū ictus fortiter excepit, sicq; in confessione S. Euangelij mortem obiit. Eadem fide & exemplo ciues occubuerunt, Pretiosa mors in conspectu Domini. Accidit res admiranda: Remenses à Vandalis iugulati, uicerunt. Atq; inde nomen Nicasiushabet. Sit benedictus Deus.

SABBAS ABBAS PALÆSTINÆ.

Per Georgium Vicelium.

Patria Cappadox, Christianis parētibus Sabbas, cuius nomen in Græcorum quoq; Ephimeride legitur. Is patre in militiam proficiscente: si quidem isthuc iubebat imperator Theodosius: proripuit se in Monasterium, partim ut in eo, quippe loco semotiore, à seculari strepitu tranquillius Deo seruiret, uitæ innocentia, precibus, ieiunijs, meditationibus, psalmodijs, partim ut commodius pijs utriusq; Testamenti literis operam daret. Quæ duo monachum Christianum decent, nimirum Deo & studijs uacare. Extra illū binariū monachus nihil aliud est, quā telluris inutile pondus. Monachus mūdo familiaris, Deo odibilis est. Monachus prauis cupiditatibus indulgens, à caupone nihil differt. Non cucullus, sed uirtus facit monachum. Sub cucullo hypocrisis latere potest, in bona mente non potest. Eo processit sanctimonix Sabbas, ut per eum miracula quædam ederet omnipotens. Diabolum uicit uarijs modis, tanta ualebat uirtute dei. Vitam beatus uir in Palæstina consumpsit, ubi in domino obdormiuit, Hierosolymis sepultus. Rapha. Volaterranus de Sabba illo ita commemorat, lib. xix. Sabbas abbas imperante Theodosio, è Cappadocia uenit Hierosolymā, ubi usq; ad extremum uixit, paruo sibi ædificato tugurio, quotidie loca religiosa lustrando. Eius deinceps reliquix Venetias translata.

Ignatius

IGNATIUS EPISCOPUS ET MARTYR.

Ex D. Hieronymo.

91
Ignatius Antiochenæ Ecclesiæ, tertius post Petrū Apostolum episcopus, commouente persecutione Traiano, damnatus ab bestias, Romam uinctus mittitur. Cumq; nauigans Smyrnam uenisset, ubi Polycarpus, auditor Ioannis, episcopus erat, scripsit unam epistolam ad Ephesios, alteram ad Magnesianos, tertiam ad Trallenses, quartam ad Romanos: & inde egrediens, scripsit ad Philadelphæos, & ad Smyrnæos, & proprie ad Polycarpum, commendās illi Antiochensem ecclesiam: in qua & de Euangelio quod nuper à me translatus est, super persona Christi ponit testimonium, dicens: Ego uerò & post resurrectionē in carne eū uidi, & credo quia sit. Et quando uenit ad Petrum, & ad eos qui cum Petro erant, dixit eis: Ecce, palpate me, & uidete, quia non sum dæmonium corporale. Et statim tetigerunt eum, & crediderunt. Dignum autē uidetur, quia tanti uiri fecimus mentionem, & de epistola eius, quam ad Romanos scribit, pauca ponere. De Syria usq; ad Romanam pugno ad bestias in mari & in terra, nocte dieq; ligatus cum decē leopardis, hoc est, militibus, qui me custodiūt: quibus & cum benefeceris, peiores fiunt. Iniquitas autem eorum, mea doctrina est, sed non idcirco iustificatus sum. Utinam fruar bestijs quæ mihi sunt preparatæ, & quas & oro mihi ueloces esse ad interitum, & ad supplicia, & alluci ad comedendū me, ne sicut & aliorum martyrum non audeant corpus attingere. Quod si uenire noluerint, ego uim faciam, ut deuorer. Ignoscite mihi filioli, quid mihi profit, ego scio, Nunc incipio Christi esse discipulus, nihil de his quæ uidentur, desiderans, ut Iesum Christum inueniam. Ignis, crux, bestie, confractio ossium, mēbrorū diuisio, & totius corporis contritio, & tota tormenta

tormenta diaboli, in me ueniant, tantum ut Christo fruatur. Cumq; iam damnatus esset ad bestias, ardore patiendi, cum rugientes audiret leones, ait: Frumentum Christi sum, dentibus bestiarum molar, ut panis mūdus inueniar. Passus est anno undecimo Traiani. Reliquiæ corporis eius Antiochiæ iacent extra portam Daphniticam in cœmiterio. De eodē S. Ignatio lege, presbyter, Eusebium, Hist. Eccles. lib. iij. cap. xxxvij.

DE EODEM S. IGNATIO.

Ex Baptista Mantuano.

PAstor in Antiochi celebres Ignatius agros
Venerat, & sacros Petri fortitus honores,
Sancta per Assyrios pascebat ouilia campos:
Iste super mira nascentis origine Christi,
Et teneri studijs æui, uitæq; prioris
Moribus ad matrem dedit, accepitq; tabellas.
His adeo in caluit patriæ cœlestis amore,
Obuius ut fatis ultro progressus in ipsos
Se tulerit Traiani enses, & in ora leonum:
Quin & defuncti scrutatus colla satelles,
Auratis inscripta notis inuenit Iesu
Nomina: sic grauibus dictis, suauisq; potenti
Intima discipuli penetrarat pectora uirgo:
Ac si quis Partho missurus spicula cornu,
Cuspidis arata trahat, impellatq; sagittam.

S. THOMAS APOSTOLVS.

Ex Eusebio.

DE hoc Eusebius in hunc modum: Deniq; post resurrectionem atq; ascensionem Domini ad cœlos, Thomas Apostolus ex commonitione diuina Thattæum quendam, unum ex septuaginta discipulis, ad Edissenam ciuitatem Euangelistam & prædicatorem uerbi dei emittit, simul & quæ à domino promissa fuerant, impleturum. Idem lib. iij. cap. i. ait: Thomas (sicut nobis traditum est) fortitus est Parthos,

thos, Matthæus Æthiopiam, &c. Idem lib. xj. cap. v. sic scribit: Edessa Mesopotamiæ urbs fidelium populorum, Thomæ Apostoli reliquijs decorata, &c. De S. Thoma Hieronymus sic: Thomas Apostolus, quem admodum traditum est nobis, Parthis & Medis & Persis, & Germanis, & Hircanis, & Bactris, & Magis prædicauit Euangeliū Domini. Dormiuit in ciuitate Calamina, quæ est Indiæ.

Libuit præterea huc attexere nonnihil ex sacro Sedulij poemate, Ioan. xx.

Ex Sedulio.

CUm foribus clausis resideret turba fidelis,
Pace saluantis sese intulit, atq; foratas
Expediens palmas, nudat latus. Ast ubi Thomas,
Cui Didymus cognomen erat, cum fratribus unā
Non fuerat, dubioq; fidem sub corde gerebat,
Donec rursus eò pariter residente ueniret,
Qui nunquam subtractus erat, tunc limine clauso,
Constitit in medio, non dedignatus apertum
Discipulis monstrare latus, tactuq; probari
Vulneris, & mentem patienter ferre labantis.
Agnitus hinc potius quod sit dubitantis amicus:
Quisquis enim artifices cæca sub imagine fraudes
Instruit, & uarias cupit exercere figuras,
Non uult agnosci, non uult sua facta requiri,
Ut lateant sub nube doli, nebulæq; recludens
Omnia, sollicitos odit simulator amicos.

STEPHANVS DIACONVS

& protomartyr.

Historiā sanctissimi ac fortissimi Stephani perquam eleganter, copiosèq; descripsit, S. Lucas in libro Praxeôn, cuiusmodi passim in omnibus Ecclesijs leguntur & decantantur.

Ex Aratore Diacono.

EMicat hinc Stephanus, primus qui in agone coronam

Nominis

Nominis hæres habet, de quo prænuncia palmæ,
 Vox cecinit, q̄ causa dedit: fere prælia martyr
 Felices habitura neces, ubi gloria pœna est,
 Et cadere est ortus, iugulisq̄ parentibus æuum
 Nascitur, æternæ complectens munera uitæ.
 Vitæ principium fuit en sine fine beatæ,
 Sic meruisse mori. lapides Iudæa rebellis
 In Stephanum lymphata rapis, quæ crimine duro;
 Saxea semper eris. hunc deniq̄ Christus adoptat,
 Ad quem miles ouans per uulnera sacra uocatus
 Sanguine fecit iter, cupiensq̄ præmia uictor
 Hac properare uia, niuei meritis honorem
 Callis, ad excelsi pergit fastigia regis,
 Et per tot lapides petrae coniungitur uni.
 Quis furor iste nouus nulli feritate secundus?
 Parcere nolle pio, uibrantibus acta lacertis
 Saxa iacis, parat ille preces, nec respicit unde
 Grando nefanda cadat, qui tempore mortis amicæ,
 Pro populo peccante rogat: licet omnia tecum
 Tela feras, silicesq̄ graues, & pondera libres,
 Quem perimis uicturus erit, qui sine colono,
 Seminat exemplum, quo surgit uinea Christi,
 Et calicem domini conuiuia festa coronet.
 Lumina cordis habens cælos prospexit apertos,
 Neclateat quod Christus agat, pro martyre surgit,
 Quem tunc stare uidet confessio nostra sedentem
 Cum soleat celebrare magis: caro uincta tonanti
 In Stephano fauet ipsa sibi, dux præsciis armat
 Quos ad dona uocat: ne quis hic dimicet anceps,
 Corpus in arce dei patuit pro munere testi.
 Ad Sauli posuere pedes uelamina sæui
 Infernum quod Hebræus ait. iam constat utrisq̄
 Hinc meritum sentire suum, cum sydera martyr,
 Carnificis infirma perunt, fors prima reuelat
 Exemplumq̄ creat, q̄ talia bella gerenti
 Hoc de fonte fluit. sic occidentibus ut mox

Tartara

Tartara succedant, morientibus astra patescunt.

PASSIO STEPHANI.

Ex Enchiridio Prudentij.

Primus inquit Stephanus mercedem, sanguinis
 imbri
 Afflictus lapidum, Christū tamen ille crucis
 Inter saxa rogat, ne sit lapidatio fraudi
 Hostibus, o primæ pietas miranda coronæ.

DE S. STEPHANO DIUVS HIÉRONYMVS

lib. 13. in Ezechielem cap. 43.

Aunt duos hædos immaculatos post passio-
 nem Domini oblator esse ad altare domini,
 Iacobum & Stephanum: quorū alter de apo-
 stolorum numero, alter de septem electis in ministe-
 rium domini princeps fuit. Iste est Iacobus, qui trans-
 formatum saluatorem uidit in monte: qui resurgen-
 tem filiam archisynagogi cum Domino Petroq̄ &
 Ioanne intuitus est: qui cathalogo Apostolorum, in
 quo bina iunguntur nomina, prior fratre ponitur.
 Hunc interfecit Herodes, & quasi hædum immacula-
 tum post passionem saluatoris in die immolauit se-
 cunda. Stephanū quoq̄ (cuius sapientiæ & doctri-
 næ nullus poterat resistere: & qui stantem uidit filiū
 ad dexteram patris, & dixit: Domine Iesu suscipe spi-
 ritum meum) lapidibus obruere Iudæi.

Idem Hieronymus ad Paulam super obitu Blefillæ
 filiæ, de S. Stephano inter reliqua sic: De Mose uero
 & Aaron, quod eis ex ueteri more sit planctus exhibi-
 tus, non mirandum est, cum & in Actis Apostolo-
 rum, iam Euangelio coruscante, Stephano fecerint
 Hierosolymæ fratres planctū magnū. Et utiq̄ plan-
 ctus magnus, non in plangentium exanimatione, ut
 tu putas, sed in pompa funeris, & exequiarū frequen-
 tia intelligendus sit. De S. Stephano diuus Augusti
 nus in ciuit. dei, lib. xxij. cap. viij. sic scribit: Ad aquas
 Tibilitanas Episcopo afferente, proiecto, reliquias

Miracula

apud cor-

pus. S. Ste-

phani.

marty.

martyris gloriosissimi Stephani: ad eius memoriam ueniebāt magnę multitudinis concursus & occurfus, Ibi cęca mulier ut ad Episcopum portantem pignora sacra duceretur, orauit: flores quos ferebat, dedit, recepit, oculis admouit, protinus uidit. Stupentibus cunctis, qui aderant, preibat exultans, uiam carpens, & uia ducem ulterius non requirens. Memorati memoriam martyris, quę posita est in castello Synicensi, quod Hipponensi colonię uicinum est, eiusdem loci Lucillus Episcopus populo precedente atq; sequente in manu portabat: fistula, cuius molestia iam diu laborauerat, & familiarissimi sui medici, qui eam fecare uellet, operiebatur manus illius pię uectatione, ubi sanctas attigit reliquias, repente sanata est. Nam deinceps eam in suo corpore non inuenit. Eucharius presbyter ex Hispania Chalamę habitās, ueteri morbo calculi laborabat, per memoriã supradicti sancti martyris, quam Possidius illõ aduexit Episcopus, saluus factus est. Idem ipse postea morbo alio pręualefcente mortuus sic iacebat, ut ei iam pollices ligarentur, opitulatione memorati martyris, cum de memoria eius reportata fuisset, & super iacentis corpus missa ipsius presbyteri tunica, suscitatus est. Fuit ibi uir in ordine suo primarius, nomine Martialis, æuõ iam grauis, & multum à religione abhorrens Christiana. Habebat sanę fidelem filiam, & generum eodẽ anno baptizatum, Qui cum eum ægrotantem multis & magnis precibus & lachrymis rogarent, ut Christianus fieret, prorsus abnuuit, eosq; à se turbida indignatione submouit. Visum est genero eius ut iret ad memoriam sancti Stephani, ut illic pro eo quantum posset, oraret, ut Deus illi daret mentem bonam, qua credere non differret in Christum. Fecit hoc ingenti gemitu & fletu, & sinceriter ardente pietatis affectu. Deinde abscedens aliquid de altari florum quod occurrat tulit, eiq; cum nox esset, ad caput posuit. Tunc dormitũ

dormitum est: & ecce ante diluculum clamat, ut ad episcopum curreretur, qui mecum forte tunc erat apud Hipponen. Cũ uerõ eum audisset absentem, uenire presbyteros postulauit: uenerunt, & statim credere se dixit: admirantibus atq; gaudentibus omnibus, baptizatus est. Hoc quã diu uixit in ore habebat: Christe accipe spiritum meum: Cũ hæc uerba beatissimi Stephani, quando lapidatus est à Iudæis, ultima fuisse nesciret, quę huic quoq; ultima fuerunt, nam non multo post etiam ipse defunctus est. Sanati sunt illic per eundem martyrem etiam tres podagrici, duo ciues, peregrinus unus: Sed ciues omni modo, peregrinus aut per reuelationem quid adhiberet (quando doloret) audiuit: & cũ hoc fecisset, dolor conqueuit. Audurus nomen est fundi, ubi ecclesia est, & in ea memoria Stephani martyris. Puerum quendam paruulum cũ in area luderet, exorbitantes boues, qui uehiculũ trahebant, rota obtriuerũt, & confestim palpitauit expirans. Hunc mater arreptũ ad eandem memoriã posuit: & non solum reuixit, uerum etiam illæsus apparuit. Sanctimonialis quædam in uicina possessione, quę Caspaliana dicitur, cũ ægritudine laboraret ac desperaretur, ad eandem memoriã tunica eius allata est, quę antequam reuocaretur, illa defuncta est. Hac tamen tunica operuerunt cadauer eius parentes, & recepto spiritu salua facta est. Apud Hipponen Bassus quidam Syrus ad memoriã eiusdem martyris orabat pro ægrotante & periclitante filia, eiq; secum uestem eius detulerat: cum ecce pueri de domo cucurrerunt, qui ei mortuam nunciarent. Sed cum orante illo ab amicis eius exciperentur, prohibuerunt eos illi dicere, ne per publicum plangeretur. Qui cum domum redisset iam suorum eiulatibus perfonantem, & uestem filia, quam ferebat, super eam proiecisset, rursus reddita est uita. Rursum ibidem apud nos Irenei cuius-

dā collectarij filius ægritudine extinctus est. Cumq; corpus iaceret exanime, atq; alijs gementibus & plangentibus exequiæ pararentur, amicorū eius quidā inter aliorū cōsolantiū uerba suggessit, ut eiusdē martyris oleo corpus perungeretur. Factū est, & reuixit. Idē Augustinus de S. Stephano scribit, in quaestionibus ueteris & noui Testamenti. Item in libro de cognitione ueræ uitæ, cap. xliij.

IOANNES APOSTOLVS ET EVANGELISTA.

Ex Hieronymo.

Ioannes Apostolus, quem Iesus amauit plurimū, filius Zebedæi, frater Iacobi Apostoli, quem Herodes post passionem domini decollauerat, nouissimus omnium scripsit Euangelium, rogatus ab Asiæ episcopis, aduersus Cerinthum, aliosq; hæreticos, & maxime tunc Ebionitarum dogma confurgens, qui afferunt, Christum ante Mariam non fuisse. Vnde & compulsus est, diuinam eius natiuitatem edicere. Sed & aliam causam huius scripturæ ferunt: quod cū legisset Matthæi, Marci & Lucæ uolumina, probauerit quidem textum historię, & uera eos dixisse firmauerit, sed unius tantum anni, in quo & passus est, post carcerem Ioannis historiam texuisse. Pretermissio itaq; anno, cuius acta à tribus exposita fuerāt, superioris temporis, antequam Ioannes clauderetur in carcerem, gesta narrauit, sicut manifestum esse poterat his, qui diligenter quatuor Euangeliorum uolumina legerint. Quæ res etiā diaphoniā, quæ uideatur Ioannis esse cum cæteris, tollit. Scripsit autem & unam epistolam, cuius exordium est: Quod fuit ab initio, quod audiuius, & uidimus oculis nostris, quod perspeximus, & manus nostræ cōtrectauerūt de uerbo uitæ, quæ ab uniuersis Ecclesiasticis & eruditis uiris probatur. Reliquæ autem duæ, quarum principium, Senior electæ dominæ & natis eius: & sequentis, Senior Caio clarissimo, quem ego diligo

iii

in ueritate: Ioannis presbyteri afferuntur, cuius & hodie alterum sepulchrum apud Ephesum ostenditur. Et nonnulli putant, duas memorias eiusdem Ioannis Euangelistę esse. Super qua re cum per ordinem ad Papiam auditorem eius uentū fuerit, differemus. Quarto decimo igitur anno, secundam post Neronē persecutionem mouente Domitiano, in Pathmon insulam relegatus, scripsit Apocalypsim, quam interpretatur Iustinus martyr, & Hirenæus. Interfecto autem Domitiano, & actis eius ob nimiam crudelitatem à senatu rescissis, sub Nerua principe redit Ephesum, ibiq; ad Traianum principem perseuerans, totas Asiæ fundauit rexistq; Ecclesias, & confectus senio, sexagesimo octauo post passionem anno domini mortuus, iuxta eandem urbem sepultus est.

DE IOHANNE APOSTOLO S. HIERONYMVS
lib. 3. in Epist. ad Galat. cap. 6.

Beatus Ioannes Euangelista cum Ephesi moraretur usq; ad ultimam senectutem, & uix inter discipulorum manus ad ecclesiam deferretur; nec posset in plura uocem uerba contexere: nihil aliud per singulas solebat proferre collectas, nisi hoc, Filioli diligite alterutrum. Tandem discipuli & fratres qui aderant, tædio affecti, quod eadem semper audirent, dixerunt: Magister, quare sepe hoc loqueris? Qui respondit dignam Ioanne sententiam: Quia præceptum domini est, & si solum fiat, sufficit. Hactenus Hieronymus.

Vir clarissimus Ioannes Capnion libro iij. Verbi mirifici, de S. Ioanne sic refert: Ioannes Euangelista superato ueneno, dæmonem in Dianæ templo ducentos & quadraginta nouem annos commoratum, his uerbis loco expulit: Interdico (dæmon) tibi in nomine Iesu Christi Nazareni, ne ultra hic habites. Et confestim decessit | Epheso dæmon. Quo factum est,

G 3

ut iussu Domitiani uir sanctus non sine Prochoro sodali suo in Pathmon insulam exul deportaretur, ubi tam ingentia per nomen Iesu cōfecit miracula, quōd sacerdotes Apollinis, impatientia simul & futuræ de sertionis formidine perculsi, rem omnem ad Cynopem Magorum facile principem, &c. Hæc Capnion.

Notum est uulgo, quod de Drusiana Ephesiana, uerè Christiana matrona, à Ioanne Apotolo, cum iam efferretur, ex mortuis suscitata legitur. Hæc femina Ioanni uidetur esse, qualis Petro Tabita illa seu Dorcas in Actis Apostol. Nec à uero abludit, quod referunt de philosopho Cratone, huius Apostoli disputatione atq; miraculo, ad religionē nostram conuerso. Nouum haud quaquam est à Christianis ecclesiæ, Philosophos sæculi uictos, & Christo lucrifectos esse.

Septimius Tertullianus de Ioanne Euangelista meminit in libro de præscriptionibus hæreticorum, his quidem uerbis: Romæ apostolus Ioannes, posteaquam in oleum igneum demersus nihil passus est, in insulam relegatur.

Iacobus Fab. Stapulensis, in lib. de una, ex tribus, Maria, Ioannis Apostoli meminit, referens uerba quædam ex Melitone Sardensi episcopo, qui ait: Cū esset annorum nonaginta, apparuit ei dominus Iesus Christus cum discipulis suis, & dixit ei: Veni ad me, quia tempus est ut epuleris in conuiuio meo cū fratribus tuis, &c.

INNOCENTES BETHLEHEMITICI.

Historiam puerorum Bethlehemiticorum scribit S. Matthæus euangelista, sui de Christo libri, cap. ij. Verum Herodis sequitiam multis in locis Egessippus & quidem recte depingit.

Ex Sedulio.

ERgo ubi delusum se comperit, impius iram
Rex aperit, si iure queat rex ille uocari,

Qui

Qui pietate caret, propriam qui non regit iram.
Ereptumq; gemens facinus sibi, ceu leo frendens,
Cuius ab ore tener subito cum labitur agnus,
In totum mouet arma gregem, manditq; trahitq;
Molle pecus, trepidæq; uocant sua pignora fœta
Nequicquam, & uacuas implent balatibus auras.
Haud secus Herodes, Christo stimulatus adempto,
Sternere collisas paruorum strage cateruas
Immerito non cessat atrox. Quo crimine simplex
Turba perit? Cur qui uix dum potuere creari
Iam meruere mori? Furor est in rege cruento,
Non ratio, Primosq; necans uagitus & audens
Innumerum patrare nefas, puerilia mactat
Millia, plangoremq; dedit tot matribus unum.
Hæc laceros crines nudato uertice rupit,
Illâ genas secuit, nudum ferit altera pugnâ
Pectus, & infelix mater, nec iam modo mater
Orba super gelidum frustra premit ubera natum.
Quis tibi nunc lanio cernenti talia sensus?
Quosue dabas fremitus, cum uulnera feruere late
Prospiceres arce ex summa: uastumq; uideres
Misceri ante oculos tantis plangoribus æquor?
Extinctis tamen quamuis infantibus, absens
Præfens Christus erat, qui sancta pericula semper
Suspicit, & pœnas alieno in corpore sentit.

OCCIDUNTUR INFANTES IN BETHLEM.

Ex Enchiridio Prudentij.

Impius innumeris infantum cœdibus hostis
Perfuit Herodes, dum Christum quærit in illis.
Fumant lacteolo paruorum sanguine cunæ,
Vulneribusq; madent calidis pia pectora matrum.

EX BAPT. MANTVANO DE INNOCENTIBVS.

REx erat Herodes Solymitis, de sanguine cretus
Gentis Idumæ, sceptrum Iudæa propago
Perdiderat, sæuumq; ferens in uita tyrannum,
Amisissos regni ueteris plorabat honores.

G s

Ipse igitur Regis metuens hæc signa futuri,
Protinus innocuo Bethlemica rura cruore
Tinxit, & effusa ingenti per tecta, per agros
Cæde, domos lachrymis impleuit & æthera planctu.

EX SACRIS SCRIPTORIBVS DE

Magorum facto egregio.

DE Magis uetustissimus Theologus & egregius scriptor Septimius Tertullianus in libro contra Iudæos ita habet: Magos reges ferè habuit Oriens, & Damascus Arabiae retro deputabatur, antequam transcripta esset in Syrophœnicen ex distinctione Syriarum, cuius tunc uirtutè Christus accepit, accipiendo insignia eius, aurum scilicet & odores: spolia autem Samariæ, ipsos magos: qui cum illum cognouissent, & muneribus honorassent, & genu posito adorassent, quasi dominum regem sub testimonia indicis & ducis stellæ spolia sunt facti Samariæ, id est, idololatriæ, credentes uidelicet in Christo.

Diuus Hilarius in Matthæum, Canone primo, de Magis ita scribit: Stella aut ortus primum à Magis intellectus indicat, mox gentes in Christo credituras, & homines professionis longe à scientia diuinæ cognitionis auersæ, lumen, quod statim in ortu eius exiit, cognituros. Deniq; oblatio munerum intelligentiam in eo totius qualitatis expressit, in auro regem, in thure deum, in myrrha hominem confitendo. Atq; ita per uenerationem eorum, sacramenti omnis est consummata cognitio: In homine mortis, in deo resurrectionis, in rege iudicij. Quod uerò repetere iter atq; ad Herodem in Iudæam redire prohibetur, nihil à Iudæis petere scientiæ cognitionisq; permittitur, sed in Christo salutem omnem & spè locantes, admonemur prioris uitæ itinere abstinere.

Diuus Irenæus de magis in hanc sententiam scribit: Vnus & idem deus, qui à prophetis prædicatus est, & ab angelo annuncius, & huius filius, qui ex fructu

fructu uentris Dauid, id est, ex Dauid uirgine, & Emanuel, cuius & stellam Balaam quidem sic prophetauit: Orietur stella ex Iacob, & surget dux in Israel. Matthæus autem magos ab oriente uenientes ait dixisse: Vidimus enim stellam eius in oriente, & uenimus adorare eum. Deductosq; à stella in domum Iacob ad Emanuel, per ea quæ obtulerunt munera ostendisse, quis erat qui adorabatur, Myrrha quidè, quod ipse erat, qui pro mortali humanogenere moreretur & sepeliretur: Aurum uerò, quoniã rex, cuius regni finis non est: Thus uerò, quoniam deus, qui & notus in Iudæa factus est, & manifestus eis, qui nõ quærebant eum. Historia Tripar. lib. iij. cap. ij. uerba de magis hæc habet: Magi religionem Persarum ueluti quædam sacerdotalis tribus per successionem generis ab initio commissam habere noscuntur.

Io. Chrysostomus super Matth. cap. 2. uocat magos illos barbaros & Persas. Tanti, ait, regis natiuitas Persarum regem ad se ortu suo triumphante traxit, &c. Idem ibidem dicit, magos istos non simpliciter barbaros, sed illis longè, utiq; sapientiæ dignitate præstantes, &c. De donis Ioannes Chrysostomus sic concionatur: munera suppliciter offerebant, quæ tamen plurimum & à Iudæorum more distarent, & ecclesiasticæ philosophiæ conuenirent, Si quidem scientiam illi obedientiamq; & charitatem figuratim offerebant. Athanasius Quest. 2. facit mentionem Epiphaniæ, quem diem, inquit, appellamus triu regum, nisi forte illud interpretis est.

Diuus Hieronymus lib. vij. in Esaiam: Magi, inquit, ab oriente docti à dæmonibus, uel iuxta prophetiam Balaam intelligentes natum filium dei, qui omnem artis eorum destrueret potestatem, uenerunt Bethleem, & ostendente stella, adorauerunt puerum &c. Idem Hieronymus in Ezechiel, prophetâ, cap. ij.

Magi qui de singulis philosophantur, &c. Mox: *Con-*
suetudo autem & sermo communis, Magos pro ma-
leficis accipit, qui aliter habentur apud gentē suā, eo
quod sint philosophi Chaldaeorum, & ad artis huius
scientiam reges quoque & principes eiusdem gentis
omnia faciunt. Vnde & in natiuitate domini saluato-
ris, ipsi primum ortum intellexerunt, & uenientes in
sanctam Bethleem, adorauerunt puerū, stella desu-
per ostendente.

Episcopus Thaurinensis Maximus nomine, in
Serm. de Epiphania, uocat Magos, Chaldaeos. Idem
de Magis sic: & bene charissimi uno itinere tres simul
adoraturi ueniunt Magi, &c. Cremonensis Platina
sic ait: Magos, quidā Orientales, reges suos & sapi-
entes appellant. Atque huc accedit, quod Serm. vij. Au-
gust. de natali dom. legitur: Chaldaeos puerum Iesu
regis muneribus honorasse.

Scribit idem Augustinus de Magis etiam, lib. iiii,
de symbolo ad catechumenos, cap. iiii, Et de Trinit.
lib. iiii, cap. xii. Quo loco docet, nos ad exemplum
Magorum, per aliam uiam in patriam caelestem re-
dire. Nempe per eam uiam, quam monstrat rex humi-
lis, quamque rex superbus obsidere non possit. Serm.
i. in Epiphaniā leguntur haec uerba: Triplicium mu-
nerum triplex significatio continetur. In thure obtu-
lerunt Dei honorem, in auro, regiam dignitatem, in
myrrha, corporis sepulturā. Offeramus ergo & nos
dilectissimi fratres sincera & sancta munera deo no-
stro, castitatem, fidem, patientiam, charitatē, mentes
humiles, mores probos, animas deo inhabitare di-
gnas. Haec sunt enim placita deo dona, haec grata mu-
nera, quae Deo quidem offeruntur, sed offerentibus
profunt. Nullo enim munere ille eget: sed hoc illi
munus optimum est, ut causas habeat munerandi.
Paranesin quoque ex Ioan. Chrysof. libet adiungere:
Imitemur igitur nos saltem deuotionem Magorum,
ueroque

ueroque amore philosophiae barbaram consuetudinē
subiungamus, longo itinere curramus, ut Christum
uidere mereamur. Nam & illi, nisi procul regionem
propriam reliquissent, nequaquam utique Christum
uidere potuissent. Recedamus igitur à terrenis nego-
cijs & curis. Etenim Magi illi cū adhuc morarentur
in Perside, stellam uidere tantummodo: quia uero à
Perside recesserunt, solem iustitiae ipsi aspexere: qui
certe nec stellam quidem ipsam tam diu uidere me-
ruisset, nisi cito à Perside fuissent profecti. Surgamus
ergo & nos, & licet omnes resistant, nos tamen ala-
cres & prompti ad pueri accurramus domū. Et si rex
& si populus, & si tyrannus huius uelint cursum iti-
neris impedire, nequaquam tamē accensi desyderij ex-
tinguamus ardorē. Sic enim omnia aduersa calcabi-
mus, quoniā & illi nisi uidissent puerū, nec periculū,
quod à rege intētabatur, uitassent. Prius enim quā
puerū cernerent, undique illis opponebantur timores,
conturbationes, atque discrimina. Postquam uero ado-
rarunt, securitas & tranquillitas consecuta est. Nec
iam stella eos, sed angelus suscipit, quia scilicet ado-
rando facti fuerant sacerdotes, cum supplicatione es-
tiam muneribus oblatis. Quin nos & S. Ambrosius
adhortatur ad imitationem Magorum, sup. Lucam
cap. ij, dicens: Quae sunt ista uerae fidei munera? thur-
deo, myrrha defuncto, &c. Nos quoque qui haec audi-
mus & legimus, de thesauris nostris, talia fratres mu-
nera, proferamus. Habemus enim thesaurū in uasis
fisculis, &c. Stella haec uia est, & uia Christus: quia
secundū incarnationis mysteriū, Christus est stella.
Orietur enim stella ex Iacob, & exurget homo ex I-
srael, &c. Nū. xxiii. Citat S. Ambrosius historiā, quae
doceat Magos à Balaam genus ducere. Vocat illos
Chald. peritos in numeris, & qui Magicis artibus
conciliandae sibi diuinitatis studiū impenderint, &c.

Diuus Cyprianus facit magos Arabas & incolae

Sabba. Paulo post sic differit de magis: erant in illis regionibus uiri syderū inspectionibus assueti, qui arte mathematica, uim discursūq; planetarū nouerāt, qui ex elemētōrū natura rationē tēporū metientes, astro rū ministeria certis experimētis proprijs didicerant effectibus assignata. Hi ex uaticinijs Balaam olim audierāt, stellā oriri in Iacob, &c. Diu homines illi huius prophetiæ prouētū expectarāt: & ubi uenit plentudo tēporis, orto repente nouo sydere, ad antiqua uolumina recurrentes, tā testimonio muniti, quam signo, Dromadis inuecti in Iudæam stella duce peruenērūt, &c. mox: Ecce alienigenę a fluminibus Æthiopię ad paruulum Christum supplices ueniunt, &c. Item in auro regem, in thure sacerdotem, in myrrha incorruptibilem, quamuis passibilem profitentur.

Idem Cyprianus: Adorato Domino, magi hilares alio tramite in suam patriam reuertuntur: quia necesse est, ut qui ad iustitiam, ore etiam confessi sunt ad salutem, deinde uias eligant arctiores, & se districtioribus mandatis obligent, quoniam per uias latas descensusq; præcipites itur ad inferos: per arctas uero & difficiles reditur ad superos, &c. mox: Arcta uia est castitas, trames strictus humilitas: ieiunio affligi, & carnem in seruitutem redigere. Scopulose sunt semitæ, sed ad patriā superiorē non nisi per meatus difficiles armati milites reuertūtur. Hæc Cyprianus. Si cui libet, legere poterit D. Hierony. in lib. de uera Circumcisione, ibi de Magis Orientalibus, deq; oblati ipsorum donis agitur. Histor. tripart. lib. x. cap. xxx. scribit Theodoretus, Magos à Persis eos dici, qui elementa deificant. Raphael Volaterranus lib. xvij. Anthropologic: Magi tres ex oriente fuere, Gaspar, Melchior, & Balthasar, quorū corpora in ciuitate Coloniensi. Platina in Alexandro ij. de sepulchro Magorū refert: Federicus autem tyrannica potestate usus, direpta Dertona & Mediolanum

Ianū solo æquauit: unde translata magorum corpora. Coloniā tum crediderim a Rodulpho Coloniensium Archiepiscopo, &c. Antonius Sabellicus libro. ix. de magis ita memoriæ tradidit: Pari miraculo tres illi qui ab oriente uenerūt magi, ut Christū nuper natum adorarent, intempesta nocte moniti, ne ad Herodem redirent, quem Hierosolymis conuenerant, rati (quod erat) cæli numen interesse ijs, quæ fierent, ab hospitali urbi diuersi domū abierūt: sed in nulla re sacræ literæ pluribus scatent exemplis. Nam quotus quisq; religionem adiit, qui non aliquo instructus oraculo uisus sit sibi diuinę uoci, nō nocturnæ imagini obtemperare? Petrus Comestor in historia Scholastica erubescendum in modum delirat quem secutus est Petrus de Natalibus, circa nomenclaturā magorū, dum autumant Latina esse nomina Caspar, Melchior, Balthasar: quæ Hebreis dicantur Appellius, Amerius, Damascus: Græcis uerò Galgalath, Malgalath, Sarachin. Stupendā inscitia. Sed isti temporū infelicitati uenia danda est. De translatione magorū ex Mediolano in Coloniensem ciuitatem, opera Reinaldi Coloniensis Episcopi, uide Albertum krantz in sua Saxonia, lib. vj. cap. xxiiij. His certiora leges in opere Chori sanctorum.

REMIIGIUS EPISCOPVS REMENSIS.

Per Georgium Vincel.

Vir pius, nec indoctus Remigijs, Gallus extitit Gallię suæ unica gloria. Hoc enim Euangelij prædicatore, natio nobilissima, Christū cognouit, idq; Clodouei quarti Gallorū regis ætate, circa annum domini cccxc. Eodē tempore floruit quippe Remigij synchronus Vedastus Atrebatensis Episcopus, qui Thaumaturgiā per Christi nomē exercuisse legitur. De utroq; Episcopo scribit Robertus Gaguius lib. ij. de gestis Francorū, narrans qua occasione Clodoueus rex gentilis etiam dum per uxorē suam Crotildem Christianam ad Christū inuitatus fuerit,

Inter alia sic scribit: Pertinaci autem in errore Clodoueo bellum in Alemannos instauratur. Constitutis in conspectu utriusque exercitibus, manus conferunt. Pugnatum cum diu esset, Francis cedentibus timet sibi Clodoueus, cœlumque suspectans Deus, inquit, quem Crotildis religiose ueneratur, audi: Si uicero, fide te perpetua colam. Vix preces finierat rex, ecce alacres Franci prælium redintegrare conspiciuntur, quibus animum ipse quoque adiciens, rege Alemanno perempto, uictoria potitus est, & Alemannis lex posita. Victorem etiam, credulum Christo regem, Vedastus qui Tulli aderat, & qui postea Atrebatum pontificatum administravit, secutus est, cui rex credulitatis & fidei suæ rationem enarrauit. Crotildis credenti Clodoueo gratulata, Remigium pontificem nihil morata conuenit, atque ad Clodoueam introducit, quem ad se admissum rex diligenter audit de fide & Christi religione differentem. Dies abluendo regi indicitur, parato ingenti ornato lauacro, cum sacrosanctum oleum (quo liniri ritu Christiani, qui abluuntur, solent) siue ministrorum incuria, siue hoc agente Deo allatum non esset, ecce de superis delapsa columba, phialam quam ampullam uocant, odoratissimi liquoris oppletam, ad manus Remigij detulit. Creditum est spiritus Dei ministerio id perpetratum esse. Eo liquore B. Clodoueus primum, posteri deinceps Francorum reges hactenus regnum administraturi, sacrantur. Ministerio ablutionis expleto, Clodoueus ad circumstantem nobilitatem populique breui oratione habita, suadet aspernari falsam deorum religionem, & eius fidem profiteri, qui Christus appellabatur, & Dei filius esset, quo autore, hostem Alemannum, inquit, superauimus. Regis oratione percussis Francorum animis, Christum professi, abluti sunt.

Hila-

HILARIUS EPISCOPUS.

Ex S. Hieronymo.

Hilarius urbis Pictauorum Aquitanie episcopus, factione Saturnini Arelatenfis episcopi, de synodo Piterensi, Phrygiam relegatus, duo decim aduersus Arianos confecit libros, Et alium librum de Synodis, quem ad Galliarum episcopos scripsit. Et in Psalmos commentarios, primum uidelicet, secundum, & à quinquagesimo primo, usque ad extremum: in quo opere imitatus Originem, nonnulla etiam de suo addidit. Est eius & ad Constantium libellus, quem uiuenti Constantinopoli porrexerat. Et alius in Constantium, quem post mortem eius scripsit. Et liber aduersus Valentem & Ursatum, historiæ Ariminentis & Seleucientis synodi continens. Et aduersus præfectum Salustium, siue contra Dioscorum, & liber Hymnorum, & mysteriorum alius. Et commentarij in Matthæum: & tractatus in Iob, quos de Græco Origenis ad sensum transtulit: & alius elegans libellus contra Auxentium: & nonnullæ ad diuersos epistolæ. Aiunt quidam scripsisse eum & in Cantica canticorum, sed à nobis hoc opus ignoratur. Mortuus est Pictauis, Valentiniano & Valente regnantibus.

MAVRI DVO.

Per Georgium Vicelium.

Alter martyr, alter Abbas, uterque uir secundum cor dei, propter inhabitantem spiritum: quo doctore Euangelium didicerant: quo confortationes uicerant. Prior infidelis adhuc tempore Diocletiani tyranni miles sæculi fuerat, uerum uirtute Christi Christianus factus, deo militauit, idque spiritualibus armis, quibus Satanae humani generis primarius hostis, mirabiliter deijcitur. Porro pius contemptus impijssimæ Diolatriæ (ita enim Iouis cultum appellare libet) Maurum, præterea Papiam, Saturnium,

nium. Siffinium Christianos esse prodidit. Aenea Iouis statua ceu figuli testa conteritur. Laodicius praefectus, & minister impietatis, ab eleuthero stomis, seu liberae linguae praedicatoribus acriter arguitur. En igitur carceres, fustus, eculeos. Nam hac demum methodo ad haereditatem in caelo conseruatam nobis faeliciter contenditur.

Posterior Maurus diui Benedicti discipulus, & in monastica colenda nulli secundus, bonis operibus, Euangelio dignis, diligentissime uacauit, temporibus Theoberti Francorum regis. Cum lego Cor nobitas, inq; Christiana pietate Ascetas tot claruisse miraculis, miror ego mirum in modum nostrae aetatis dissimilitudinem: & uehementissime doleo, pro pietate tantam exuberasse in ecclesia iniquitatem. Proh dedecus, non diuina miracula, sed uitioru portenta nunc passim uidere est.

POLYCARPVS APOSTOLICVS.

Ex S. Hieronymo.

Polycarpus Ioannis Apostoli discipulus, & ab eo Smyrnae Episcopus ordinatus, totius Asiae princeps fuit: Quippe qui nonnullos apostolorum, & eorum qui uiderant dominum, magistros habuerit & uiderit. Hic propter quasdam super die Paschae quaestiones, sub Imperatore Antonino Pio, ecclesiam in urbe regente Aniceto, Romam uenit, ubi plurimos credentium, Marcionis & Valentini persuasione deceptos, reduxit ad fidem. Cumq; ei fortuito obuiam fuisset Marcion, & diceret: Cognoscis nos? Respondit: Cognosco primo genitum diaboli. Postea uero regnante M. Antonino & L. Aurelio Commodo, quarta post Neronem persecutione, Smyrnae, sedente proconsule, & uniuerso populo in amphitheatro aduersus eum personante, igni traditus est. Scripsit ad Philippenses ualde utile Epistolam, quae usq; hodie in Asiae conuentu legitur, nempe haec Poly-

Polycarpus, & qui cum eo sunt presbyteri, ecclesiae Dei quae est Philippensis: Misericordia uobis & pax a Deo omnipotente, & Iesu Christo saluatore abundet. Congratulatus sum uobis magnifice in domino nostro Iesu Christo, suscipiens immutabilia uerba dilectionis, quam ostendistis in illis (qui praemissi sunt) uiris sanctis, decoris uinculis connexis, quae sunt coronae electae Deo, illius ueri regni, per dominum nostrum Iesum Christum: & quia firmitas fidei uestrae a principio usq; nunc permanet, & sanctificatur in domino Iesu Christo, qui sustinuit pro peccatis nostris usq; ad mortem: quem suscitauit Deus, dissolvens dolores inferni, quem cum non uideritis, nunc diligitis, in quem nunc non aspicientes, creditis: credentes autem, gaudebitis gaudio inenarrabili, &c. Reliqua ex libro Epistolarum Ignatii quibus addita est haec Polycarpi Epistola. Et Polycarpus autem non solum ab Apostolis edoctus, & conuersatus cum multis ex eis, qui dominum nostrum uiderunt, sed etiam ab Apostolis in Asia, in ea quae est Smyrnae ecclesia constitutus episcopus, quem & nos uidimus in prima nostra aetate, multum enim perseuerauerat, & ualde senex gloriosissime & nobilissime martyrium faciens, exiuit de hac uita. Hic docuit semper, quae ab Apostolis didicerat, quae & ecclesiae tradidit, & sola sunt uera. Et testimonium hijs perhibent, quae sunt in Asiae ecclesiae omnes, & qui usq; adhuc successerunt Polycarpo, qui uir multo maioris auctoritatis & fidelioris ueritatis est testis, quam Valentinus & Marcion, & reliqui qui sunt peruersae sententiae.

FASSIO DIUI POLYCARPI.

Ex Eusebio Caesariensi.

In signis autem uir Polycarpus, primo quidem cum laudiret uulgus in se adclamationibus excitatum, in nullo penitus motus est, sed mansit impavidus. Tranquillus namque erat moribus, & serenus aspectu.

Epistola S.
Polycarpi.

Hic ex Irenaeo
episcopo.

Qui

Qui cum in eadem ciuitate uellet interritus permanere, adquiescens tamen deprecantibus se, familiaribus suis, ad agrum quendam ciuitati proximum fecerit, atque ibi cum paucis, die noctuque nihil aliud quam in orationibus permanet, pro pace ecclesiarum, quæ ubique sunt, supplicans Deo, quod ei facere in omni uita sua moris perpetui fuit. Sed is in orationibus positus, ante triduum quam comprehenderetur, uisionem uidet per noctem, cervical capitis sui flammis esse consumptum. Cumque euigilasset, post uisum interpretatus est astantibus somnium suum, dixitque pro certo, se ob Christum, per ignem uitæ exitum sortiturum. Imminente igitur, &c. Postea uero quam finiuit orationem, memoriam faciens omnium quoscunque nosse potuit, maiorum minorumque, nobilium & ignobilium, & totius catholicae ecclesiae, quæ per orbem terræ est, instante iam hora progreditur, & asino sedens ad ciuitatem ducebatur, cum esset dies magni sabbathi. Pergit, occurrit ei præfectus pacis Herodes nomine, & pater eius Nicetus, qui leuantes eum secum in uehiculum, persuadere sedulo conabantur, dicentes: Quid enim mali est, dicere dominum Cæsarem, & immolare, & de cætero uiuere securum? Hæc ille primo tacitus audiuit. Sed ubi persistebant, ait ad eos: Quid multis opus est? facturus non sum quod dicitis. At illi postea quam nihil se proficisse senserunt, indignatione commoti, cum contumelia eum uehiculo deturbant, ita ut pedem læderet, præceps actus. Sed quasi nihil fuisset iniuriæ, tota alacritate contentus, pergebat ad stadium quod duci fuerat imperatus. Cum uero tumultus ingens in stadio ex ingressu eius fuisset exortus, uox de cælo delapsa est: Fortis esto ô Polycarpe, & uiriliter age. Sed autorem quidem uocis uidere potuit nemo, auditus tamen ad plurimos uenit. Interea animatur ad furorem tumultus populi, uidentis quia Polycarpus in-

trocha-

troducitur. Cumque eminus à Proconsule interrogaretur, si ipse esset Polycarpus, se esse confiteretur: Ergo (inquit) habeto ætatis tuæ reuerentiam, & parcès ultimæ senectuti tuæ, iura fortunam Cæsaris, gerens de prioribus pœnitentiam, & conclama etiam tu. Tolle sacrilegos. Tum Polycarpus toruo uultu ad populum, qui in stadio residebat, aspiciens, eleuata ad cælum dextra, cum gemitu, proclamauit & dixit: Tolle sacrilegos. Sed insistente proconsule, & dicente iura fortunam Cæsaris, & dic in Christum conuitia, & dimitto te. Polycarpus ad hæc: Octoginta (inquit) & sex annis serulo ei, & nihil me læsit unquam, quo modo possum maledicere & blasphemare regem meum, qui salutem mihi dedit? Cumque rursus uehementius urgeretur, ut fortunam Cæsaris iuraret: Si hæc (inquit) iactantiam quæris, ut ego fortunam Cæsaris iurem, & quis sim, ignorare te simulas, cum omni libertate audi à me, quia Christianus sum. Si uero etiam rationem uis Christianæ religionis accipere, statue diem & audi. Proconsul dixit: Suade hoc populo: Polycarpus ait: Tibi quidem respondi. Docemur enim principibus & potestatibus ijs quæ à Deo sunt, honorem deferre, eum scilicet qui religioni non sit contrarius: Populo autem furenti satisfacere, non est meum. Proconsul dixit: Bestias habeo paratas, quibus subigèris, nisi cito pœnitueris. At ille respondit: Adhibeantur, nobis enim immobilis stat sententia, nec possumus de bono ad malum per pœnitentiam commutari. Melius autem erat, si hi mutarentur ad bonam, qui perseverant in malis. Tunc Proconsul: igni te (inquit) faciam consumi, si tibi bestiae contemnendæ uidentur, nec propositi recipis pœnitentiam. At ille: Ignem mineris (inquit) hunc qui ad momentum incenditur, & paulo post extinguitur, quia ignoras futuri iudicij ignem æternum, qui ad perpetuas pœnas præparatus est impiorum, Sed quid moraris? Adhi-

H

be utrum uoles. Hæc & multa alia his similia dicens Polycarpus, confidentia simul & lætitia replebatur, ita ut alacritatem uultus eius, responsionumq; constantiam Proconsul maximo stupore miraretur. Misso igitur Curione ad populum, iubet uoce maxima protestari, Polycarpum tertio confessum Christianum se esse. Quo audito, uniuersa multitudo tam gentili-um quam Iudeorum Smyrnesium ciuitatis, cum ingenti furore adclamabant: Hic est totius Asiæ doctor & pater Christianorum, nostrorum aut subuersor deorum. Ipse est qui multos docet, ne immolent, ne ue adorent deos. Et post hæc uerba acclamabant Philippo munerario, ut leonem Polycarpo dimitteret &c. Cætera legat pius presbyter apud Eusebium lib. iij. cap. xv.

SATYRVS ET ARCADIVS.

Per Georg. Vicel.

VTerq; Christi Iesu Martyr, & propter uetus Ecclesiæ Euangelium a sacrilegis ac feralibus tyrannorum manibus occisus. Illud scilicet peccarat Saryrus: Idolum falsi cuiusdam Dei, cum exufflasset fide crucifixi Iesu, accidit, ut in puluerem redigeretur. o deum nullum, o deum qui hominis statu disperit. Idem fere proditum est de Felice presbytero & martyre: nam ad huius quoq; exufflationem Serapidis, Mercurij & Dianæ simulchra corruentia, in nihilū, unde erant, redierunt. Quod summum miraculum, summum supplicium secutus est. De Arcadio scribitur, quod tot supplicia perulerit, quot suo in corpore habuerit membra. Declinans persecutionem, in persecutionem fugiendo maximam incidit. Sed ubi uenit hora nihilo fortius in confessione sancti Euangelij perstitit, ad sanguinem usq; in quo mutilato corpore sese uoluerat, dum emitteret extremum spiritum.

Timo-

TIMOTHEVS PAULI DISCIPVLVS.

Ex litteris noui Test.

Timotheus Lystris oppido Lycaoniæ natus ex Iudæa matre & patre gentili, Christianæ religionis cultor erat, cū Paulus in ea loca peruenit. Qui motus Timothei sanctitate & optima fama, qua idem inter Christianos illius tractus celebratur, ascitit ipsum socium & comitem suæ peregrinationis. Ac ne offenderentur, qui ex Iudaismo conuersi fuerant ad Christum, Timotheumq; nouerant filium esse patris gentilis, ipsum circumcidit, quod licebat, ad huc nondum satis Euangelio promulgato. Cum autem peruenissent Ephesum, ibidem Timotheus & Paulo relictus est, ut Ecclesiam doctrina exemploq; iuaret. Ad hunc Paulus, ut doctrina qua presentem instituerat, absentem quoque confirmaret, duas epistolas scripsit: alteram a Laodicea, alteram ab urbe Roma. Postremo Timotheus quum in festo celeberrimo Dianæ populū ab impio sacrificio conaretur auertere, lapidibus obrutus est a furente populo, unde penè mortuus sublatus a Christianis, & ad montem urbi uicinum eductus, spiritum emisit.

TITVS PAULI DISCIPVLVS.

Titus Episcopus Cretæ, in eadem & in circumscriptionibus insulis prædicauit Euangelium Christi. Ibidem autem & dormiuit, & sepultus est, nempe in Creta.

CRESCENS PAULI COMES.

Crescens in Gallijs prædicauit Euangelium, & illic sepultus est. Eunuchus Candaces Æthiopum reginæ in Arabia cognomento Felici, & in Taprobana insula maris rubri prædicauit Euangelium domini. Aiunt autem eum & ibidem martyrium pertulisse, & honorifice fuisse sepulchrum.

H

2

Porro de Timotheo, Tito & Crescente Eusebius historia Ecclesiastica lib. iij. cap. iij. plura commemorat.

VITA IOANNIS CHRYSOST. EX SOCRATE IN
Historia Tripart. lib. 10. cap. 3.

Ioannes fuit Antiochenus, filius Secundi & Anthusæ nobilium personarum, discipulus Sophistæ Libani, & auditor Andragathij philosophi. Cumq; se ad aduocationem præpararet, consyderans molestias litigantium, iniustumq; uitæ propositum, porius elegit quietē. Et hoc fecit æmulatus Euagrii: quoniam & ille cum iisdē studijs esset usus, quietam magis sequutus est uitam. Mox ergo mutato cultu pariter & incessu, diuinis lectionibus incumbēbat, & frequentius ad sanctam concurrebat Ecclesiā. Hæc agens persuasit etiam Theodoro & Maximo, qui fuerant condiscipuli ipsius apud Sophistam Libanium, ut pomposam relinquerent uitam, & simplicē sequerentur. Quorum Theodorus postea episcopus Mopsuestiensis ordinatur Ecclesiæ, Maximus autem Seleuciæ, Isauriæ. Tum itaq; isti fiebant discipuli in lectione diuina Diodori atq; Carterij, qui eo tempore sacris monasterijs præsidebant. Sed Diodorus postea Tarsi ordinatur episcopus, multos conscripsit libros sacros ad litteram intuens scripturas. Porro Ioannem degentem cum Basilio, qui tunc à Meletio factus erat diaconus, & postea Cæsareæ Cappadociæ præfule constituto Zeno, episcopus à Hierosolymis reuertens, lectorem in Ecclesia Antiochena constituit. In quo adhuc officio positus, librum edidit contra Iudæos. Post modicum uero tempus etiam Diaconatum à Meletio promerens. De sacerdotio alium fecit librum, aliosq; plurimos explanauit. Postea uero Meletio in Constantinopolitana urbe defuncto, recedens Ioannes à Meletianis, & neq; Paulino communicans, tribus annis continue sub quiete degebat.

Mortuo

Mortuo uero Paulino, ab Euagrio eius successore presbyter ordinatur. Ante episcopatum itaq; hoc modo conuersatus est. Fuit enim uir (ut aiunt) propter zelum castitatis seuerior, & amplius quam habebat à iuuentute sua, furori magis quam reuerentiæ se præbebat, & propter uitæ rectitudinem incautus prospicere de futuris. Propter simplicitatem uero oris libertate profusus, apud colloquentes non mediocriter utebatur. Docendo uero præcipuus erat, utilis ad corrigendos audientium mores. In confabulatione uero arrogans a nescientibus putabatur. Cum ergo talis moribus esset, episcopatu suscepto, maiori fastu quam debuerat, utebatur, clericorum suorum corrigere uitam uolens. Mox igitur in ipso initio, cum clericis asper uideretur Ecclesiæ, erat plurimis exosus, & ueluti furiosum uniuersi declinabant. Compellebat enim eum, ut uelut omnes offenderet Serapio diaconus eius, qui aliquando presentibus clericis, huc protulit magna uoce sermonem: Nunquam poteris, ô Episcope, hos corrigere, nisi uno baculo percusseris uniuersos. Quo dicto, matora contra eum odia concitata sunt. Non post multum uero temporis, plurimos clericorum pro diuersis exemit causis. At illi conspirantes aduersus eum, etiam derogationibus apud populum utebantur, quarum rerum faciebant maximam fidem, eo quod nec ullum secum comedere pateretur, nec ipse ad alium inuitatus accederet. Dicunt enim quidam, propterea noluisse eum cum quoquam comedere, eo quod turpiter manducaret, escasq; perciperet. Alij uero propter excellentē ciborum abstinentiam, hoc eum facere prædicabant. Ego tamen, quodā uiro ueraci referente, audiui, quod propter abstinentiā capite & stomacho sepe dolebat, & ideo prandiorum epulas euitabat. Porro populus, sermones quos in ecclesia faciebat, diligebat eum parui pendens accusatorum uoces.

H

VINCENTIUS DIACONUS ET MARTYR.

Per Georg. Vicelium.

Vincentius Oſchæ natus, quod oppidum eſt Hiſpaniæ citerioris, ab ineunte ætate ſtudio literarum deditus, & ſacris literis eruditus à Valerio Cæſarauguſto epiſcopo, cui blaſa lingua erat, munus iniunctum prædicandi Euangelium pro ipſo ſanctiſſime & conſtanter obibat. Quò cognito Daci anus prouinciæ præſes in perſecutione Diocletiani & Maximiani capi eum iubet Cæſarauguſtæ cum Valeriano, & uinctum ad ſe Valentiam deduci, ubi propter fidei conſtantiã uerberibus primum uſq; ad tororum laſſitudinem cæſus eſt: deinde in eculeo ferreis unguibus exaratus: poſtremo in craticula pruinis ſubiectis impoſitus, & ferreis pectinibus alte impreſſis excarnificatus, quæ cum inuictò animo peruſſiſſet, in carcerem reſtuditur. Vbi paulò poſt ſpiritu ad martyrii coronam accipiendam emiſit, uidecimo calendas Februarij. Quo die martyrium quoq; celebratur Anaſtaſij natione Perſæ, qui Heraclio imperatore cum Hieroſolymam & loca ſancta uiſiſſet, extra caſtellum Bethſalem cum ſexaginta Chriſtianis, qui à Cæſarea Palæſtinæ ipſum fuerant ſequuti, iuſſu regis Coſdroç fuit ſtrangulatus.

De laude Vincentij Martyris lege hymnum in Periſtephanis Prudentij,

BRIGITA VIRGO.

Per Georg. Vicel.

Alij non Brigita, ſed Birgita dicunt. Verũ aut ego fallor, aut dici debet Pyrgita. Quo nomine S. Hieronymus Magdalenam alicubi uocat. Neq; enim aliud Hebræis eſt Magdalena, & aliud Græcis *μαγδαληνη*, nimirum à turri. Eadem igitur ratione dixeris hanc diuam uel Pyrgitam, uel Magdalenam. Porro binæ Pyrgitæ feruntur, quarum altera uirgo

uirgo monaſtica, nationis Scoticæ, tempore Iuſtini imperatoris: circa annum Domini 525. Altera Chriſto deuota fœmina è Suetiæ finibus, quæ Romam profecta inclaruit: circa annum Domini 1368. De uirginis Scoticæ pietate, deq; per eam editis miraculis, alibi legas licet. Quod de fœmina in Chronicis extat, uerifiſimilius eſt. Paulam Hieronymi diſcipulã aliquo modo imitari uoluit: dedicarat ſe totam Chriſto, abdicatis omnibus ſeculi delitijs, Chriſto ut placeret, ſategit: Chriſto ſeruire, regium eſſe & liberale duxit. Hanc quæ imitentur uiduæ, uix ullæ ſunt: quæ neglecto Chriſto, ſæculum amplectantur plurimæ: his præfertim temporibus, quibus abundat impietas, feruet iniquitas. Hermannus Contractus meminit utriuſq; Pyrgitæ.

Albertus Krantz in lib. x. ſic ſcribit: Brigita inſignis ſanctimoniæ fœmina, quæ memoriã ſuã Romæ fertur in eccleſia S. Pauli reliquiſſe, reuerſa in Suetiam patriam ſuã, extruxit ſuis ſumptibus monaſterium Waſteen: erat enim magno genere militari nata, ibiq; in ſancta conuerſatione degens, hoc tempore ſubuolauit ad Chriſtum, miraculis clareſcens, &c.

IOANNES ELEEMOSYNARIUS.

Per Georg. Vicelium.

Temporibus Phocæ Imperat. claruit Ioannes Patriarcha Alexãdriæ natus, is doctrina uirtuſq; ſanctimonia præditus, cognomen Eleemoſynarij à liberalitate ac beneficentia ſortitus eſt *ἐλεημοσύνη* enim dicebatur plane Euangelico cognomine. Pauperes, dicebat dominos ſuos eſſe, & mendicos auxiliarios. Alludens nimirum ad ſermonem Chriſti, Lucæ xvj. Facite uobis amicos de mammona iniquitatis, ut cum defeceritis, recipiant uos in æterna tabernacula. Amicos itaq; tales domi deſcriptos habebat, ne quis illorum per obliuionem deſtitueretur.

H 4

Docendo populum eò duxit, ut cuius petenti pròp-
te atq; hilariter impertiretur, & eã ad rem citare san-
ctorum uirorum exempla, quæ ipse tamen omnia mi-
randum in modum uicit. Disperfit, dedit pauperibus
quicquid habebat, quicquid illi undiquaquam obue-
niebat. Christianus liberalior sub sole non uixit isto
Eleemone. Familiare illi dictum isthuc erat: Sic ò sic
bone Iesu, ego dispergendo, & tu subministrando ui-
deamus, uter uincat. Equidem non temere eleemo-
synam, hoc est, misericordiã, ceu uirginem sponfam
oleacea corolla redimitam acceperat. Misericordia fi-
lium Dei deduxit è cælo: eadem nos per illum à tera
illuc subducat. Fidelis sermo. Vide Vitas patrum
fol. lxxxiiij. Scripsit huius uitam Leontius episco. in
Cypro,

DOROTHEA VIRGO ET MARTYR.

Per Georgi. Vincel.

Fertur senatoria familia prognata Dorothea uir-
go, atq; liberaliter educata, nec non moribus à
prima statim ætate tam pudicis quam ingenuis
prædita fuisse. Grassante enim passim per Italia ciui-
tates sæua persecutione, commodū furori cessit pater
uirginis, relictis omnibus in patria, secundū uerbū
Domini, & traiecto æquore, unã cum filiabus suis
(quarum duas habuisse superstites dicitur, nempe
Chresten & Calistam) in oras Cappadociæ peruenit.
Ibi cum sedem sibi prospexisset, placuit Cæsareæ cõ-
morari. Quo loco ex uxore sustulit tertiam filiã, hanc
scilicet nostram Dorotheam, uice magni à deo doni.
Quoniam uero in illis quoq; mundi partibus odio
Christiani nominis omnia flagrarunt, coactus fuit
pater genitor, dissimulanter curare, ut filiola sacramẽ-
to Baptismatis ecclesiæ initiaretur. Virgo igitur po-
steaquam adoleuisset, forma insignis, & rogata Fabri-
tjo præfecto sui copiã facere nollet, utpote intactæ
uirginitatis sedula custos, irritatus leo ille, in uirgū
culam

culam scire cœpit: sed tot tormentis admotis, nihili
efficere ualuit. Confititur enim puella Marpesiæ, cautis
instar fide robusta, in confessione Christianismi, nec
se hinc blandis pollicitis, nec minis immanib. adeoq;
truculētiss. pœnis à Deo ad deos abduci patitur. Vox
hæc fortissima memoratu digna est: Deū adoro, non
deos. Præter hanc ista quoq;, quam in medijs tormen-
tis edidit: Nihil nõ Fabrici tyranne, pati parata sum
pro amore honorẽ ue Christi Iesu domini ac sponsi
mei. Nemo facile effabitur, quali laniena corpus i-
stud tenerrimum uexarint carnifices, lædendo lassã-
ti, non fatiati. Atque hinc elucet uirtus Dei magna,
qua tot mortibus superuixit ouicula boni pastoris.
Verum non sat habuit religiosiss. uirgo, quod ob cõ-
fessionem fidei masculo animo pateretur; nisi bonū
etiam opus in ipso agone, ui Christianæ dilectionis
adducta faceret. Cum enim animaduerneret utraq;
sororem supplicij formidine à confesso Christo Iesu
turpiter desciuisse, illasq; ad cumulum sui sceleris
hoc quoq; addituras, ut tertiam, Dorotheam hanc,
natu minorem, spiritu maximam, secum in æternum
interitū pellicerent, euenit uersis uicibus, ut eximia
uirgo magna cum admiratione omnium, relapsas
sorores abnegato Christo per efficaciam prædicati
uerbi tãdem restitueret, atq; ita suo utraq; soror Græ-
co nomini respondit. Chresta commodam dulcẽq;
sonat. Talis enim altera Christo sponso facta est. Al-
tera Callista, hoc est optima, à Christo habita est,
quod maluit Christiana quam Ethnica mori. Iam ue-
rò Dorotheæ toties serpente deuictò, restabat trium-
phus. Produci igitur ad supplicium capitis iussa, ob-
uium habuit Theophilum protographæa quendam.
In ioco seridue puellam cruentæ morti destinatã ro-
gare cœpit, ut sibi de charissimi sponsi sui, roties iacta
to paradiso, aliquid odoramentorum aut etiam fru-
ctuum, faciendæ fidei gratia dono mitteret, simulatq;
H s

se contulisset illo. Puella iuueni amata, Christum amans, ab amato Christo prece impetrat, ut Theophilo illi ad uitam præordinato, quod rogarat, confestim in aulam mitteretur. Nam hoc pacto ipsa suam liberabat fidem, pariter & iuuenem ad fidem illectū, ad se statim uocabat, in æternæ uoluptatis confortium. Accidit enim ut non solum Dorothea spicularo ris gladio ceruicem candidissimam præberet, occumberet, aut potius moriendo uinceret: uerum etiam Theophilus, posteaquam ille Christum confessus, Baptisma, ac mox corpus & sanguinem Dominicū in communionem ecclesiæ ultro acceperat. De ipsius quoque sororibus eò quòd calcatis Idolis, Christi Iesu fese ueræ religioni cōtradidissent, à gentilitatis errore quasi postliminio reuersæ, pœna capitis sumpta est. Acta eiusmodi feruntur esse sub Diocletiano & Maximiano imperatoribus Rom.

Alia Dorothea fuit olim Alexandriæ, eiusdem nominis uirgo, de qua Eusebius lib. viij. cap. xvij. sic scribit: Verum cum duobus grauissimis dominis libidine & crudelitate præceps ageretur, fuit apud Alexandriam Dorothea quædam satis nobili orta familia, ingentibus diuitijs, & propinquis nobilibus pollēs. Sed in ea ingenij atque industriæ bonum, cæterarumque honestarum artium studia magis, quàm hæc, uigebant. Forma uero & decoris gloria tanta ei fuit, ut mirum ac speciale in ea dei figmentum crederetur. Sed illa quæ religione animi & honestate uitæ pulchrior, quàm uultu corporis esse studeret, æquissimo mentis iudicio, quod pulchrum & decorum inter homines uidebatur, id potius Deo consecrare, quàm usui humano statuit indulgere, ut uirgo deo sacrata persisteret. At ille qui diuina atque humana, libidine simul & crudelitate sædaret, cognito solius formæ, non etiam ingenij ac proposito bono, ad contempe-
randam uirginem, ac polluentem eius castitatem,
animum

animum intendit. Comperto uerò quod Christiana esset, quæ secundum sua edicta pœnæ magis, quàm libidini subiicienda uideretur, in ambiguo positus, æstuarè cœpit, & in quam se partem uerteret, ignorare. Sed ubi dubios animos libido, quæ ei latius dominabatur, obrinuit, & expectantem uirginem pro martyrio ad supplicium rapi per occultos nuncios de stupro interpellauit, illa eque nephas sibi esse respondit, templum corporis sui, quod semel deo consecrauerat, idolorum cultu, ac libidinis contagione polluere. Proinde se quidem ad mortem paratam esse: à crudeli uerò tyranno non decere blandum aliquid aut molle proferri, nec esse dignum resolui erga se truces animos, quos quotidie undatim Christianorum profusus cruor duraret. Ad quæ responsa cum ille libidine accensus acrius incalesceret, & nisi uerbis acquieuisset, ut agere decerneret: omnibus uirgo pudicissima facultatibus suis, domoque ac familia derelicta, noctu clam cum paucis fidiſſimis famulis, & cum amicissima sibi comite castitate discedit, atque illufum tyrannum uanum amentemque dereliquit. Sed & alias plurimas nobiles mulieres simul ac uirgines exemplo illius adortus, sed exemplo nihilominus illius paratior es ad mortem, quàm ad seruitutem libidinis nactus, crudelibus supplicijs affici iubet. Quæ multo promptius & latius quàm cæteri omnes mortem subibant, eo quod duplices sibi coronas à domino præparandas, non solum proprietate, uerum etiam pro castitate credebant.

SEBASTIANVS MILES ET MARTYR.

Per Georg. Vicel.

Natione Narbonensis, cuius uerò Mediolanensis, Diocletiano & Maximiano Imperatoribus Romanis ob uirtutem militarem in precio habitus, & iudicatus idoneus, qui primariæ cohorti præficeretur.
Iam

Iam uero quia Christianus erat, neque tamen in pro-
 parulo id iactitaret, propter metum tyrannorum,
 pie adiciebatur erga fratres, in carceribus ac tormē-
 tis. & quum percepisset, quosdam horum immodi-
 cis torturis superatos, ad religionis nostrę negati-
 onem declinare, non poruit se cohibere, quin illos ad
 iret, atque sermone protreptico confirmarit, ut fortē
 poscant animum, mortis terrore carentem. Suspici-
 onem communis professionis depulit chlamys, quā
 Romanorum militum more etiamdum gestabat.
 Quis enim Christianum sub chlamyde latere suspi-
 cari potuit inter gentes? Inter ceteros, quos in ipsis
 supplicijs mirifice animarat, Marcum etiam & Mar-
 cellinum geminos fratres, nobilissimi Tranquillia-
 ni & Martiæ filios, iamiam nimio cruciatu ad negati-
 onem adigendos, ad mentem reuocauit, magnani-
 mosque uiuidis dei uerbis reddidit, utcumque parentes,
 cognati, uxores unā cum liberis uinctorum istorum
 reniterentur. Nam illis ad extremum obsecrantibus
 ac miserabiliter ciulantibus, ut conseruandę uitę
 causa Christum abnegarent, ac idolis thus adolerēt
 in gratiam Magistratus, irrupit Sebastianus heroico
 pectore, & oratione habita, in proposito retinuit in-
 signe par istud Confessorum. Fortior erat Sebastiani
 exhortatio ad Martyrium suscipendum, ac præua-
 luit tam maternis quam uxorijs affectibus. Verba
 matris exerta, obiecti ab uxoribus paruuli non po-
 tuerunt a martyrio diuellere, quos spiritus ore Se-
 bastiani supra firmam petram collocarat. Dum hæc
 aguntur in ædibus cuiusdam Nicostrati, eduntur mi-
 racula diuinitus, quibus cognitis crediderunt ac bap-
 tizati sunt duo iuga illa: nimirum Nicostratus cum
 Zoe uxore, & senior Tranquillinus unā cum Martia
 uxore. De duabus uxoribus martyrij candidatorum
 hæcenus nihil tale lego. Atque ea occasione poterant
 duo illi filij mortis, Nicostrati Christiani iam benefi-
 cio,

cio, è carcere dimitti, nisi calicem domini usque adeo fi-
 tiuissent, hoc est, nisi mori libētissime uoluissent. Sen-
 tentia tandem fertur à iudice iniusto: Marcus cum fra-
 tra Marcellino capite plectuntur, animabus Christo
 commendatis. Non multo post, palam innotuit, Se-
 bastianum Christianum esse: nec is tale perpetuo dif-
 simulabat, & instabat tempus resolutionis suę. Igi-
 tur hunc imperator Ethnicus ad se uocatum acriter
 obiurgauit, exprobrauitque ei honoraria beneficia suę
 Maiestatis. At uir sanctus contra allegauit, se ad De-
 um opt. max. pro Romani Imperij salute indefinē-
 ter precari, nec mutatam in melius religionem Rei-
 publicę obesse. Imò profuerat tum alijs promiscue,
 tum Chromatio præfecto, quem ægrotum pristinę
 sanitati restituerat uirtute Christi, contritis domesti-
 cis idolis. Confregit ipse imagines Sebastianus, nec
 horum unam quidam superesse passus apud Chro-
 matium, ne hominis fides infirmiuscula post hæc ad
 huiusmodi impingeret. Verum Diocletianus tyran-
 nus nulli apologię locum relinquens, iubet Sebasti-
 anum abripi, extra muros trahi, scopi uice statui, &
 præcutis missilibus sociorum confodi. Nouum sup-
 plicij genus excogitatum, ne non miles militariter
 occumberet, tamen Christi miles occubuit, uereque
 Sebastianus, id est, pius, non iam qui fuerat, impijs.
 stipendiarius diaboli. Nec omnis ante occubuit, quā
 iterum atque iterum ueritatem Christianę fidei fuisset
 contestatus coram ipsis tyrannis, quos usque ad ulti-
 mum uitę spiritum de tyrannica in Christianam gen-
 tem sæuitia uehementer redarguit. De martyribus
 Sebastiano, Marco, Marcellino, Nicostrato & Zoe u-
 xore huius sub Diocletiano, liquet etiam ex Chroni-
 cis. De ipso Sebastiano diuus Ambrosius sup. Psal.
 cxviiij. sic scribit: Vbi multę coronę, multa certamina,
 Tibi ergo proficit, quod multi persecutores sunt, ut
 inter

inter multas persecutiões facilius inuenias, quomodo coroneris. Utamur exemplo Sebastiani martyris, cuius hodie natalis est. Hic Mediolanensis oriundus est: fortasse aut iam discesserat persecutor, aut adhuc non uenerat in hæc partium, aut mitior erat. Aduertit hic (Mediolani) aut nullum esse, aut tepere certamen: Romam profectus est, ubi propter fidei studium persecutiones acerbæ feruebant, ibi passus est, hoc est, ibi coronatus. Itaque illic quò hospes aduenit, domiciliū immortalitatis perpetuæ collocauit. Si unus persecutor fuisset, coronatus hic martyr utiq; non fuisset, &c. Reliqua leget pius presbyter apud ipsum Ambrosium: de oratorio S. Sebastiani Marty. lege Gregor. Mag. in .j. Dialogo, cap. 9. Da Christe, ut nos eodem induti spiritu libertaris, ac pari magnanimitate ac uehementia præditi, ueri Christianissimi negotium ubiq; agamus, & pro uno Sebastiano terris ademptò, mille exoriantur, Amen.

FABIANVS EPISCOPVS ET MARTYR.

Per Georg. Vicelium,

Romæ ortus, patre Fabio, uir pietati Christianæ deditissimus, quam ob rem Anthero Romano Episcopo (cuiusmodi hodie Papas uocant) ut in pastoralis officio succederet, mirabiliter à deo electus est. Eusebius Casarien. in sexto super ista mirabili electione sic scribit: Tradunt Fabianum, Anthero defuncto, cum de agro reuerteretur una cum amicis suis, & uniuersus Ecclesiæ populus pro Episcopo deligendo in unum coisset, atq; alius de alio (ut fieri solet in talibus) conclamaret, nec tamen uulgi sententia certi aliquid obtineret, additisse etiã ipsum inter cæteros, scire cupientem, qui rei exitus foret. Et subito per dei prouidentiam columbam cœlitus lapsam, figuram ferentem illius, quæ in sancti spiritus imagine super Iesum descenderat apud Iordanem, supra caput asitisse Fabiani. Ad quod spectaculum

Etaculum, ora cunctorum oculosq; conuersos: & omnes uelut uno spiritu commotos. hunc esse Episcopatu dignum, per dei iudicium decreuisse, eumq; mox Cathedræ impositum, & legitimo sacerdotio confirmatum, &c.

Diuus Hieronymus in libro de scriptorib. Eccle. cap. xxi. de S. Fabiano sic reliquit scriptum: De crudelitate autem persecutionis, qua aduersum Christianos sub Decio consurrexit, eo quòd in religionem Philippi desæuiret, quem & interfecit, superfluum est dicere, cum etiam Fabianus Rom. Eccles. Episcopus in ipsa occubuerit, & Alexander Babylasq; Hierosolymorū & Antiochenæ Ecclesiæ Pontifices in carcere pro Confessione dormierint. Hactenus ille. Atq; ita habes & uitam & mortem sancti Fabiani ab Eusebio & Hieronymo descriptam. Fuit & alius Fabianus, nempe inter istos xxxiii. Antiochenos Episcopos planè diuinos, successione decimus quintus, de quo etiam apud Eusebium.

AGNES VIRGO ET MARTYR.

Ex probatiss. autoribus.

DE sancta Agnete uirgine & martyre scribit S. Hieronymus ad Demetriadem de uirginitate seruanda, in hunc modum: Si te uirorum exempla non prouocant, hortetur faciatq; securam beata martyr Agnes, quæ & ætatem uicit & tyrannum, & titulum castitatis martyrio consecrauit, &c.

In eodem libello de eadem uirgine idem Hieronymus sic: Omnium gentium literis atq; linguis in Ecclesijs Agnes uita laudata est, &c.

De eadem uirgine Agna S. Ambrosius copiose scribit, nec quid certius de hac sanctissima uirguncula atq; Christi ouicula uspiam extant, quàm quod apud Ambrosium libro .j. de uirginibus, & sermone xc. legitur. Visum uerò est transcribere eiusmodi ex Ambrosio, propter eos, quibus desunt

sunt Ambrosianæ lucubrationes: Natalis est sanctæ Agnes, mirentur uiri, non desperent paruuli, stupeant nuptæ, imitentur innuptæ. Sed quid dignum ea loqui possumus, cuius ne nomen quidem est uacuum luce laudis? Fuit deuotio supra ætatem, uirtus supra naturam, ut mihi uideatur non hominis habuisse nomen, sed oraculum martyris, quæ indicauit quid esset futura. Habeo tamen, unde mihi subsidium comparetur. Nomen uirginis titulus est pudoris: Appellabo martyrem. Prædicaui satis, proluxa laudatio est quæ non quæritur, sed tenetur. Faceffant igitur ingenia, eloquentia conticescat. Vox una præconium est. Hanc senes, hanc iuuenes, hanc puteri canant. Nemo est laudabilior, quam qui ab omnibus laudari potest. Quot homines, tot præcones, qui martyrem prædicant, dum loquuntur. Hæc duodecim annorum martyrium fecisse traditur. Quo detestabilior crudelitas quæ nec minusculæ pepercit ætati. Imò magna uis fidei, quæ etiam ab illa testimonium inuenit ætate. Fuit ne in illo corpusculo uulnere locus? Et quæ non habuit, quo ferrum reciperet, habuit quo ferrum uinceret. At istius ætatis puellæ toruos etiam uultus parentum ferre non possunt, & acu districta solent puncta flere quasi uulnera. Hæc inter cruentas carnificum impauida manus, hæc stridentium grauibus immobilis tractibus catenarum, nunc furentis mucroni militis totum offerre corpus, mori adhuc nescia, sed parata, uel si ad aras inuita raperetur, tendere Christo inter ignes manus, atq; in ipsis sacrilegis focus trophæum Domini signare uictoris, nunc ferratis colla manusq; ambas inferere nexibus. Sed nullus tam tenuia membra poterat nexus includere. Nouum martyrij genus. Nondum idonea pœnæ, & iam matura uictoriæ: certari difficilis, facilis conari, magisterium uirtutis impleuit, quæ præiudicium uehebat ætatis. Non sic ad thalamum nupta properaret, ut ad supplicij locum,

cum, læta successu, gradu festina uirgo processit, non intorto crine caput compra, sed Christo, non flosculis redimita, sed moribus. Flere omnes, ipsa sine fletu Mirari pleriq; quod tam facile uitæ suæ prodiga, quæ nondum hauserat, iam quasi perfuncta donaret. Stupere uniuersi, quod iam diuinitatis testis existeret, quæ adhuc arbitra sui per ætatem esse non posset. Effecit deniq; ut ei de deo crederetur, cui de homine adhuc non crederetur: quia quod ultra naturam est, de autore naturæ est. Quanto terrore egit carnifex, ut timeretur? quantis blanditijs, ut persuaderet? quantum uota, ut sibi ad nuptias proueniret? At illa: Et hæc sponsi iniuria est, inquit, expectare placituram. Qui me sibi prior elegit, accipiet. Quid percussor moraris? Pereat corpus, quod amari potest oculis, quibus nolo. Stetit, orauit, ceruicem inflexit. Cerneretrepidare carnificem, quasi ipse addictus fuisset, tremere percussoris dextram, pallere ora alieno timentis periculo, cum puella non timeret suo. Habetis igitur in una hostia duplex martyrium, pudoris & religionis. Et uirgo permansit, & martyrium obtinuit.

Idem Ambrosius lib. j. offic. cap. xli. de hac uirgine Quid de sancta Agne, inquit, quæ in duarum maximarum rerum posita periculo, castitatis & salutis, castitate protexit, salutem cum immortalitate commutauit.

Maximus Taurinensis Epif. de hac nostra uirgine sic scribit: Pulcherrima de uirgine Christo consecrata discite uirgines Christi amorem in puella feruentem, &c. Agnes nescit amare, quod transit, &c. Agnes per opprobria sequitur Mariam. Item, cui etiam lupanar turpitudinis locus orationis efficitur. Ait item Taurinensis ille: Aut dum Laurentium incratricula assatum recolis, atq; Agnem sicut Teclam flammatum globos euasisse cognoscis, &c.

HISTORIA PASSIONIS S. AGNES
ex sermone xc. Ambrosii.

Tertiodecimo ætatis suæ anno mortem perdidit, & uitam inuenit, quia solum uitæ dilexit autorem. Infantia quidem computabatur in annis, sed erat senectus mentis immensa. Corpore quidem iuuenula, sed animo cana. Pulchra facie, sed pulchrior fide. Dum à scholis reuertitur, à præfecti urbis filio adamatur: cuius parentes dum requisisset & inuenisset, cœpit offerre plurima, & plura promittere. Deniq; detulerat secum pretiosissima ornamenta, quæ à beata Agne, ueluti quædam stercorea sunt recufata, &c. Reliqua ex allegato sermone fol. cccij. usq; huc: Emerentiana autem quæ fuerat, &c. Aurel. Prudentius passionem S. Agnes elegantè iuxta ac pie descripsit, in libro Peristephanon.

VITA SANCTÆ EMERENTIANÆ
uirginis, ex Ambrosio descripta.

Emerentiana, quæ fuerat collectanea eius, uirgo sanctissima, licet catechumena, constanter impida stabat immobilis, & his uerbis exprobrabat eos: Superflui, miseri, caduci, arque atrocissimi, deum omnipotentem colentem occidistis, & percussione lapidum homines innocentes iugulastis. Hęc & his similia dum turbis furentibus diceret, lapidata est ab eis, & orans iuxta sepulchrum Agnes beatissima, emisit spiritum. Non dubium est, quod in suo sanguine sit baptizata, quæ pro defensione iustitiæ, dum confiteretur dominum, mortem constanter excepit. Eadem deniq; hora fit terræmotus uehementissimus: & cum nimia esset cœli serenitas, tantæ coruscationes, tantaq; fulgura & tonitrua extiterunt, ut pars maxima infani populi expiraret. Vnde factū est, ut nullus penitus ex eo aduenientibus ad sepulchra sanctorum aliquas molestias excitaret. Venientes autem parentes beatæ Agnes cum sacerdotibus nocte,

nocte, abstulerunt corpus sanctæ Emerentianæ uirginis, & sepelierunt illud in confinio agelli beatissima uirginis Agnes. Igitur dum parentes beatæ Agnes assiduis pernoctationibus uigilarent ad tumulum eius, uident in medio noctis silentio exercitum uirginum, quæ omnes auro textis cycladibus induta, cum ingentilumine præteribant, inter quas uident beatissimam Agnem simili ueste fulgentem, & ad dexteram eius agnum niue candidiorem. Hęc itaq; dum uiderent parentes eius, & qui simul erant, stuporem mentis incurrunt. Sed beata Agnes rogat sanctas uirgines, parumper gradum figere, & stans parentibus suis dixit: Videte, ne me quasi mortuam lugeatis, sed congaudete mihi & congratulamini; quia cū his omnibus lucidas sedes accepi. Et illi sum iuncta in cœlis, quem in terris tota animi intentione dilexi. Et his dictis pertransiit. Hęc uisio publice ab omnibus qui uiderant, quotidie uulgabatur. Vnde factum est, ut post aliquantos annos ad Constantiā Constantini filiam hoc factum ab his, qui uiderant, narraretur. Erat enim ipsa Constantia regina uirgo prudentissima, sed ita obfessa uulneribus, ut à capite usq; ad pedes nulla membrorum pars libera remansisset. Accepto autem consilio spe recuperandæ salutis, uenit ad tumulum martyris nocte, & licet pagana, tamen credula animi intentione preces fideliter fundebat. Quod dum faceret repentina somni suauitate corripitur, & uidit per uisum beatissimam Agnē talia sibi monita præferentem: Constantè age Constantia, & crede, dominum Iesum Christum filium Dei esse saluatorem tuum, per quem modò consequeris omniū uulnerū, quæ in corpore tuo pateris, sanitatē. Ad hanc uocem Cōstantia euigilat sana, & sic sana, ut nec signū in eius mēbris alicuius uulneris remaneret. Reuersa igitur ad palatium sanissima, facit gaudiū & patri suo, & fratribus suis imperatoribus.

Coronatur ciuitas tota, fit lætitia militantibus atq; priuatis & uniuerſis audientibus hæc. Infidelitas gētium confundebatur, & fides dominica lætabatur. Interea patrem & fratres Augustos rogāt, ut bāſilica beatæ Agnes conſtrueretur, & ſibi illic maſoleūm collocāri præcepit. Currit hæc opinio ad omnes, & quotquot credentes ad tumultum eius adueniſſent, ſanabantur, quacunq; fuiſſent infirmitate detenti.

Quod facere Chriſtum nullus dubitat uſq; in hodiernum diem. Perſeuerauit autem Conſtantia Auguſti filia in uirginitate, per quam multæ uirgines, & mediocres, & nobiles, & illuſtres ſacra uelamina ſuſceperunt. Et quia fides mortis damna non patitur, uſq; in hodiernum diem multæ uirgines Romanæ Agnē beatiffimam, quaſi in corpore manentem attendunt. Et eius exemplo agentes uiriliter, integre perſeuerant, credentes ſine dubio, quod perſeuerātes perpetuæ uictoriæ palmam acquirant. Hæc ego Ambroſius ſeruus Chriſti, dum in uoluminibus diuinis inueniſſem ſcripta, non ſum paſſus infructuoſo ſilēſio tegi. Ad honorem igitur tantæ martyris, ſicut geſta eius agnoui, conſcripſi, & ad ædificationem ueſtram o uirgines Chriſti, textum paſſionis eius credidi deſtinandum, obſecrans charitatem ſpiritus ſancti, ut labor noſter in ueſtra imitatione fructum in conſpectu Domini ualeat inuenire, Amen.

HELENA CONSTANTINI MATER.

Ex Eufebio hæc omnia.

Helena Conſtantini mater, ſcæmina incomparabilis fide & religione animi, ac magnificentia ſingulari, cuius iure Conſtantine & eſſet filius, & crederetur: diuinis admonita uifiſionibus, Hieroſolymam petit, atq; ibi locum, in quo ſacroſanctum corpus patibulo affixum pependerit, ab incolis perquiri. Qui idcirco ad inueniendum difficilis erat, quod ab antiquis perſecutoribus ſimulachrum in eo

Veneris

Veneris fuerat defixum, ut ſi quis Chriſtianorum in loco illo Chriſtum adorare uoluiffet, Venerem uideretur adorare. Et ob hoc infrequens & penè obliuioni datus fuerat locus. Sed cum (ut ſupra diximus) religioſa ſcæmina, properaſſet ad locum, cœleſti ſibi iudicio deſignatum, cuncta ex eo prophana & polluta deturbans, in altum purgatis ruderibus, tres confuſo ordine reperit cruces: ſed obturbabat reperti muneris lætitiā uniuſcuiuſq; crucis indiſcreta proprietates. Aderat quidem & titulus ille, qui Græcis, & Latinis, atq; Hebraicis literis à Pilato fuerat cōſcriptus, Sed nec ipſe ſatis euidenter dominici prodebat ſignipatibuli. Hic iam humanæ ambiguitatis incertum, diuinum ſtagitabat teſtimonium. Accidit in eadem urbe, primariam quandam loci illius ſcæminam graui ægritudine conſectam, ſeminecem iacere. Macarius per idem tempus eccleſiæ illius epiſcopus erat. Is ubi cunctantem reginam, atq; omnes pariter qui aderant uidet: Adfert (inquit) huc totas, quæ repertæ ſunt cruces, & quæ ſit quæ portauerit Dominum, nunc nobis adaperiet Deus. Et ingreſſus cum regina pariter & populo ad eam, quæ decumbebat, defixis genibus huiuſcemodi ad Deum precem profudit: Tu domine, qui per unigenitum filium tuum ſalutem generi humano per paſſionem crucis conferre dignatus es, & nunc in nouiſſimis temporibus adſpirasti in corde ancillæ tuæ perquirere lignum beatū, in quo ſalus noſtra pependit, oſtende euidenter ex his tribus quæ crux fuerit ad dominicam gloriam, uel quæ exirerint ad ſeruile ſupplicium, ut hæc mulier, quæ ſemiuiua decumbit, ſtatim ut eam lignum ſalutare cōtigerit, à mortis ianuis reuocetur ad uitam. Et cum hæc dixiſſet, adhibuit primò unam ex tribus, & nihil profecit: Adhibuit ſecundam, & ne ſic quidem aliquid actum eſt. Ut uero admouit tertiam, repente adaperſis oculis mulier conſurrexit, & ſtabilitate ui-

rium recepta, alacrior multo quam cum sana fuerat, tota domo discurrere & magnificare Dei potentiam cœpit. Sic euidenti indicio regina uoti compos effecta, templum mirificum in eo loco in quo crucē repererat, regia ambitione construxit. Clauos quoque quibus corpus dominicum fuerat affixum, portat ad filium. Ex quibus ille frenos composuit, quibus uteretur ad bellum, & ex alijs, galeam nihilominus bellici usibus aptam fertur armasse. Ligni uero thecis argentis conditam dereliquit in loco, quæ etiam nunc ad memoriam sollicita ueneratione seruatur. Reliquit etiam hoc indicium religiosi animi regina uenerabilis. Virgines quas ibi repperit deo sacratas, inuitasse ad prandium, & tanta eas deuotione curasse dicitur, ut indignum crederet si famulorum uterentur officijs, sed ipsa manibus suis, famulæ habitu succincta, cibum apponeret, poculum porrigeret, aquam manibus infunderet, & regina orbis ac mater Imperij, famularum Christi se famulam deputeret. Et hæc quidem Hierosolymis gesta. His Eusebianis addas licet Ambrosiana. Aperit itaque Helena humum, decurrit puluerem, tria patibula confusa reperit, quæ ruina texerat, inimicus absconderat. Querit ergo medium lignum, &c. Redit ad euangelij lectionem, inuenit quod in medio patibulo prælatus titulus erat: Iesus Nazarenus, rex Iudæorum. Hinc collecta est series ueritatis. Inuenit ergo titulum, regē adorauit, nō lignū, utique, quia hic gentilis est error & uanitas impiorū, sed adorauit illum, qui pependit in ligno, scriptus in titulo, &c. Hactenus beatus Ambrosius, de obitu Theodosij imperatoris.

Agatha

AGATHA VIRGO. Per G. Vicel.

Non nomine tantum Agatha, hoc est, bona uirgo, hæc Catanæ in Sicilia, parentibus genere claris, nata. Post hæc aqua & spiritu renata, Christum è fide haud dissimulanter confitebatur. Vas infirmus audet, quod uix uiri fortissimi. Sed ut fieri solet, per inuidiam serpentis comitatur confessionem Crucis, quæ uaria occasione homines Dei è mundo sæculo rapit. Equidem hanc uirginem Siculam occasione ferè tali è terris ademit. Erat eo tempore uir illaudatus, Quintianus, Sicilię consul: qualis nimirum multo ante in eadem insula Siciliae C. Verres prætor fuit, hic nepharia cupiditate motus, ad uirginem corrupendâ animum adiecit. Quam cum accersisset, proposuit scelerati sui pectoris summam malitiam, huc spectans, ut Agatha simul & fide & uirginitate spoliaretur. Sub omni moto lapide, scorpium dormiebat: anguis in herba latebat. Virgo persentiscens dolum, negat se facturam, ad quod blande sollicitabatur. At ille cupidinis ictus iaculo infeliciter in puellâ deperibat. Et ut uoti compos fieret, subornat Aphrodisiâ nobilissimū eius insulæ scortū, ut meretricijs artibus Agathæ sententiâ à proposito demutaret, faceretque, ut isto lenocinio ad impudiciâ inescaretur. Tentatū est quiduis, effectum nihil. Nam puella instar filicis pontificiam suâ ac plena fide respondet: Mea mens supra pëtram, qui Christus est, solidata atque innixa, uerbis tuis quantiscunque non cedit. Aphrodisia, Veneris suę nomen habens, uerè ἀφροδίτη ἀγάθη. posteaquam se luisse operam uidet, ait consuli: Ante dura saxa in cęræ modum molliri, quam hanc Christianam puellam flecti posse. Inter has tentationes grauissimas sancta Agatha uberrimo fletu opem fortissimi Dei ardentem implorat, nec iam aliud, nisi Martyrij palmam sinit. Dissolui uidelicet, & cum Christo Iesu esse cupiens.

Consuli Quintiano aliud persuadendi consiliū pro-
tinus suggessit Satan. Vocat Agatham, & conatur
simplicitatem uirginis probabilibus humanæ sapi-
entiae uerbis decipere. Verum hac quoque uia operam
frustra sumpsit. Virgo enim in isto uerborum certa-
mine magis ac magis Christi Iesu gloriam illustrans
diuinæ sapientiae eloquijs disputando uicit. Quam
erubuisse putandus est miser ille, quum Iouem ac Ve-
nerem flagitiosiss. portenta sibi in os obijci audiret:
Pudeat, inquit, diuinitus docta uirgo, pudeat quin-
tiane te hos colere deos & deas, à quorum spurcissi-
mis ac execrabilibus factis ipse abhorres: Ipsa ego
uiuum colo Christum, à dextris Patris in cælo con-
sedentem, cui seruire ingenuum est, & liberos homi-
nes addecer. Hinc pudefactus Consul tyrannidem in
consilium adhibuit, commodum ratus, cogi oportere
puellā pertinacem, ut quæ nulla blandiloquentia,
nullis pollicitorum illectamentis deijci quiuerit.
Proinde in carcerem hostili manu trahitur, aut duci-
tur potius, ultro sequens ad lanienam ouis. Paucis
post diebus educitur ad agonem quendam: Propo-
nuntur statim duo, nempe, ut aut Christo abnegato a-
doraret Idola *Ægypti*, aut siperet se eculeo torqueri.
Responsum est, satius mori, quam Christo ualedice-
re. Admouetur eculeus, Agatha perfert atque obdurat
imò etiam contestata, se tantas pœnas minime hor-
rere: nam per has patere uiam ad possessionem para-
disi. Granum tritici terræ credendum, ut fructum fer-
rat, dein excutiendas esse paleas, ut appareat frumē-
tum. Tyrannus ira ferox, ut incestos oculos in uir-
gineo corpore pasceret, iussit patientissimæ puellæ
mammillas ignito forcipe disseccari, hoc ipsum scili-
cet, quod in matre sua suxerat. Peracto agone, conij-
citur secundo in atrum carcerem, ut ibi dolore ac ine-
dia periret. Dominus autem Iesus, cui cura erat de
sua sponsa, uolens fidem atque constantiam puellæ ui-
triciis

triciis confortare, misit uirum non sine miraculo ad-
dito, qui faucium lacerumque corpusculum uirtute diui-
na medicaretur. Illa primum somnians medicinam
esse humanam, respuit medicas manus. Tandem ubi
intellexit, rem diuinitus geri, ultro paruit, simulque Pa-
tri cœlesti pro cura tali gratias egit. Iam redintegra-
to corpore, mirum in modum, si unquam antea, ob
Christum animam profundere præoptauit. Accidit
igitur, ut denuò educeretur ad obeundum agona.
Hic Quintianus multa iterum tentauit, puellæ ad re-
lictum paganisimum retrahendæ gratia, sed quid pro-
mouerit, indicabit exitus. Æternam montem patrium
Vulcani sui sedem restinxisset citius, quam hunc pie-
tatis calorem in Agatha. Multa Christianissime in ty-
rannum prolocuta, ad asserendum Euangelium, im-
pie diripitur ac prunis ardentibus iniicitur. Quod
supplicij cum per miracula cœlitus edita, uiua etiam-
num euasisset, tertio reducitur ad carcerem, ubi ani-
mam exhalauit, simulatque hanc precatiunculam finif-
set: Domine Iesu Christe, qui me creasti, & iam inde
ab infantia custodisti, qui corpus meum à pollutio-
ne præseruasti, & animam meam ab amore sæculi hu-
jus abstraxisti, quique tormenta atrocissima in me uici-
sti, ac post hæc patientiam meam exercuisti, oro, acci-
pe spiritum meum, & iube me ad misericordiam tuā
uenire, Amen. Acta tempore Decij Imperatoris Ro-
mani. Nec caret miraculo, reperta tabula illa marmo-
rea in sarcophago soporata uirginis, in qua legun-
tur uerba hæc fuisse incisa: Mentem sanctam sponta-
neamque, honorem deo, patrie liberationem. Quo ue-
luti sempiterno apud ecclesias omnes testimonio cla-
ret tota praxis sanctæ Agathæ. Orationis tria mem-
bra sunt. Primo indicatur, ipsam Agatham non solū
sancte uixisse, uerum etiam sponte ac libenter pro
Christo mortem oppetisse. Deinde comprobatur,
uirginem hanc Deo uni, uiuo & æterno in spiritu

seruiffie, ac Seruatorem illum suum cum primis honorasse, tam in credendo quàm in operando. Postremo significatur, eadem patriæ quoq; suæ profuisse, exemplo nimirum & intercessione, ut quæ illi semper cognitionem Christi, perq; hunc redemptionem unice optarit. Raphael Volater. lib. xiiij. Anthropologia de S. Agatha sic habet: Agatha uirgo Catanensis & Martyr sub Gallo, mammillis torta. De S. Agatha Sabellicus lib. v. exemplorum: Sunt, inquit, & mulieris sexus non minus grandia uirtutis huius exempla, nec pauciora: sed unum ponere aut alterum curæ crit, ne caput nimium crescat, dissecta est fidiculis atque eculeo imposita Agatha, Catanensis uirgo, quia dæmonibus nollet sacrificare, uel quia testata est se non pœnis affici, sed delectari, scuire Quintianus Siciliæ proconsul, simulq; illi mammam imperat à pectore diuelli, conuulsam uirgo impio homini exprobrat: An non pudet te Quintiane, laniasse in me, quod te in matre aluit? Diuus Gregorius lib. ij. Epistolarum ad Io. episc. Surretinum, mentionem facit reliquiarum sanctæ Agathæ martyris. Vtinam omnes utriusque sexus Christiani ita exigât uitam suam, ut in unum quemlibet ille ternio competat: Simus Agathi, simus Agathæ: hoc est, bene uiuamus bene moriamur, & non aberit, quin eodem coronemur præmio.

APOLLONIA VIRGO ET MARTYR.

Ex historia Eusebij ecclesiastica.

Apollonia uirgo in urbe Alexandrina sciuente in Christianos tēpore Decij Imperatoris persecutione, quum iam in senili ætate à furente populo correpta, & ad idola perducta adorare recusasset, dentes ei primum effossi sunt omnes, deinde congestis lignis, incensoq; rogo combusturos se minantur. carnifices uiuam, nisi Christum deestata, deos alienos adoraret. At illa in fide Christi con-

constantissime perseuerans, crudelissimam mortem subire maluit, quàm à uera pietate discedere. Itaque corpore sciuissimis flammis absumpto, inuictus spiritus in cœlum ad martyrij coronam euolauit.

DE EADEM VIRGINE APOLLONIA.

Ex Eusebij historia.

Admirandam uirginem longæuæ ætatis Apolloniam nomine cum corripuissent, dentes primò ei omnes effoderunt, congestis deinde lignis extruxerunt rogam, comminantes uiuam se eam incensuros, nisi cum ipsis pariter impia uerba proferret. At illa ut rogam uidit esse succensum, paululum quid in semetipsa molitur, repente uerò se è manibus proripuit impiorum, atq; in ignem quem minabantur, sponte profiluit, ita ut perterrerentur etiam ipsi crudelitatis auctores, quòd promptior inuenta est ad mortem scemina, quàm persecutor ad pœnam. Serapionem quoq; domi suæ repertum, crudelissimis afferere supplicijs, ita ut omnes ei iuncturas membrorum prius soluentes, de superioribus eum præcipitarent. Nullum nostris iter erat per uia, nullius plateæ transitus indulgebatur, neq; die, neq; noctu procedendi usquam libera erat facultas. Ut enim quis nostrum apparuisset in publico, statim clamor uulgi & seditio nascebatur, ut uel pedibus traheretur qui uisus esset, uel igni succenderetur. Verùm cū hæc mala per dies singulos auerentur, subito inter ipsos persecutores rabies quædam belli ciuilibus exarsit. & dum inter se seditionibus prælijsq; decertant, interim nobis paululum licuit respirare. Sed non in longum uenia fuit. Continuo nanque crudelissima principum mittuntur edicta, quibus tanta aduersum nos ferebatur immanitas, ut secundum quod prædictum est à domino: Si fieri potest, scandalizarentur etiam electi. Ex quo perterritis penè omni-

omnibus, quidam ex ipsis nobilibus se sponte impijs actibus ingesserunt, alij conuerti tantummodo, non nulli à domesticis proditi, ad sacrificia execranda, & ad immundas hostias properabant. Aliqui ex his palentes & trementes, & magis immolari ipsi, quam immolare idolis uiderentur, ita ut etiam ab inspectante uulgo irriderentur, eò quòd & ad moriendũ, & ad sacrificandũ iuxta meticulosi uiderentur. Alij sanè tam impudenter ad aras prosilierant, ut & affir mare nitabantur, se nunquam Christianos fuisse,

COINTHA.

Eusebius eodem loco de Cointha scribit, quam quidam falso Coniutam uocant. Post hæc (inquit Eusebius) mulierem quandam nobilem, Cointham nomine, ad idola perducentes adorare cogebant: recusantem, imò potius execrantem, uinacula pedibus innectentes, & per plateas totius ciuitatis trahentes, fædo horrendoq; supplicij genere discerpunt. Dehinc omnes simul irruerunt per domos seruatorũ Dei, diripientes & euercentes, atq; hostili crudelitate cuncta fædâtes, ita ut pretiosioribus quibusq; direptis, si qua alia uiliora reppererant, in unum congregata igni in plateis cremarent. Nostri tamen direptionem hanc bonorum suorum (sicut Apostolus de illis dixit antiquis) cum gaudio susceperunt.

AMANDVS EPISCOPVS.

Per Georg. Vicel.

Vir Dei Amandus ob pietatem Christianam ab omnibus merito amandus, uitæ monasticæ uehementer fauisse legitur. Is ætate mediâ cū esset, Italiam peragravit. post Callias adiit, & quia zelo iustitiæ feruebat, non poterat ferre Dagoberti regis pessimam uitam. Quam simulatq; reprehendisset uerbo ueritatis, è sinibus in exilium eiectus est. Non diu post, nato nimirum filio regis, reuocatus condonauit regi, quandoquidem ille ignoscentiam

supplex petijt omnis illatæ iniuriæ. Natum paruulum rogatus baptizauit, respondentem ipsum infanti ore, Amen. Super ea re scribit Robertus Ganguinus lib. iij. Regi cum deessent propter sterilitatem uxoris liberi, concubitu uirginis Raguetrudæ filium marè suscepit. Cui Aribertus Dagoberti frater, qui per id tempus Aureliæ erat, nomen dedit, appellatusq; est Sigibertus. Hic inter sacrosancti lauacri, quas sacerdos Amandus enunciat orationes, dum nemo ex more Christiano, Amen, responderet, infans ipse qui tantum XL. dies natus erat, cunctis tacentibus, Ameri expedito sermone perfonuit. Quod diuinitus factum esse, quis non credat? Hæc Robertus de gestis Francorum.

Deinceps electus est in episcopum Traiectensem: sed quoniam gens illa diuini uerbi prædicationem contemneret, aliò se contulit, excutiens puluerem pedum suorum super impios homines. Iam uerò alibi, nempe apud Vascònes, Euangelizans, quemadmodum Episcopum decet, irrisus est à quibusdam circūforaneis, non aliter, ac si esset spermologus nescio quis. Christi fide coegit Amandus serpentem in antrum, uicit diabolum, & quo tempore hostibus suis in monte nocere poterat ulciscendi cupiditate, non nocuit, sed benefecit. Optatum Martyrium illi non contigit. Obdormiuisse tandè in Domino scribitur sub Heraclij Imper.

VEDASTVS.

Per G. Vicelium.

Episcopus apud Atrebatum in Picardia, homo iustus ac timens deum, pauperes pauper ipse dilexit. Aurum enim & argentum cum non haberet, benefecit per eum Dominus cæco & claudo. Atq; ita precatio Episcoporum utilior pecunia est. Lupum fugauit Christi uirtute. Hæreticum hominem

ipſius uerbo, Præterea uerbo & exemplo è paganifmò ad Chriſtianifmum multos ubiq; conuertit, cooperante Domino.

VALENTINVS PRESBYTER. Per G. Vicel.

ET pietate & doctrina ualens Valentinus, multos homines Chriſto Iefu lucrificet, præſertim in Italia. Qua tempeſtate Ethnicifmus adhuc arcem obtinebat, latitantibus Chriſtianis. Imperator Claudius. ij. anno cclxx. huius præſbyteri Romani homicida factus eſt, cum tamen nullam mortis cauſam inueniſſet: niſi forſe capitale eſt, uia dei docere. Mirum uero, quàm probabiliter refutarit Valentinus idololatriæ per ſe alioqui damnatæ uanitatẽ, quo minus ipſe noſtro ſæculo idoli uice, aut dei loco potius à ſuperſtitioſis, hoc eſt, omnium miſerrimis hominibus colendus atque inuocandus in die tribulationis erat. Taceo, nullas hiftorias quantumuis graues, de Epilepſia per Valentinum depellenda, quicquam dicere. Omnes ſancti contra deos gladio ſpiritus depugnarunt, & tu egregie Chriſtiane ſcilicet, è ſanctis deos facis: non nomine, ſed re. Animus abhorret à commemoratione ter abominandæ ſuperſtitionis. Ad Valentinum redeo, in quo exoſculor fortiffimum pectus, & libertatem in docendo Chriſto, Chriſtolatriam docuit, idololatriam deducuit. Et à dijs ad Deum propè Claudium Imperatorem reuocaffet ſermone uiuifico, ni ſatrapa Calphurnius quidam, os ſuum tartareũ interpoſuiſſet. Nam hæc illa Cerberi ſpuma eſt. Quomodo deſeremus, quod ab infantia tenuimus: Non, niſi filij diaboli ita loquuntur. Illa nimirum peſtilentiſſima uoce effecit ſatrapa, ſatelles ſatrapæ, ut Cæſar ruruſum à ueritate (quam in Valentino admiratus fuerat) & cor & aures auerteret. Hac item execranda uoce noſtrates Calphurnij efficiunt hodie, ne Chriſtianus populus ab impijs ac uarijs ſuperſtitionibus quibus à pueritia ple-

meriq; aſſueuimus, pie reſipiſcat. Porro ad ſubmouendam ſuſpicionem, iubet Cæſar Valentinũ protinus ab Amphitheatro uinctum duci, & in ædibus Aſterij cuiuſdam aulici cuſtodiri. Ibi arrepta occasione è uerbis precatorijs præſbyteri bene ominãtis, petit Aſterius, ut ſi quid per Chriſtum ſuum poſſet uinctus ille, redderet cæcæ filiaẽ lumen. Quo ſigno uiſo, poſitã incredulitate, fidem Chriſti cum tota domo amplexus eſt, operante id ſpiritu per uerbũ dei à præſbytero prædicatum. Sed crux non tardè inſequitur acceptum Baptiſma. Mandante enim impio Cæſare, Aſterius in ciuitatem Oſtienſem adductus, cruenta morte Deo animam reddidit. Poſt hunc Valentinus præſbyter Euangelicus, ut quo authore à deorum cultũ Aſterius deſciuerat, primum fuſtibus, mox gladio percuſſus, obiit. Actũ Romæ, ſub Imperatore Claudio, qui tyrannus poſt Decium innumeros Chriſtianos paſſim per prouincias neci tradidit.

VALENTINVS EPISCOPVS.

Per Georg. Vicel.

Alius item Valentinus olim extitit, uidelicet epifcopus Interamnenſis in Umbria: ſeu ſiquis mauult, Ithyranenſis ex Parthia. Sed quãtũ ego diuinare potui, prior ſentẽtia uerifimilior eſt. Vir bonus & ſapiẽs ſpiritualiter, regnum dei non minuit, ſed auxit. Hic cũ aliquãdo Romã ueniſſet, reperit Athenis oriundũ Cratonẽ Græcũ oratorem, in urbe clariffimũ, unã cũ diſcipulis Apollonio, Phæbo & Proculo. Cratonis uerò filiũ toto triennio decumbẽtẽ, cũ uirtute altiffimi curaffet, curuũq; hunc erexiſſet, non ſine multa precatione, perſuaſi euidẽti miraculo tam Crato, quã diſcipuli, cũq; his tota domus, Euangelium receperunt, & poſt catechiſmum ſacro baptiſmate loti, præterea ex oratoribus prædicatores facti, uerbo gratiæ plurimas animas Chriſto adduxerunt in Italia. Tandem iubente Romano ſenatu

senatus Valentinus, quod homines è tenebris ad lucem uocaret, præfide Placido, primum uirgis cæsus, dein ense peremptus est, atque hoc in carcere. Dignū Ecclesia præfulem, ut qui gratis benefecit, recusans nimirum à Cratone accipere pecuniam: hortans uerò, hanc quam sibi daturus erat, ut pauperibus erogaret.

IULIANA VIRGO ET MÁRTYR.

Per Georg. Vicel.

TRadunt Iulianam Nicomediæ in Bythinia ortam, claris quidem parentibus, sed paganis. Ipsa uero filia à Christiana obstetrice fidem edocta, Christum cum lacte matris imbiberat. Adultant destinant parentes cuidam satrapæ Eleusio dare in uxorem, sed sacra uirgo renuit Ethnicò homini nubere, imò etiam cuilibet, perpetuæ castitatis proposito. Quapropter à patre loris inhumaniter cædi iussa, neq; tamen assensit. Mox liquefacto ac feruenti plumbo perfunditur, de capillis suspensa, nihilo minus persistit in sententia. Decretum erat, idolum nolle, Christum uelle se colere, atq; ob id sibi cum Eleusio, seu, ut alij habent, Eulogio, non conuenire omnino. Post hæc carcere clauditur, in quo uir Belial in angelum lucis transfiguratus, sub pieratis specie fatigit, uirginem à sententia trahere. Verum illa effusa cum lachrymis oratione, à deo reuelationem accedit, cacodæmonem esse eum nuncium. Vnde animata Iuliana monstrum illud ui aggressa, cathena colligauit, ac calcibus probe contudit. Cumq; postero die è custodia produceretur, traxit post se colligatum monstrum, & palam ostentui habens, atq; ludibrio exponens: En, inquit, deum uestrum gentiles. Egrege uexatum in cloacam, dignam tali angelo sedem, deturbauit: quantumuis ille in Christiana uirgine clementiam desyderaret, quasi uerò nos erga diabolum principem hostem clementes esse & boni debeamus.

mus. Cæterum puella tora iam ex deo pendens, & præter deum nihil uel amans, uel quærens, in supplicium rotæ rapitur, mox ignito ac fluitante plumbo tingitur, tandem gladio iugulatur. Quibus pœnarum generibus Iulianæ corpus occidi potuit, animi non item. Nec temere detrectauit obedire impio patri, iam cœlestis patris filia, & Christi soror. Iucundū lectu est, quòd Ethnicum sponsum metu Cæsaris à nostra religione resilientem, tam cordate confutauit. Ait: Quando tu ita times Imperatorem mortalem, egone magis Imperatorem immortalem timere debeo? Acta sub Diocletiano. Sic enim ex Hermanno Contracto liquet. Quo tempore multi alij quoq; Christianorum propter fidem Euangelij, contempta uita, mortem passii sunt. Inter illos numeratur Caius Pontifex Rom. Cyriacus diaco. Largus, Smaragdus, Apronianus, Papias, Maurus, Claudius, Præpedigna cum filijs, Gabinus presbyter, Castulus, Pancratius, Artemius cum uxore & filia, Sebastianus, Marcus, Marcellinus presby, Petrus exorcista, Tranquillinus, Nicostratus, Zoe uxor eius, Primus, Felicianus, Castorius, Victorinus, Symphorianus, Basiliscus, Faustinus, Simplicius, Beatrix, Tiburtius filius Crōmatij, Susanna uirgo, Ioannes, Crispus, Genesius, Felix & Aductus, Lucia & Geminianus, Sergius & Bacchus, Chryfogonus, Saturninus & Sifianus, Quatuor coronati, Theodorus, Pontianus, Prætextatus, & Thrafo, &c. Hi Romæ passii sunt, Diocletianò imperatore fauiente. Apud Spoletum, Gregorius presbyter, Sabinus Episcopus, Exuperantius & Marcellinus diaco. Apud insulas Palmarias, Anastasia: Antiochia Iulianus & Basilissa: in Hispania ciuitate Cæsaraugustana Vincentius diaco. In Barcinona Eulalia uirgo, Ocuphas: Apud Gerundam Felix. Apud Tyrum Tyrannio, Syluanus, Peneleus & Linus episcopi, cum innumera multitudine. Apud Sirmium Sere-

nus: Nicomedij Petrus, Lucianus presbyt. Antioche-
nus, Antimus episcop. Pantaleon, Ioannes Hadria-
nus, Dorothæus & Gorgonius, Eleutherius: Smyr-
næ Irenæus. In Palæstina Gaza, Syluanus: Mediolanis
Victor: In ciuitate Sufcia Quirinus Episcop'. Apud
Tharsum Bonifacius: In Aquileia Felix & Fortuna-
tus: In Sicilia Vitus & Modestus cum Crescentia &
Lucia uirgine: In Britannia Albanus: In Mafsilia Vi-
ctor: Apud Augustam Aphra in Retia prouincia: In
Nicæa Bithinię Theodota cum filijs: In ciuitate Com-
pluro Iustinus & Hastar fratres: In Catana Sicilia Euphe-
mia: Pergamis Alexander: In Chalcedone Euphe-
mia: In Neapoli Campaniæ Ianuarius Episco. Bene-
uentanus, Sotius diaco. Mesenate ciuitate Faustus &
Delyderius: in Palæstina Peleus & Nilus episco. in
Cyzico Suasta & Eulafius: Agauno, Mauritius cum
focijs: Antiochiæ Cyprianus cum Iustina: apud Æge-
am ciuitatem Cosmas & Damianus: in castro Solo-
doro Victor: apud Coloniam Agrippinam Gereon
cum focijs: apud Tharsum Carracus, Probus & An-
dronicus: in Venusina Felix episco. Audax, Ianuarius
presbyt. Suefsione Crispinus & Crispinianus: Apud
Sidonem Cenobius presbyt. in territorio Auganen-
si Tyberius, Modestus & Florentia: in Scythia Me-
nas: Antiochiæ Romanus, Alexadriæ Petrus Epif. in
Aphrica Crispina uirgo: in Tuscia Barbara uirgo: in
Hispania Leocadia: Emerita ciuitate Eulafia & Iulia
uirgines. Meminerint hic nostrates Christiani,
quàm felix prior Ecclesiæ portio, quàm plena mar-
tyrum, hoc est, uere Christianorum extiterit, & de-
plorent nostri sæculi Ecclesiæ turpificatam faciem.
Heu, in quæ tempora incidimus.

Antonius Sabellicus, de S. Iuliana: Obtulit se Be-
liaal dæmon Iulianæ uirgini in carcerem post seua-
uerbera deiectæ, indueratq; cælestis nuncijs faciem,
ut commodius falleret, hortatur puellam Christi no-

mine, ut Ethnicis dijs sacrificet, fore ut propterea
omni cruciatu defungeretur, inhorruit, suspicataq;
fraudem esse, deum supplex precatur, ut quale illud
esset oraculum sibi liquidius pateret, uinxit illa dæ-
monē permisso numinis, sæuisq; uerberibus affecit.

DE S. MATTHIA APOSTOLO.

Ex Aratore Diac.

PRimus Apostolico parua de puppe uocatus
Agmine Petrus erat, quo piscatore solebat
Squamea turba capi, subito de littore uisus
Dum trahit, ipse trahi meruit, piscatio Christi
Discipulum dignata rapit, qui retia laxet,
Humanum captura genus, quæ gesserat hamum
Ad clauim translata manus: quiq; æquoris imi
Ardebat madidas ad littora uertere prædas,
Et spolijs implere ratem, melioribus undis
Nunc alia de parte lenat, nec deserit artem,
Per latices sua lucra sequens, cui tradidit agnus
Quas passus saluauit oues, torumq; per orbem
Hoc auget pastore gregem, quo munere summus
Surgit, & insinuans, diuina negocia coram
Sic uenerandus ait: noctis quoq; proditor amens
Mercedem sceleris soluit sibi, tædia noxæ
Horruit ipse suæ, stringens in gutture uocem
Exemplo cessante ream, qui parte necari
Promeruit, qua culpa fuit, crimenq; retractans
Iudicio tali permisit membra furori,
Aëris ut medio communi poneret hosti
Debita pœna locum: cælo terręq; perosus
Inter utrunque perit, nullis condenda sepulchris
Viscera rupta cadunt, tenuesq; elapsus in auras
Fugit ab orbe cinis, non hæc uacat ultio Iudæ,
Quæ suprema negat, uindictaq; mercis iniquæ
Sic placitura uenit, nam cum modo rura parasset
Funeris ex precio, cum nomine sanguinis emptus
Cespes, in externas componens buita fauillas

K a

De tumulis fecundet humum: caret impius agri
 Fertilitate sui, solusq; excluditur aruis
 Quæ monumenta ferunt, cuius tuba sæua cruentum
 Est exorsa nefas, qui signifer oscula fingens
 Pacis ab indicio bellum lupus intulit agno.
 Nunc opus est uotis, quod uerba prophetica clamant
 Quem liceat supplere uices, tunc summa precantes,
 Constituere duos, Ioseph, cognomine Iustum,
 Matthiamq; dei paruum quod nomen, ut aiunt,
 Hebræo sermone sonat, humilemque uocando
 Comprobat: ô quantum distant humana supernis
 Iudicijs, parui merito transcenditur ille
 Laude hominum qui iustus erat, duodena refulgent
 Signa chori, terrisq; iubar iaculatur Olympi.
 Hæc quoq; lux operis quid præferat, ædere pergam.
 Quatuor est laterum discretus partibus orbis,
 Trina fides uocat hunc, quò nomine fonte lauatur.
 Quatuor ergo simul repetens ter, computat omnem
 Quam duodenarius circumtulit ordo figuram
 Discipulisq; pijs, quibus hoc baptisma iubetur.

Ex S. Hieronymo.

Mathias, cū unus esset è numero septuaginta, alle-
 ctus est in ordinem undecim Apostolorum in locum Iu-
 dae Iscariotæ, qui fuit proditor. In altera Æthiopia,
 ubi est irruptio Apfari, & Hysiportues, prædicauit
 Euangelium, quum essent homines agrestes. Et illic dor-
 miuit, & illic sepultus est, usque ad hodiernum diem.

SANCTI QUADRAGINTA MARTYRES.

Ex D. Basilio Magno.

Quis modus, aut quæ satietas Martyrum memo-
 riam prosequendi erit, illi præsertim, qui eorum
 amore ac charitate magnopere tenentur? Nam
 honor erga bonos conferuos collatus, beneuolen-
 tiæ significationem apud communem dominum ha-
 bet. Palam est enim, quemadmodum is, qui genero-
 sos homines ac fortes cum honore exceperit, in simi-
 li si

si forte contingat occasione, imitari non dedigna-
 bitur. Venerare igitur legitime martyres, ut egregie
 tuæ uoluntatis te testem adducas, ac demum seu per
 secutione, siue igne, seu uerberibus ac plagis, eodem
 cum illis præmio dignus habearis. Nobis hodierna
 die non unum propositum est admirari, neque duos.
 neque decem, sed uiros quadraginta: qui unam in di-
 uersis corporibus animam retinentes, in una conspi-
 ratione & concordia fidei eandem erga res arduas
 constantiam, & pro ueritate stabile propositum ostē-
 derunt. Omnes inter se similes, pares sententia, pa-
 res certamine: quamobrem parem coronæ gloriam
 sunt promeriti. Quæ digna laus, quæ sermonis copia
 his poterit adhiberi? Non enim linguæ quadragin-
 ta ad prosequendam talium uirosum uirtutem sat fu-
 erint. Nec solum multitudo tanta, phalanx militaris,
 cuneus insuperabilis, æque & in bellis inexpugnabi-
 lis, ac in laudibus inenarrabilis. Sed horum unus tan-
 tum, si legitime fuerit oratione commendandus, no-
 stram facile uim ingenij sermonisque facundiam supe-
 rabit. Igitur in medium eos adducentes, ad commu-
 nem omnium hic astantium utilitatem constituere,
 palamque omnibus quemadmodum in pictura, fortia
 illorum facta reddere conabimur. Nam magnifica in
 bellis gesta & oratores sæpenumero, & pictores pul-
 cherrime demonstrant: hi oratione, illi tabulis des-
 cribentes atque ornantes: amboque plures ad fortitudi-
 nem imitandam inducere. Quæ enim sermo historię
 per inductionem præbet, eadem & pictura tacens
 per imitationem ostendit. Sic & nos martyrum uir-
 tutem commemorantes, uos astantes excitabimus,
 ac uobis sub aspectum ipsorum facta reducentes, e-
 os qui sunt animo aliquantulum generoso, ac ipsis
 uoluntate propinquiores, facile ad imitandum accen-
 demus. Hæc est enim martyrum uera laus, alios ad
 eorum uirtutem æmulandam inuitare. Non enim en-

comiorū legibus, aut eorū, quæ in genere demon-
stratio reperitur, sermones de sanctis ullo modo
feruiunt. Quoniā qui laudāt ceteros, ex mūdi huius
rebus materiā usurpare solēt: quibus autē mundus
crucifixus est, quomodo ex eo quicquā quod ad lau-
dē faciat, mutuari poterit? Nō erat his factis una pa-
tria, alius aliunde uenit. Quid igitur sine patria dice-
mus eos? aut orbis ciues? Sicut enim in symbolorum
collationibus, quæ oblata sunt cōmunia existunt om-
niū conferentiū: sic & in his beatis, cuiuslibet patria
cōmunis omniū erat: & omnes ē diuersis terrarū lo-
cis tanquā ex uno duxerāt omnia cōmunia. Sed quid
opus terrestres memorare patrias, cū nō liceat quæ
fit uera facile nosse. Patria igitur horū martyriū, dei ci-
uitas est, cuius autor atq; conditor ipse Deus. Hæc
est superna Hierusālem, quæ libera est, quæ est mater
Pauli & omnium ei similitum. Genus autem huma-
num aliud alij. Genus uerō spirituale unum omni-
bus omnino. Communis nanq; eis pater Deus, & fra-
tres omnes non ab uno & una descendentes, sed ex
adoptione spiritus in unam concordia inter se per
charitatem conuenientes. Chorus paratus, conuen-
tus maximus eorum, qui ab initio Deum laudant,
non sigillatim congregati, sed cumulatim dispositi.
Quis autē dispositionis modus? Hi magnitudine cor-
poris, & ætatis flore, ac uirtute cæteris omnibus præ-
cellentes, ad militares ordines regendos promoti
sunt. In tantam quoq; imperatoris dignationem iue-
nerunt, ut ob bellorum experientiam & animi forti-
tudinem, primas apud eum obtinerent. Vbi uerō per
iniquum præconem nunciatū, edictumq; omnibus
emanauit: ne quis Christum profiteretur, propo-
sitq; omnia pœnarum genera confidentibus, multa
quoq; à iudicibus iniustis ira & feritas prodit, mul-
tæq; itē ubiq; insidiæ, doli, delationes, ignis insuper
paratus, ensis in prompto, crux affixa, bōthrus, rōta,
flagella.

flagella. In tanta igitur fideiū turbatione nonnulli
fugiebant, aliqui supplicium libenter subibant, alij cō-
prehēsi ac cruciati, alij certamē ineuntes deinde usq;
ad finē laborū durare nequeuntes, pugnam ad peri-
culum detrectabant, & uelut in pelago naufragātes,
quæ uirtute patientiæ parta multorum annorum se-
cum in naui uehebant, in eam horā amiserunt. Tunc
igitur hi quadraginta inuicti & generosi Christi mi-
lites, cum præfectus imperatoris literas ostendisset,
& inobedientiam requireret, libera uoce, audacter
ac fortiter, nihil ex ijs quæ uiderant exēplis expaues-
cendo, minas omnes contemnendo in medium pro-
cedentes, sese Christianos esse fassi sunt. O beatas lin-
guas, quæ sacram illam uocem emisserunt, quam aer
quidem excipiens sacer est factus, angeli audientes
plausuerunt, diabolus uerō cum dæmonibus magnā
accepit plagam, dominus postremo in cælo descrip-
sit. Igitur horum quilibet in medium procedens: En,
ait, Christianus sum. Et uelut in stadijs qui simul eūt,
dicunt sua nomina, & in locum pugnæ describūtur:
sic & hi tunc nobilitatis generisq; ac dignitatis pro-
priae obliti, tantū seruatoris sui professi sunt nomē,
quod omnes ordine fecerunt. Ex quo facta est om-
nium una appellatio. Non enim talem ac talem, sed
Christianos omneis se clamantes. Hoc itaq; cernens
præfectus, anxius ac dubius erat, an blandis uerbis,
uel potius minis eos ad obtemperādum deduceret.
Primum quidem ipsos, si quo modo à pietate obsti-
nata posset auertere, dulci aggreditur sermone. Noli-
te (inquit) iuuenes ætatem perdere uestram, neq; in-
tempestiuam mortem cum dulci hac & amœna uita
cōmutare. Absurdū nanq; in bellis, eos qui sunt assue-
ti fortia gerere facta, morte ignauorū ac prauorū ho-
minū perire. Post hæc pecuniā pollicebatur, honores
ex Imperatore, dignitatesq; ac ordines militiæ pri-
mos offerebat. Cum his rebus nihil proficeret, aliud

genus aliumq; modum tentauit, plagas, mortes, pœnas intolerabiles ostendit. Et hic quidem talia. Martyres uerò qualia? Quid (inquiunt) nos demulcere studes, Dei hostis? Discedere à deo uiuente, & dæmonibus seruire pessimis cogis? Tua nobis bona offers? Putas ne tantum te daturū, quantū eripere contendis? Tua respuo dona, ut æternæ pœnæ materiā non honorē, recipio ignominia patrem. Pecuniā da, quæ permaneat ac continuò duret, gloriā quæ semper floreat. Me imperatori uis facere familiarē, sed me à uero rege alienare quæris? Quid enim hæc minima, quæ tu uocas magna? ex mundo polliceris, cum mundus uniuersus à nobis despiciatur? Non sunt omnia quæ uideri possunt spei paria, quam continuò retinemus. Vides hoc cælū, ut aspectū pulchrū, ut magnū: & terram quanta est, quot ue in ipsa mirabilia? Nihil & hæc profecto iustorū felicitati ac beatitudine æqui parari ualent. Illa nanq; uelociter trāseunt, hæc cōtinuò durant. Vnā tantum iustitiæ palmam expecto, circa unam gloriam, quæ in regno est cælorum, sollicitor. Honoris superni cupidus sum, pœnas uanas gehennæ metuo, Illius ignis mihi formidolosus. Nam ignem eum, quem uos nobis intentatis, conseruus est. Nouit & ipse uereri eos, qui idola contemnunt. Sagittas infantium, uestras plagas existimamus. Corpus enim cædis, quod eo clariorē assequetur coronam, quod magis tibi resistet. Quod si corporum imperium habetis, speratis etiā animarum habere? Nam & si deum nostrum non respicitis, & extrema probra horrendasq; pœnas nobis infertis, nihil profecto aliud contenditis, quàm uobis æternū supplicium, nobis uerò uberem pietatis materiam, ac perpetuam gloriā parare. Non enim carnis amatoribus, non attonitis hæc facitis. Pro charitate, proq; fide in deum & in rota poni, & cruci affigi, & flammis uri, ac omnibus demum modis torqueri, paratissimus.

sumus. Vbi uerò hæc audiit barbarus ille ac superbia tumidus, audaciam ac loquendi libertatem minime ferens, modum considerare cepit, quo mortem eis acerbissimam prolixamq; pararet: inuenit tandem. Audite itaq; rem quā duram sit commentus. ExcoGITANS ille regionis naturam salebrosam, & collibus præruptam esse, ac brumæ tempus instare, obseruauit, in qua maxime parte frigus uehemens, ac Boreæ flatus horridior esset. Iussit omneis nudos sub dio positos mori. Noctis enim fratres dilectissimi, omneis, qui hyemis horrores estis experti, quod genus hoc pœnæ. Non enim nos felicitet, nisi ijs qui exēplis similibus periculum fecerunt. Corpus in primis horrore prostratum, totum in horrorem concreto sanguine uertitur: deinde turbatur & fremit, dentes fremunt, uenæ disrumpuntur, uirium prosperitas per uim deijcitur. Dolor insuper quidā acutus, & labor inenarrabilis per medullas penetrans, intolerabilem facit sic frigore concretis dolorem. Deinde in acutum tendit, ut ab igne, cum summa cremantur. Ab extremis nanq; corporis partibus consequens uapor, & ad interiora ac penitiora confugiens, quædam unde absistit mortua relinquit, nonnulla uerò ad quæ tendit, doloribus afficit, qui paulatim cruciando perierunt. Igitur sancti dei sub dio pernoctare in stagno quodam iussi sunt, quod pro mœnibus ciuitatis erat, ac per brumam ita glacie concretum apparebat, ut equis peruium & accolarum pedibus tritum esset. Aquæ uerò solitum non retinerēt cursum, earumq; natura mollior in lapidis duritiem concreceret. Boreæ nanq; mordentis spiritus animantia omnia iuxta uersantia interimebat. Hic itaque audito damnationis iussu, martyres considerate quanta fuere constantia: qui loco cum summa lætitia cōspecto, ultimum nuditatis amictum alacriter reiicientes, eadem sponte irruerunt, non tanquam ad supplicium,

sed ad gloriosissima spolia rapienda, se inuicem hor-
tando descenderunt. Non enim (inquiunt) amictum
exuimus, sed ueterem hominē, concupiscentiæ dece-
ptione corruptum, deponimus. Gratias agimus tibi
Domine, per hunc amictum peccata repellētes: quo-
niam ob serpentem eam induimus, ob Christū uerō
exuimus. Quas domino qui pro nobis est spoliatus,
dignas gratias reddemus: Quid magnum seruo, si ea
quæ passus est dominus subeat: Nos causa sumus, ut
ille uestis detraheretur, longe magis quam militum
audacia, qui eam diripere ac fortiti sunt. Durū pro-
fecto frigus, sed dulcis paradisi. Affligens glacies,
sed delectabilis requies. Breui tempore durantes, si
nus Abraham nos perpetuo fouebit. Vnam noctem
cum æuo sempiterno commutabimus. Incendatur
frigore pes, ut cum angelis continuo saltet. Torpe-
cat frigore manus, ut facultatem habeat in deum at-
tollendi. Quot enim nostri commilitones ceciderūt,
fidem mortali regi seruantes: Nos pro fide in uerum
deum seruanda hanc uitam non proiciemus: Quot
item malefici homines mortem tulerūt in scelere de-
prehēsi: Nos uerō pro iustitia mortē non subeamus:
Ne obsecro commilitones emolliamur, neu terga
diabolo demus. Quando semel mori oportet, moria-
mur ut uiuamus. Fiat sacrificium nostrum coram te
domine, & uelut hostiæ uiuentes tibi placentes, nos-
met hoc seuo gelu immolantes abs te recipiamur.
Pulchrum quidem sacrificium, pulchra oblatio, pul-
chrum holocaustum, non quidē per ignem, sed per
frigus absumptum. Hæc igitur & his familia credibi-
le inter se dicerent, ac communē laborē in domino
solarentur. Veluti quandā in bello custodiā instru-
entes, eam noctē sæuos cruciatus sustinendo atq; al-
gendo præterierunt, tantum spe certa gaudentes, &
hostem continuo deridentes. Vnum erat omniū uo-
rum: Quadraginta in stadium intrauimus, totidem
domine

domine coronas tribue. Nō desit numero, nec unius
quidam. Preciosum est tēpus, quod quadraginta die-
rum ieiunio ornasti, per quod diuina lex in orbē trā-
siuit. Quadraginta itē dierum ieiunio Helias Domi-
num exquirens uidere meruit. Et oratio quidem eo-
rum talis. Vnus ex eorū numero, inde per animi in-
constantia subterfugiens, mœrorem socijs maximū
reliquit, nec propterea dominus eorum uota inania
permisit esse. Nam propē aderat quidā, cui eorum cu-
stodia credita est, exitū rei expectans, paratusq; mar-
tyres si qui fugerent, ut eis clare pollicitus, in laua-
cro quodam aquæ calidæ, quod iuxta situm erat, exci-
pere ac seruare. Res à præfecto astute fuerat excogita-
ta, talē uidelicet inuenire certaminis locū, in quo pa-
ratum damnati haberent refugiū, ut omnem cœpti
propositi constantiam amitterēt. Sed hoc martyrum
patientiam clariorem reddidit. Non enim qui cogi-
tur est constans, sed qui liber & in oblectationis co-
pia dura pati potest, is demum cōstans, ac patiēs est.
Custos itaq; dum hos obseruaret, quosdā è cœlo de-
scendētes angelos, ac coronas singulis martyribus
uno excepto distribuentes aspexit: is autē quem in-
donarum illi reliquerunt, ac honoribus cœlestibus
indignū iudicauerunt, ea repertus est animi mollitie
atq; incōstantia, ut statim laboris tolerantia despe-
rans ad hostes trāsfugeret, miserabile prorsus specta-
culū, miles transfuga, uir fortissimus captus, Christi
ouis à lupo direpta: & quod miserabilius, à uita per-
petua cœlestiq; excidēs, neq; hac postremo diu gau-
dēs. Nā ubi calidā attigit aquā, corpore quod glacie
torpebat dissoluto, statim interiit. Custos uerō, qui
prodigiū hoc uiderat, ubi illū fugientē cōspexit, reli-
ctis omnib. sese in eius demisit locū, ac unā cū sanctis
illis uocē emisit: Christianus & ego sū. Itaq; cū eius su-
bita mutatione stuporē illis incuteret, & numerū im-
pleuit, & mœstos ob focii amissum sanctos planē
conso-

consolatus est, eos imitando, qui in acie prima ubi forte aliquis ceciderit, statim ordini alium restituunt ac surrogant, ne proximi incommodum patiantur. Talem igitur ipse se gessit: uident miracula caelestia, non ueritatem, ad Dominum confugit, cum Martyribus annumerari uoluit. Exemplum est Apostolorum imitatus: Abijt Iudas, Matthias est surrogatus. Imitatus & Paulum, qui heri persecutor, hodie factus est Euangelizator. Superne es ipse uocatus, non ab hominibus, neque per homines. Credidit in nomine domini Iesu Christi. Baptismum suscepit, non ab ullo, sed à propria fide: non in aqua, sed in proprio sanguine. Cum uero primum illuxit, & extracti ferè omnes essent exanimis, igni traditi sunt, ac cineres in fluium proiecti, ut per omnem creaturam eorum transfiret certamen. In terra primum exerciti, deinde in aere sub dio durauère, postremo igne crematos aqua excepit. Horum est ergo uera uox illa: Transiuimus per ignem & aquam, & eduxisti nos in refrigerium. Hi sunt, qui nostram suo templo regionem ornant, nostram quoque aduersus inimicos tutelam, ut turres quaedam munitæ suscipiunt. Nec uno in loco sese clauerunt, sed in multis locis hospitio recepti, multorum patrias ornauerunt, nec tamen separati, sed inter se commixti: si in singulos ipsos diuiseris, proprium numerum non excedunt: si uero in unum congregaueris, quadraginta nihilominus erunt, ac ita ut ignis natura permanent. Nam ille & ad progrediendum transit, & totus est apud habentem: Sic hi quadraginta sunt unum, & omnes apud singulos. Beneficium igitur hoc fratres dilectissimi, gratiam hanc minime deficientem, ac sine inuidia, ex Deo obtinemus, ut paratum sit nobis & ecclesiae per hos martyres auxilium. Exercitum triumphantium, chorum laudantium Deum. Sæpe operam dedistis, sæpe laborastis, ut unum pro uobis orantem inueniretis: quadraginta

draginta sunt hi, unam orationis emittentes uocem. Vbi enim sunt duo uel tres in nomine Domini congregati, ibi Deus est. Vbi uero quadraginta fuerint, quis dubitet, Deum esse presentem? Qui aliqua premitur angustia, ad hos confugiat: qui rursus lætatur, hos oret: hic ut à malis liberetur, ille ut duret in rebus lætis. Hos mulier orans pro filiis auditur, peregrinanti uiro reditum incolumem, ægrotanti uero salutem implorat. Cum his ergo martyribus nostras effundamus preces. Adolescentes suos coæuos imitentur, patres talium esse filiorum parentes exoptent, matres exemplum matris optimæ spectent. Nam unius illorum mater, alios iam penè frigore consumptos aspiciens, suum uero filium, ob uires aliquantulum ualidiores, & aduersus dura constantiam, adhuc uiuum: & permittente populo, uitæ consulere ualentem, ipsum proprijs accepit manibus, ac currui in quo reliqui iacentes ad pyram ferebantur, apposuit, martyris uera mater. Non enim lachrymam in decoram effundere, aut aliquid humile loqui, uel indignum agere uisa est. Sed ò nate, inquit, perfice cum tuis conubernalibus iter beatum, ne à chorea deseraris, neue inferior alijs domino appareas. O matrem felicem, ò bonæ radicis bonum germen. Ostendit generosa parens, quemadmodum pietatis institutis eum magis quam lacte educauerat. Et hic quidem sic nutritus, sic elatus est à pia genitrice. Diabolus uero his uisis, præ uerecundia discessit. Omnia namque supplicia ab eis uicta proculdubio uictis. Nox horrida & uentosa, tempus anni frigidissimum, corporea nuditas, patria Borealis. O sanctum chorum, ò sacrum ordinem, ò cuneum inexpugnabilem, ò communes generis humani custodes, optimi curarum socij, precum ac uotorum inuicem suffragatores, castra mundi, flores ecclesiarum: uos non terra contexit, sed cælum excepit. Apertæ sunt uobis paradisi portæ, dignum profecto

fecto exercitibus angelorum, patriarchis, prophetis, & iustis omnibus spectaculum. Viri aetate florentes ac pares, uitam alacriter despicientes, supra parietes ac filios Deum amantes, mundo simul & angelis & hominibus spectaculum facti, excidentes erexerunt, dubios in fide confirmauerunt, pijs desiderium auxere: unum omnino pro pietate omnes trophaum erigentes, unam iustitiae coronam ornati fuere, in Christo Iesu domino nostro: cui gloria & imperium nunc & in aeterna secula, Amen

S. IULITTA MARTYR.

Ex D. Basilio Magno.

Concionis hodiernae causa in hoc sacro templo fratres dilectissimi, beatae Iulittae martyris praeconium. Itaque hunc diem magni certaminis memoriam referentem, uobis omni studio celebrandum nunciamus, quod certamen in muliebri corpore non solum ijs qui tunc ei spectaculo interfuerunt, sed etiam omnibus in posterum id accepturis admirationi maximae, prodigiisque fuit. Beatissima igitur mulier Iulitta (si mulierem appellare decet, eam quae muliebris naturae debilitatem, animi uirilis magnitudine correxit, a qua puto maxime communem aduersarium nostrum aegre magno opere ferre, se fuisse superatum, qui muliebrem uictoriam minime patiens, ut qui magna illa iactare solet, uniuersum commouere orbem, & ut nidum aliquem aut oua relicta prendere, omnes quoque pariter euertere, deinde a muliebri se uirtute uinci uideat, quam supplicij tempore conatus decipere, in deum pietatem usque ad extremum seruare, ac natura feminea praeter opinionem longe fortiolem inuenit, quae obiecta terribilia eo magis resistit, quo aduersarius eisdem putauit eam uehementius perterrere.) Haec inquam Iulitta, ad iudicium quendam in ciuitate potentem olim accersit, hominem plane auarum ac uiolentum, qui diuitias sibi ex rapina & praedam multas coparauerat, ex quo & agros, & uillas, & pas-

cuas,

cuas, & seruos, & omnem uitae praesentem suppellectilem ex ea ablatam ad seipsum traducens, iudicia falsis testibus & largitione iudicium corrupit. Ut autem dies aderat, & praefectus & aduocati astiterent, coepit illa de hominis iniustitia dicere, & de uiolentia simul & auaritia conquiri, quod re sibi diu legitime possessam per iniuriam eripere uellet. Prodiens ipse: Non, inquit, iudicium idoneum, neque cognoscendum: nihil enim fas est commune cum ceteris esse, qui deos imperatorum non adorent, & Christi fidem sectantur. Videbatur enim iuri consentanea apud eos dicere, & necessaria praetendere: quoniam negantibus Christum, legum communis erat usus, forumque commune. Profitentes uero fidem, ut iudiciorum atque legum minime participes reiciebantur. Quid igitur illa consilij super his iniit? An ob contentione cum uiro potentis ius fasque contempsit? an instans ex iudiciis periculum exhorruit? Non profecto. Sed ualeat, inquit, uita: ualeant diuitiae. Corpus enim iri perditum malo, quam uocem aliquam impiam in creatorem meum emittere. Quantoque magis praefectum huiusmodi uerbis irritatum, ut ei mortem intentantem conspiciebat, tanto magis deo gratias agebat, quod diuitias fluxas atque fragiles despiciens, caelestium bonorum possessionem uisa est praefidere. Repulsam quoque & ignominiam parui existimans, ut gloriae sempiternae gloriae consequeretur. Corpus denique afflicta, & uitam sibi ad tempus auferens, ut spes tempore opportuno cum sanctis reliquis acciperet. Cum autem saepe interrogata, eandem continuo uocem emitteret, seruam se Christi affirmans, & ijs qui eam ad negandum adhortabantur malediceret: tunc iudex iniquitatis non solum opibus, quae per iniuriam ablatas fuerant, eam priuauit, sed graui morte multauit, igni adiudicans. Illa uero nihil in uita delectabilis, nihilque potius habuit, quam ad Deum ocyus contendere.

Ut

Vt autem ad flammam venit, & uultu & oris claritate animi alacritatem atque constantiam ostendens, astantes circa mulieres adhortata est, ne pro pietate subire labores grauarentur, neque naturae muliebris fragilitatem causarentur. Ex eadem inquit materia esse, & ad imaginem Dei similiter ut uiri creatas, & uirtutem summam recipere hunc sexum esse aptum, pariter honore a summo Deo conditum. Quid nisi uiris in omnibus consanguineae sumus. Non enim caro sola ad mulieris constructionem sumpta est, sed os ex ossibus, ex quo & robur & firmamentum & patientiam, quae ex uiris eodem modo & ex nobis Deo debentur. Haec dicens, in pyram procurrat, quae sanctae mulieris corpus ueluti thalamus aliquis refulgens suscepit. Animam uero in caelestium regionem & ei conuenientem locum transmittit. Preciosum uero corpus incorruptum eius propinquis conseruatum est, atque in pulcherrimo ciuitatis templo collocatum, quod & locum & adentes pariter sanctos reddidit. Terra autem benedicta huius beatae aduentu, ex proprijs brachijs naturam aquae generosissimam emisit, ut modo lactis omnes in ciuitate pariter nutriat. Ex quo pro martyre mater communis uidetur effecta. Haec enim & ualentibus sanitas, & modeste delicatis uoluptatis promptuarii, & aegris consolatio. Gratiam quam Hebraei apud Hierichunta senferunt, hanc nobis haec martyr beatissima tradidit, ut aqua huiusmodi praeter loci naturam, quum saluae ferè sint omnes, dulcem mollemque ac delectabilem omnibus qui eam cum benedictione bibunt, degustationem praebent. Quamobrem uiri uos hortor, ue uirtute muliebri inferiores uos erga pietatem uideri uelle permittite: Mulieres, ne & uos tantum exemplum relinquite: sed iam sine excusatione sexus, ite obuiam pietati, re periculum facientes, quemadmodum nihil bonorum uobis naturae defectus impedit.

S. Per-

S. PERPETVA ET FELICITAS.

Ex S. Auguf. de tempore barbarico, cap. 5.

Vicerunt martyres mundum, inter quos martyres mares, etiam feminae repertae sunt fortiores. Ante paucos dies Natalitia celebrauimus martyrum Perpetuae & Felicitatis, comitum. Et cum tot sint ibi uiri, quare istae duae praeter omnibus & nominantur: nisi quae infirmior sexus aut aequauit, aut superauit uirosum fortitudinem? Una earum erat praegrans, alia lactans: Felicitas parturiebat, Perpetua lactabat. Sed tamdiu Perpetua lactauit, quam diu acciperet ab illo pastore simul & patre buccellam lactis: qua accepta, dulcedo Felicitatis Perpetuae eam fecit contemnere filium, spernere patrem, non inhærere mundo, perdere animam pro Christo. Felicitas uero, quae sociam habebat Perpetuam, & parturiebat, & dolebat: obiecta bestijs gaudebat potius, quam timebat. Quae uirtus in feminis qualis est gratia, quae cum se infundit, nullum indignum iudicat sexum. Gratias gratiae Dei. Reparauit enim sexum muliebrè. In opprobrium magnum mulier remanserat: quae ab initio per mulierem unam Euam deiecit, sed Christus natus ex uirgine, multas feminas exaltauit. Perpetua & Felicitas caput calcauerunt serpentis, quod Eua ad corpus intus admisit. Istam deduxit falsa promittendo, illas non ualuit superare sauiendo. Illam decepit in Paradisi felicitate: has non potuit adire, nec substantiarum deposita potestate. Illius inter paradisi delicias ruinam: harum inter poenas fortitudinis constantiam, ipse quodammodo diabolus expauit. Merito sic sunt exaltatae, merito uiris uel coaequatae, uel prolatae. Quis enim in Christo Iesum sit feruus, neque liber, non sit masculus, neque femina, sed omnes sint unum occurrentes in uirum perfectum: descendit tamen hoc donum ex magna gratia. Perpetua enim & Felicitas, nomina istarum sanctarum fecit.

L

minarum, merces est sanctorum omnium martyrum.
De eadem Felicitate ex Gregorio Magno, in Euangelia, Homilia iij. fol. cccxj. super Euang. Matth. xij. Ecce mater eius, &c. Ad quam rem nobis idonee confirmandam adest beata Felicitas, cuius hodie Natalicia celebramus, quæ credendo extitit ancilla Christi, & prædicando facta est mater Christi.

HYMNVS DE S. QVIRINO MARTYRE.

Ex Prudentio.

In signem meritis uirum
Quirinum placitum deo
Urbis mœnia Siscia
Concessum sibi martyrem
Complexu patrio fouent.
Hic sub Galerio duce,
Qui tunc Illyricos sinus
Urgebat ditioribus,
Ferrur Catholicam fidem
Inlustrasse per exitum.
Non illum gladij rigor,
Non incendia, non feræ
Crudeli interitu necant,
Sed lymphis fluuijalibus
Gurges dum rapit, abluit.
Nil refert uitreo æquore,
An de flumine sanguinis
Tingat passio martyrem,
Æquæ gloria prouenit
Fluctu quolibet uuida.
Summo pontis ab ardui
Sanctæ plebis Episcopus
In præceps fluuij datur,
Suspendum laqueo gerens
Ingentis lapidem molæ.
Deiectum placidissimo
Amnis uertice suscipit,

Nec

Nec mergi patitur sibi,
Miris uasta natalibus,
Saxi pondera sustinens.
Spectant eminus è solo
Doctorem pauidi greges,
Nam Christi populus frequens
Riparum sinuamina
Stipato agmine seperat.
Sed Quirinus ut eminent
Os circumtulit, heu suos
Exemplo trepidos uidet,
Nil ipse proprij memor
Inter stagna pericli.
Confirmat pia pectora,
Verbis mirificis rogans,
Ne quem talia terreant,
Neu constans titubet fides,
Aut pœnam putet emori.
Dicentem fluitantibus
Amnis terga uehunt uadis,
Nec substrata profunditas,
Saxoq; & laqueo & uiro
Audet sponte dehiscere.
Sensit martyr Episcopus
Iam partam sibi præripi
Palmam mortis, & exitus,
Ascensumq; negariet
Æterni ad solium patris.
Iesu cunctipotens, ait,
Haudquaquam tibi gloria
Hæc est insolita, aut noua,
Calcare fremitum maris,
Prœna & flumina sistere.
Scimus discipulum Petrum
Quum uestigia tingeret
Mortali trepidus pede,

Dextrae subsidio tuae
Subiecisse salum solo.

Iordanem quoque nouimus
Tortis uorticibus, uagum,
Dum fertur rapido imperu,
Ad fontem refluus retro
Confugisse meatibus.

Haec miracula sunt tuae
Virtutis domine, ut modo
Suspendar leue praenatans
Summo gurgite fluminis,
Cum collo scopulum traham.

Iam plenus titulus tui est,
Et uis prodita nominis,
Qua gentilis hebet stupor,
Absoluas precor optime
Huius nunc animae moras.

Quid possis, probat amicus,
Qui uectat silicem liquor:
Hoc iam quod superest cedo,
Quo nil est pretiosius
Pro te Christe Deus mori.

Orantem simul halitus,
Et uox deferit, & calor,
Scandit spiritus ardua,
Fit pondus graue faxeum
Corpus suscipiunt aquae.

EUSTACHIUS MARTYR.

Per G. Vicel.

SIuera est historia Placidi Eustachij, habemus in
eo reuocatum Cornelium Centurionem simul
& Hiobum illum Vzitam. Nam is Cornelius al-
ter erat catechumenus adhuc, Hiobus uero Christi-
anus iam existens. Verum quod ad cruenta bella Cae-
saris impij, ab exilio ac tam grandi tentatione rediit-
se

se narratur, minus apud me fidei meretur. Vox euan-
gelica eius est: Ego Christum deum colo, & illi soli
sacrifico. In laude quoque ponitur, quod uxorem su-
am una cum liberis, Christo adduxit. Vitam finiuit
fortiter, in aeneo tauro scilicet, in quo, subiecto igni,
uiuis exustus est. Quod supplicij inuentum Perilli
cuiusdam, primus Phalaris in artificem retorserat.
Non minus exquisito poenae genere cruciatus fuit
homo militaris Sebastianus. Talem uero Phalarismum
fuisse uel in Traiano uel in Hadriano Imperat. quis
erat suspicaturus? Raphaël Volater. de S. Eustachio
sic habet: Eustachius Romanus Martyr, qui inter au-
licos fuerat Traiani principis, Placidus antea dictus,
cum in uenatione ceruum sectaretur, conspecto in-
ter eius cornua Crucis simulachro, & uoce fere eius-
dem audita: Quur me persequeris? Domi uxori The-
phytae & filijs re manifestauit, factique ex hoc Christi-
ani ipse una cum uxore, sub Adriano in aeneo tauro
necatus est: cuius Romae templum festumque colitur.
Haecenus Rapha. Rectius autem dicitur Eustathius
quam Eustachius. Et procliuis lapsus est apud Lati-
nos scribas litere θ in χ . Idem penè lapsus accidit in
nomine Acacij, quem Serperam Achacium uocant:
mutantes κ in χ . Est enim graeca uox $\alpha\kappa\alpha\iota\sigma$, latinis
sonat Innocentem hominem, seu qui alienior sit a
malitia.

S. FELIX MARTYR.

Ex D. Augustino.

DE hoc diuo Felice S. Augustinus super Psal.
cxxxvij. in eum modum scribit: Ergo fratres Fe-
lix martyr & uere felix & nomine & corona,
cuius hodie Natalis est, contempsit mundum. An for-
te quia timebat Dominum, inde erat felix: inde erat
beatus, quia uxor eius tanquam uinea fertilis erat in
terra, & filij eius circumdederunt mensam eius? Om-
nia ista perfecte habet, sed in corde illius qui hic de-

L 3

scribitur, & quia sic ille intellexit, contempsit præsentiā, ut acciperet futura. Noueritis autem fratres non eum passum mortem, quam alij martyres passi sunt. Confessus est enim, delatus est ad tormenta, alio die inuentum est corpus exanime. Clauerant enim illi carcerem, sed corpori, non spiritu. Quem illic parabant torquere carnifices, absentem inuenerunt, perdidit suauitiam suam, iacebat exanimis sine sensu illis, ne torqueretur, cum sensu apud Deum ut coronaretur. Vnde & iste Felix fratres, non tantum nomine, sed & premio uitæ æternæ, si ista dilexit, &c.

S. ACACIUS X. MILIUM MARTYRUM ANTEFIGNANUS.

Martyr sanctissimus in arborem nucis suspensus est, & illic postea constructum Oratoriū, quod dicitur domus *de leupias*, id est, nucis. Ita enim Socrates Hist. Tripart. lib. xi. cap. xxxv. Alibi legitur Acacium de cruce seu arbore illa socios sermone exhortatum, & Symbolum catholicæ fidei profectum fuisse. Decem milium S. Martyrum uexillifer contra Agarenos missus fuerat, qui defecerant à Rom. imperio, tempore Imper. Antonini.

S. PHILIPPVS ET IACOBVS APOSTOLI.

Ex Eusebio Cæsariensi.

Polyrates Victori episcopo urbis Romæ scribens Philippi Apostoli ac filiarum eius pariter meminit, dicens: Sicut iam superius inferuimus quod magna lumina in Asiæ partibus dormierunt, quæ resuscitabit Dominus in nouissimo die aduentus sui, cum ueniet in gloria, & requiret omnes sanctos suos. Dico autem de Philippo, inquit, qui fuit unus ex Apostolis, qui dormiuit apud Hierapolim. Sed & duæ eius filia inibi uirgines, consenuere: & alia eius filia spiritu sancto repleta permansit apud Ephesum, &c. lib. iij. cap. xxxj.

De alio Philippo, nimirum diacono, sic scribit idem Euse-

Eusebius: Sed & Philippus, qui erat unus de septem, cum Stephano diaconus ordinatus, descendit Samariam, uirtute dei repletus, & prædicabat primus uerbum dei. Samaritanæ genti. In quo tanta erat diuinæ gratiæ efficacia, ut etiam Simonem magum suis prædicationibus confternaret, qui per idem tempus celebris famæ apud Samaritanorum populos habebatur, ita ut uirtus dei magna esse putaretur. Sed is cum uidisset signa & miracula, quæ à Philippo per diuinæ gratiæ potestatem fiebant, obstupefactus & territus celsit, & credere se in Christum, usquequo etiam baptismum acciperet, simulauit, &c. lib. ij. cap. j. De diuo Iacobo Christi Iesu apostolo scribit noster Eusebius quoque hæc uerba: Hunc, inquam, ipsum Iacobum, qui & Iustus cognominatus est ab antiquis, uirtutum merito, & insignis uitæ priuilegio, primum historiæ tradiderunt suscepisse Ecclesiæ, quæ in Hierosolymis est, sedem, sicut Clemens in sexto Dispositi-
onum libro asserit, dicens: Petrus enim, inquit, & Iacobus & Ioannes, post assumptionem saluatoris, quamuis ab ipso fuerint omnibus penè prælati, tamen sibi non uindicabant primatus gloriam, sed Iacobum, qui dicebatur Iustus, Apostolorum episcopum statuunt. Idem quoque ipse in septimo eiusdem operis libro addit de ipso etiam hæc: Iacobo, inquit, qui dicebatur Iustus, & Ioanni & Petro post resurrectionem dominus omnem scientiam tradidit, & ipsi ceteris Apostolis, qui Apostoli illis septuaginta discipulis tradiderunt, ex quibus unus erat & Barnabas. Duos autem fuisse Iacobos constat. Vnum hunc Iustum, qui de pinna templi deiectus, fullonis uecte percussus est, & morti traditus. Alius autem est ille, qui ab Hero de capite cæsus est. Huius ergo Iusti Iacobi etiam Paulus meminit, cum scribit: Alium autem, inquit, Apostolorum uidi neminem, nisi Iacobum fratrem domini. In hoc ergo tempore etiam Thattæus (de quo supra memorauimus)

secundum Domini præceptum ad regem Abgarum missus, ipsum quidem ægritudine morbi corporalis absoluit, uniuersam uerò ciuitatem Edeffensorum Christo domino, fideli satis credulitate sociauit, ita ut in hodiernū ciuitas illa (quippe quæ ipsius domini & saluatoris meruit scripta suscipere) uelut speciali quadam Christo deuotione dicata sit, &c De S. Philippo Apostolo sic refert D. Hieronymus: Philippus apostolus in Phrygia prædicat Euangelium Domini Iesu. Sepelitur Hierapoli, cum filiabus honorifice. De S. Iacobo Apostolo scribit D. Hieronymus in hūc modum: Iacobus, qui appellatur frater Domini, cognomento Iustus, ut nonnulli existimant, Ioseph, ex alia uxore: ut autem mihi uidetur, Mariæ sororis matris domini, cuius Ioannes in libro suo meminit filius, post passionem domini, statim ab Apostolis Hierosolymorum Episcopus ordinatus, unam tantum scripsit Epistolam, quæ de septem catholicis est, quæ & ipsa ab alio quodam, sub nomine eius ædita asseritur: licet paulatim tempore procedente obtinuerit autoritatem. Hegeffippus uicinus Apostolicorū temporum, in quinto Commentariorum libro, de Iacobo narrans ait: Suscepit Ecclesiā Hierosolymæ, post Apostolos frater domini Iacobus, cognomento Iustus. Multi siquidem Iacobi uocabantur. Hic de utero matris sanctus fuit: uinum & siceram non bibit, carnem nullam comedit, nunquam attonsus est, nec unctus unguento, nec usus balneo. Huic soli licitum erat ingredi sancta sanctorum. Si quidem uestibus laneis non utebatur, sed lineis, solusq; ingredietur templum, & fixis genibus, pro populo deprecabatur, in tantum, ut camelorum duritiem traxisse eius genua crederentur. Dicit & alia multa, quæ enumerare longū est. Sed & Iosephus in uicesimo libro Antiquitatum refert, & Clemens in septimo Hypotyposion, mortuo Festo, qui Iudæā regebat, missum ab Herone

Herone esse successorem eius Albinum, qui cum necdum ad prouinciam peruenisset, Ananus, inquit, pontifex adolescens, Anani filius, de genere sacerdotali, accepta occasione *ἀναγγελίας*, Concilium congregauit, & compellens publice Iacobum, ut Christum dei filium denegaret, contradicentem lapidari iussit, qui cum præcipitatus de pinna templi, contractus cruribus, adhuc semiuiuus tendens ad cælum manus diceret: Domine ignosce eis: quod enim faciunt, nesciūt. Fullonis fuste, quo rudia uestimenta extorqueri solent, in cerebro percussus, interiit. Tradit item Iosephus, tantæ eum sanctitatis fuisse, & celebritatis in populo, ut propter eius necem creditū sit, subuersam esse Hierosolymā. Hic est, de quo Paulus Apostolus scribit ad Galatas: Alium autem Apostolorum uidi meminim, nisi Iacobum fratrem domini. Et Apostolorum super hoc crebrius acta testantur: Euangelium quoq; quod appellatur secundum Hebræos, & à me nuper in Græcum Latinumq; sermonem translatum est, quo & Origenes saepe utitur, post resurrectionem saluatoris refert: Dominus autem cum dedisset sindonem seruo sacerdotis, iuit ad Iacobum, & apparuit ei. Iurauerat enim Iacobus, se nō comesturum panem, ab illa hora, qua biberat calicem domini, donec uideret eum resurgentem à mortuis. Rursusq; post paululum: Afferte ait dominus mensam, & panem: statimq; additur: Tulit panem, & benedixit, ac fregit, & dedit Iacobo Iusto, & dixit ei: Frater mi comede panem tuum, quia resurrexit filius hominis à dormientibus. Triginta itaq; annos Hierosolymis rexit Ecclesiam, id est, usq; ad septimum Heronis annum: & iuxta Templum, ubi & præcipitatus fuerat, sepultus est. Titulum usq; ad obsidionem Titi, & ultimam Hadriani, notissimum habuit. Quidam è nostris, in monte oliueti eum putauerunt conditum: sed falsa eorum opinio est. Hactenus Hieronymus.

GEORGIUS MARTYR. Per G. Vicef.

G Georgius ex Cappadocia patria, chiliarchus seu tribunus militum, tempore Diocletiani & Maximiani Imperatorum Romanorum fuisse perhibetur. Is cum Euangelium Christi Iesu edoctus esset, fidemq; illi, non tantum nomen dedisset, gessit se ubiq; locorum, quemadmodum Christianum decauit, nimirum miles Christianus iam, atq; cum spiritalibus in aere hostibus belligerans ac colluctans. Ab eo uiro fertur draco immanis in Lybia confossus esse, idq; non humana, sed diuina uirtute. Herculem monstrorum domitorem, mendax gentilitas olim habuit. Nobis ille Georgius uerus Hercules esse debet, cuius manu fortissimus Deus Iernæam hydram uere contudit, adeoq; contriuit. Et non potest non credibile esse, grande miraculum: si quidem deo omnia possibilia, Christiani credimus. Gentilitas per sua poetica fabulis, credidit quicquid confingebatur de tauro Marathonio, & Calydonio apro, beluis terræ exitiosissimis. Verum, quando nos omnipotentiae diuinæ fortiter gesta omnia religiose adscribimus, nihil absurdum habuerit, draconem Lybicum abs deo per dexteram Christiani equitis è medio sublatum, ne plus dāni inferret miseris mortalibus. Etenim dei est, per organum electorum suorum hominibus prodesse, inq; maximis malis opem ferre. Dii atq; idola dæmoniorum quid ualuerint, quidue effecerint in omni terrarū orbe, suo exitio experti sunt gentiles. Christo duce, Georgius hastam uibrat, aduersus hydram impetu fertur, barathrū tererrimum uincit, figit, interficit, atq; eo beneficio liberatur regia filia, & eodem miraculo tanto, magna uis paganorum Christo duci lucrifit, dum prædicato Euangelio, datore spiritu creditur, dum baptizatur, dum crescit Ecclesia. Esto tu quoq; quicūq; censeris Christianus, Georgius, seu simauis, Theurgius, idq; re ipsa.

Pater

Pater cœlestis *πάτερ* est, inquit Euangelista. Nos huius mystici agricolæ sumus, *γεωργία* sicut Apostolus ait, Beatam agricolationem: si spiritu alacerrimo imbuti fuerimus, quo pectus robustissimi militis redundauit in præclarissimum facinus. Draco Leuiathan, ipse diabolus est: filia regis, sponsa Christi, seu Ecclesia. Hanc si è fauce mortifera fauissimi hostis eripias, Georgium præstiteris: hac præsertim tempe stateseptarum caliginosissima. Excelso animo in uadendum est cacodæmon, nec ad speciem diabolicæ immanitatis expauescendum. Fidei fortitudine deijcitur magna bestia uno ictu testacei uasculi. Tanta est uirtus firmissimi Iehesu, adeoq; Iehoua, in infirmis mis mēbris suis. Caterū fidē ac eiusmodi strenue facta Euangelici militis, in uicti satanæ, crux atrox sequi solet. Monstratū illud ipsum est in Georgio, & in plerisq; sanctis dei hominib. Cæso dracone, liberato populo, adornata Ecclesia, exciratur imperatorius furor in gregē dominicū. Multa Christianorum milia passim martyrij palma donantur, non ob aliud quàm quòd Christiani erant. Nam eo tēpore iudicabatur, Christianum esse, hominem perditissimū, atq; ipsa luce esse perindignū: regnante nimirū potestate tenebrarum. Tanta in persecutione optimorū hominum uim inuicti spiritus exerens Georgius, & supplicio addictos fratres solari, & crudeles tyrannos increpare cœpit, citato Psal. Omnes dii gentiū dæmonia, Dominus autē cœlos fecit. Qua cōtione offensi proceres, uolētās manus uiro fortissimo afferūt. In interrogatus de patria ac cōditione, intrepide omnia respōdet, iā non miles Rom. sed Christianus. Vbi auditur Christi & Euāgelij nomē, ardēt ira bipedes leones, iubēt abripi cōfessū Christianū ad multa pœnarū genera, quæ sunt stupēda dictū. Sed sentit in summis tormētis se diuinitus resciri, ac corroborari: adhibetur magica, ut cuius præstigijs diuina uirtus in Georgio

osten-

ostensa in contumeliam Christiani nominis uertatur. Verum tanto contumeliosius ipsa ars satanica exhibitata est, quo immobilius uir dei perstitit. Adhibetur item inescando militi haudquaquam delicatulo, blādarum persuasionum illecebræ: sed in hoc quoque omnis opera luditur. Versutiæ prudētiam opponit, fraudem mirabili techna fallit. Pollicetur tyranno, se omisso deo, dijs sacrificaturum. Hac exorta fama, læto clamore accurritur, Georgius idolion subit, uelut sacra facturum de more gentiliū: sed in spiritu Helicæ fufis ad deum cæli flagrantissimis precibus pro retegenda paganorum impietate, pro illustranda Christi Iesu gloria, accidit, ut igne cælesti delubrū unā cum sacrificibus suis absumeretur: nec id sine terræ motu. Potentes preces prophetici zeli, atque (quod ad concussionem terræ attinet) Apostolici exempli. Eo miraculo plurimum fructus ad Euangelium rediisse, uerisimile est. Cum primis dicitur tyranni uxor Christi nomen professā esse cum magna sexus muliebri admiratione. Nondum uerò baptizata hæc, sed adhuc catechumena scuticis ac scorpionibus cæsa, supremum flatum tradit, quippe in sanguine proprio tincta ac renata, iuxta admonitionem Georgij, qui pugil tandem in arenam educitur, cum ipsa morte decertaturus. Mors superata doluit, dum spiculatoris ense tyrannus Georgium è uita sustulit. De hoc inclyto martyre Christi S. Ambrosius in libro Præfationum, qui intercidisse fertur, tale testimonium profert: Georgius fidelissimus miles Christi, dum Christianismi professio tegetur, solus inter Christicolas intrepidus dei filium Iesum confessus est. Cui tantam constantiam gratia diuina concessit, ut & tyrannicæ potestatis præcepta contemneret, & innumera bilium non formidaret tormenta pœnarum. O felix & inclytus præliator Domini, quem non solum temporalis regni non persuasit blanda promissio: sed per-

persecutore deluso, simulachrorum eius portenta in abyssum deiecit. Idem Ambrosius de eodem: Ob hoc regina quoque Persarum crudeli à dictata sententia, nondum baptismi gratiam consequuta, gloriosa passionis meruit palmā, &c. S. Gregorius epistol. lib. x. ad Marinianum Abbatem, mentionem diui Georgij facit, quippe mandans, ut templum Georgij nomine nuncuparum restauret, & sacram Psalmidiam in eo restituat. Veteres Græci recēsent in Diario sub finem Aprilis, Γεωργίου, ὁδὸν τῆς τοῦ Γεωργίου, hoc est, militię præsides. Et hodie diui Georgij celebritas apud Græcos præ cæteris perquam eximia est. Orandum est, ut nos sanctissimi martyris fidem & charitatem imitari possimus. Extat Græcum epigramma Cyri Theodori, εἰς τὸν ἄγιον γεωργίου ἐν λευκῷ λίθῳ τυπώθησα. Nam antiquitas huius Martyris effigiem in albo lapide expresserant.

Qui hodie uiuunt Græci, appellant S. Georgium Megalomartyra, hoc est, magnum Christi testem, & Tropæophorum, id est, uexilliferum. Fuit præter hūc & alius Georgius, qui dicitur diaconus, cuius socius Aurelianus, ij apud Cordubam Hispaniæ pro Christi Iesu nomine passus sunt. Sic enim Adonis Martyrologium habet.

IN BASILICAM S. GEORGII MARTYRIS.

Fortunati presbyteri carmen.

Martyris egregij pollens micat aula Georgij,
Cuius in hūc modū spargitur altus honor
Carcere, cæde, fame, uinctis, siti, frigore, flam
Confessus Christum duxit ad astra caput. (mis
Qui uirtute potens, orientis in axe sepultus,
Ecce sub occiduo cardine nomen habet.
Ergo memento preces & reddere uota uiator,
Obtinet hic meritis, quod petit alma fides.
Condidit antistes Sydonius ista decenter,
Proficiant animæ quæ noua templa suæ.

Marcus

MARCUS EVANGELISTA.

Ex Euseb. Cæsariense.

Eusebius Cæsar. lib. ij. cap. xv. de S. Marco hæc in-
monimētis reliquit: Igitur cum Romanæ urbi
clarū uerbi Dei lumē fuisset exortū, Simonis
quidē tenebrę cū suo autore restinētæ sunt. Sermo
autem ueritatis & lucis, qui per Petrū prædicabatur,
uniuersorum mentes placido illustrauit auditu, ita
ut quotidie audiētibus eū nulla unquā satietas fieret
Vnde neq; auditio eis sola suffecit, sed Marcū discipu-
lū eius omnibus precibus exorāt, ut ea quæ ille uer-
bo prædicabat, ad perpetuā eorū cōmonitionē ha-
bendā scripturæ traderet, quo domi forisq; in huius-
modi uerbi meditationibus permanerent. Nec prius
ab obsecrādo desistunt, quā quę orauerant, impetra-
rent. Et hæc fuit causa scribendi, quod secundū Mar-
cum dicitur Euangeliū. Petrus uerō, ut per spiritum
sanctum religiose se spoliatum comperit furto, dele-
ctatus est, fidē eorum per hæc deuotionemq; confide-
rans, factumq; cōfirmauit, & in perpetuū legendam
scripturam ecclesijs tradidit. Clemens in sexto Dis-
positionū libro, hæc cita gesta esse describit. Cuiq; si-
mile dat testimonium etiam Hierapolites episcopus
nomine Papias: qui & hoc dicit, quod Petrus in pri-
ma Epistola sua, quam de urbe Roma scripsit, memi-
nerit Marci, in qua tropice Romam Babylona nomi-
narit, cum dicit: Salutat uos ea quæ in Babylone est
electa ecclesia, & Marcus filius meus. Hunc autē Mar-
cum tradunt primū ad Ægyptū perrexisse, atq; inibi
Euangelium quod ipse conscripserat, prædicasse, &
ipsum primū ecclesiam apud Alexandriam constitu-
isse. Tanta autem refertur multitudo credentiū uiro-
rum ac mulierum, primo ingressu exemplo sobrieta-
ris eius & continentię congregata, ut etiam conuer-
satio eorum qui per ipsum crediderant, & uita toti-
us abstinentię, ac frugi eorum sobriatq; conuiuia, li-
brorum


brorum memoriæ mandarentur à uiro disertissimo
Philone, quem sermo tenet temporibus Claudij Im-
per. Romam uenisse, & Petrum Apostolum uidisse,
atque eius adhæsisse colloquijs, uerbum dei prædi-
cantis. Quod ualde est uerisimile: quia & scripturam
istam, quam diximus, posterioribus ab eo tempori-
bus constat esse compositam. In qua euidentissime
omnia ecclesiæ instituta complectitur, quæ & tunc
tradita sunt, & in hodiernum seruantur à nobis. Sed
& abstinentium uitas, eorum duntaxat, qui nunc in
ecclesijs uel monasterijs degunt, describit ad liqui-
dum. Vnde plane manifestissime proditur, non so-
lum sciens quę nostra sunt, sed & amplectēs: quippe
qui diuinis laudibus extulit sui temporis Apostoli-
cos uiros, ex Hebræorum (quantum intelligi datur)
præcipue genere credentes: quoniam quidem con-
stat, quod hi qui sub Apostolis ex Israëlitis credebāt,
Iudaicis adhuc institutionibus, & legis obseruationi-
bus inhærebant. De Hermagora discipulo Marci ci-
ue Aquileiensi, quem Aquileiæ à populo electū, epi-
scopum ibidem constituit. Item de Calciario Ananio
qui successit illi Alexandriæ, ibi ordinauit ecclesiam.
Vide Hieronymum ad Euagrium. Fuit S. Marcus un-
co tractus Alexandriæ, spiritum Deo suo commen-
dauit, &c.

S. VITALIS ET AGRICOLA MARTYRES.

Ex S. Ambrosio.

Qui ad conuiuium magnum inuitantur, ap-
ophoreta secum referre consueuerunt. Ego ad
Bononiense inuiratus conuiuium, ubi sancti
martyris celebrata translatio est, apophoreta uobis
plena sanctitatis & gratiæ reseruauit. Apophoreta autē
solēt habere triūphos principū: & hæc apophoreta
triūphalia sunt. Christi enim nostri principis trium-
phi sunt martyrum palmæ. Nec uerō huc dirigebā iter,

sed



sed quia petitus à uobis sum, debui mecum deferre, quæ alijs parabantur, ne minor ad uos uenirem, ut quod in me minus est, quàm præsumebatur, in martyre plus inueniretur. Martyri nomen Agricola est, cui Vitalis seruus fuit antè, nunc consors & collega martyrij. Præcessit seruus, ut prouideret locum, secutus est dominus, securus quod fide seruuli iam ueneret paratum. Non aliena laudamus. Passio enim serui Domini disciplina est. Hic instituit, ille impleuit. Nihil illi decerpitur. Quomodo enim minui potest, quod Christus donauit? Egregie & ille qui homini seruiuit, seruido didicit, quomodo Christo placere. Hic tamen geminam laudem acquisiuit: in illo magisterij, in se martyrij. Certauerunt tamen inter se inuicè beneficijs, postquam æquales esse meruerunt. Hic illum ad martyrium præmisit, iste illum accersiuit. Nullum ergo ad cõmendationem hominis conditio affert impedimentum, nec dignitas profapiae meritum, sed fides affert. Siue seruus, siue liber: omnes in Christo unum sumus, & unusquisque quodcunq; fecerit bonum, hoc recipiet à Domino. Nec seruitus derogat, nec libertas adiuuat. Vide ad eã rem quàm nihil in conditione momenti sit. Seruus inquit uocatus es, non sit tibi curæ. Qui enim uocatus est in Domino seruus, libertus est Domini. Similiter qui liber uocatus est, seruus est Christi. Vide inquam uim apostoli. Plus putatur dedisse ei, qui seruus, quàm ei qui liber uocatus est. Ex seruo enim libertus Christi fit, ex libero seruus. Sed nulli plus dedit, uerũ utriusque æqualem mensuram diuisit. Apud Christum enim seruitus & libertas æqual lance penduntur: nec ullo discerniculo bonæ seruitutis & libertatis merita diuiduntur: quia nulla maior est dignitas, quàm seruire Christo. Denique Paulus seruus Christi Iesu. Hæc enim seruitus gloriosa est, in qua gloriatur Apostolus. An non summa gloria est, quando tali precio æstimati

æstimati sumus, ut sanguine Domini redimeremur? Sed pergamus ad cætera. Cumque sanctus Vitalis cogeretur à persequentibus, ut Christum negaret, & ille amplius profiteretur dominum Iesum Christum, omnia tormentorum genera in eum exercentes, ut non esset in corpore eius sine uulnere locus, orationem fudit ad Dominum, dicens: Domine Iesu Christe saluator meus, & deus meus, iube suscipi spiritum meum, quia iam desidero, ut accipiam coronã, quam angelus tuus sanctus mihi ostendit. Et completa oratione, emisit spiritum. Sanctus uero Agricola mitior habebatur moribus, ut ab ipsis etiam inimicis diligere retur. Ideoque differebant eius passionem. Sed hæc persequentorum honorificentia, omni erat immanitate acerbior, quæ inuidebat martyrium. Denique ubi non acquieuit sanctus Agricola, crucifixus est, ut aduertamus illas blanditias eorum non sedulitatis fuisse, sed fraudis. Supplicio serui dominũ terrere uoluerunt. Vertit hoc Christus in gratiam, ut martyrio serui dominus inuitaretur. Vtriusque nomen aptum martyrio, ut designati ad martyrium ipsis uocabulis uiderentur. Ille Vitalis dictus est, quasi qui contemptu istius uitæ, ueram illam uitam æternam sibi haberet acquirere: iste Agricola, qui bonos fructus spiritualis gratiæ seminaret, & sacri sanguinis effusione, meritum suorum omnium uirtutumque rigaret plantaria. Sepulti autem erant Agricola & Vitalis in Iudæorum solo, inter ipsorum sepulchra. Iudæi ambierunt cum seruulis sepulturæ habere consortium, quorum dominum negauerunt. Sic & aliquando Balaam dixit: Moriatur anima mea pro animis iustorum, & tamen non communicauit eorum operibus, cum uiueret, quorum in animis cupiebat mori. Et isti, quos uiuentes persecuti sunt, mortuos honorabant. Illic igitur martyris exuias requirebamus, tanquam inter

spinas rosam legentes, circumfundebamur Iudæis, cum sacræ reliquæ eueherentur. Aderat populus Ecclesiæ cū plausu & lætitia. Dicebant Iudæi: Flores uisi sunt in terra, cum uiderent martyres. Dicebant Christiani: Tēpus incisionis adest. Iam qui metit, mercedem accipit. Alij seminauerunt, & nos metimus martyrum fructus. Iterum audientes Iudæi uoces plaudentis Ecclesiæ, dicebant inter se: uox torturis audita est in terra nostra. Vnde bene lectum est: Dies diei eructat uerbum, & nox nocti indicat scientiam. Dies dici, Christianus Christiano: Nox nocti, Iudæus Iudæo. Indicabant ergo Iudæi, quod haberent scientiam martyrum, sed non scientiam uerbi: id est, non secundum illam solius boni, & solius ueri scientiam. Ignorantes enim Dei iustitiam, & uolentes se iustificare, iustitiam Dei non receperunt. Detuli ergo uobis munera, quæ meis legi manibus, id est, crucis trophæa, cuius gratiam in operibus agnoscitis. Certè & ipsi demones confitentur. Cōdant alij aurum atq; argentum, ac de latentibus eruant uenis: Legant preciosa monilia farta: Temporalis ille thesaurus est, & sæpe habentibus perniciosus. Nos legimus martyris clauos, & multos quidem: & plura fuerunt uulnera, quàm membra. Clamare martyrem diceres ad populum Iudæorum, cum clauos eius colligeremus. Mitte manus tuas in latus meum, & noli esse incredulus, sed fidelis. Collegimus sanguinem triumphalem, & crucis lignum. Hæc sanctæ uiduæ negare non potuimus postulanti. Munera itaque salutis accipite, quæ nunc sub sacris altaribus reconduntur, &c.

S. Gor.

I. GORDIUS MARTYR MILIS
Cæsariensis. Ex S. Basilio.

Natura lex apibus innata, fratres dilectissimi, ut nisi rex prius agmen præcedat, ab aluearibus nunquam discedant. Vos autem dei populum, cum nunc primum ad martyres, tanquam ad flores cœlestes exeuntes, & huc frequentes conuenire uiderim, quo id duce feceritis, exquirō. Quis huiusmodi hanc tristitiam in uernam serenitatem commutauit, ut populus ex ciuitatis ædificijs tanquam ex apum aluearibus hilaris egressus, ad suburbanum decus præclarumq; martyris stadium conflueret? Sed quoniam (ut mihi quidem uidetur) pristina desidia reiecta, duces secuti estis, præstantem martyris uirtutem, & nos quoq; quantum uoce contendere licet, ueluti bombantes apes uernantibus floribus circumfusæ, præclara ipsius gesta personemus, rem quidem piam agentes, simul at uobis ore intentis gratam. In laude namq; iusti populus lætabitur. Salomonis lectio nobis nuper recitata, quidnam per latentē huiusmodi prouerbij sensum ibi uelit, mecum ipse cogitabam: an fortè dicat, quod populus oratione magnifica, ac plane culta, quæ auditorum aures demulceat, oblectentur: præterea sermonis ornatum, rerumq; inuentionem, ac dispositionem elegantem exoptet. Quod profecto mihi uerissimile nō uidetur, cum ipse nusquam huiusmodi dicendi genere usus fuisse inueniatur. Nam & Sanctorum memorias orationis & eloquentiæ fucō prosequi, non fas erat admonere illius præsertim, cuius scripta sermone simplici, nulloq; styli apparatu conspiciuntur. Quis ergo illorū uerborū sensus: Is uidelicet, quod populus sola in dicendo ueritate, ac simplici testimonio spiritualiter lætatur: tū ad bonorū explorū, quæ audit, cupiditatē & imitationē uehementē incēditur.

M z

Illorum enim, qui in fide claruerunt, historia simplex, uelut lucem quandam Dei cultoribus, uirtutis iter ostendit. Quamobrem cum in sacris uoluminibus Moſis uitam, morum lenitatem noſtræ naturæ, magnopere optatam audimus, ſtatim emulamur. Quod ſi reliquorum facta uiroꝝ eloquentiæ floribus ornantur, ſanctis tamen ad ea, quæ maxima geſſere, demonſtranda ſat fuerit oratio ſimplex. Cuius dum nitimur ac inſiſtimus ueritati, Sanctos ipſos ex eorum tamen teſtimonio, quæ de eis referimus, laudare uidemur, & populum omni eloquentiæ ſuſpitione remota, ad ipſius rerum ſynceræ narrationis fidem facile deducimus, ac maxime exhilaramus. Ioseph dum audimus aut legimus uitam, illius aſſequi caſtitem magno pere cupimus. Si uero Samſonis narratur hiſtoria, ad illius imitandam fortitudinẽ accendimur. Sacra igitur ſchola, præcepta rhetorum aut inſtituta non ſequitur: nudam rerum expoſitionem Sanctis, ac nobis ſatis eſſe exiſtimat: illis quidem ad uirtutis eorum præconium, nobis uero ad imitationis gloriam atq; formam. Rhetorum nanq; inſtituta ſunt, patriæ dignitatem oſtendere, generis originem ex alto repetere, & educationis incunabula diligentius referre: Noſtrum uero dogma hæc tanquam ſuperuacua dimittit: & quæ ſunt propria ac uernacula, ſeſtatatur. Quidnam ego ſum melior, ſi mea ciuitas olim magna bella geſſit, aut de hoſtibus triumphauit? Si eadem optimo ſit in loco ſita, æſtate ac hyeme cæli temperie fruatur? frequens eſt ædificijs? ſi ager paſcendo pecõri ſufficiat? ſi meliores nutriat equorum greges, quàm uſquam reperiantur? Quid, inquã, iſta quo ad uirtutem commendatiores reddere poſſunt? Nos ipſi profecto decipimus, ſi in montis cacumine conſtituti, nubes nos tranſcẽdere, ac ſublime cælum nobis cedere uidentes, hac de cauſa nobis magis aliquid accedi exiſtimamus. Ineptum in ſuper, ſi ſanctis

qu

qui res orbis uniuerſas contempſerunt, hiſ eſſe opus commendationibus putamus. Igitur noſtri tantum cauſa profectus, ſat illorum celebrare memoriam fuerit. Non enim noſtris indigent laudibus ornari, ſed nos ipſorum uitæ hiſtoria & commemoratione imitationis gratia indigemus. Quemadmodum enim ex igne naturaliter emicat ſplendor, ex unguẽro quoq; præſtanti diffunditur odor: ſic eſt ſanctorum commemoratione geſtorum, ad omnes prouenit utilitas. Huius itaq; martyris uenerandi facta ſin gula explicata hodierno die nullo modo pollicemur, quod eorum fama tenuis, nec omnia ſanè complectens, ad nos uſq; delata ſit. Quamobrem pictoribus recte comparabimur. Illi enim cum ex antigrapho, ſiue archetypo imagines expreſſerunt, uti par eſt, à prima forma plurimum recedunt: Nos item cum rerum geſtarum aſpectu caruerimus, ualde metuendum, ne dicendo, rerum ueritatem atteramus. Verum quando eius hodie feſtum celebramus, qui in huiuſcemodi die certamen pro Chriſti nomine ſubiit, quantum ex eius hiſtoria notitia deprehendere licet, enarrabimus. Fuit hic martyr beatiffimus ciuis noſter Cæſarienſis, ex quo non mirum, ſi noſtræ mentis affectus ad eum potiffimum dirigitur, quod profecto ad uerum ac domeſticum huius facit ornamentum. Nam ſicut arbores quæ bona ferunt poma, propriæ bonitatis laudem nutrienti tribuunt humo: ſic iſte ex noſtræ urbis prodiens utero ad ſummumq; gloriæ culmen euectus, patriæ quæ eum produxit atq; aluit, honore glorioſiſſimi martyrij tribuit. In cuncta nempe ſunt nobis externa poma, modò ſapore delectant, ſed longe noſtro gratiora guſtui propria, quàm peregrina, præterquam quod & gloriã quandã nobis conferre uidentur. Militiam exercuit, in quo locum admodum inſignem reuuit, ita ut centi milites eius imperio præerent: quodq; animi uirtute & corporis

M 3

corporis uiribus præcelleret, cunctis inter ordines militibus præstantior habebatur. Ea sanè tēpestate, cum tyrannus impius, qui tunc imperitabat, in Christianum nomen uirus suæ feritatis effunderet, manumq; deo inimicam aduersus ecclesiam exerceret, tota urbe præconis tuba sonabat, toto foro & per cōpita tyrannicum promulgabatur edictum, ne quis Iesum coleret. Qui uero contra iussa faceret, graui supplicio plecteretur. Idola proponebantur adoranda, lapideaq; ac lignea hominum simulachra pro uero numine colenda. O misera tēpora: dei ciuitas rei nouitate attonita, tota tumultuabat: Christianorum domus singulę petebantur: innocētium facultates diripiebantur: matres familias pudicissimæ per uicos trahebantur: nulla iuuenum pietas: nulla senum reuerentia erat. Infantes noxijs ac maleficis digna pariebantur. Turba plurima in carcerem arctissimūq; locum cōiecta torquebatur: domus insignes & opulentæ euertebantur. Pleni saltus, plena profugis loca deserta, ob unum tantum crimen, quod Christum colerent. Prodebat patrē filius: pater filium accusabat. Frater aduersus fratrem insurgebat. Seruus domino insultabat. Adeo diabolicis artibus hominum animi affecti tenebantur, ut uelut in tenebris agentes, sese minime cognoscerent. Præter hæc autem, sacra templa, basilicæ, aræ sanctissimæ euertebantur. Thus anre sacrificia in odorem suauitatis non amplius fumabant: nulla erat oblatio. Diuinæ rei nullus iam locus amplius relictus. Cuncta mæror ingens ueluti diffusa caligo occupabat. Sacerdotū collegia fugabantur. Sacer omnis cōuentus cladē insolitā expauescebat. Gentiliū uero conciliabula gaudebant, nidore ac sanguine uictimarū infecta cūcta dabāt. Hæc igitur exempla crudelia cum Centurio generosus conspiceret, tantorum malorū exitum præueniens, abiectio militiæ baltheo, sponte sibi exilium delegit. Itaq; relictis hono-

honoribus, relictis omnis generis facultatibus, seruis, propinquis, amicis, uoluptatibus, & rebus alijs, quas cæteri maxime appetere, ac magno studio parare solent, ad uasta deserta nemorum loca contendit, longe secum melius agi putans, si in ferarum recessibus, quàm inter idola uana cum hominibus habitaret. Helię prophetæ secutus exemplum, qui cum Sidoniorum conspiceret impietatem quotidie inualescentem, in montis Oreb speluncam secessit, ac sese ab omni humana conuersatione, ut deum quæret, ac uideret, abdicauit: Vidit tandem, quantum fas est homini mortali. Eodem modo noster Gordius spreis omnibus, urbanos fugiens tumultus, fori clamorem, magistratuum ambitionem, tribunalium fastum, obtræctatores, ementes, uedentes, peicranes, mentientes, mimos, scurras, ceterosq; huiusmodi generis homines, quibus magnæ urbes referatæ sunt, multosq; secum tanquàm magnæ naues alligatas puppibus cymbas per æquora trahunt. Infuper uisu audituq; ac animo à uitijs purgato & libero, deum ipsum contemplando uidere meruit: tum magna discere mysteria, quæ non ab hominibus, nec per homines fuit edoctus, sed magno usus præceptore spiritu sancto. Quamobrem secum meditans, quàm sit fallax & inanis uita humana, ac somnij phantasinatis æquiparanda, in supernæ illius ac melioris uitæ amorem exarsit, ac ueluti fortis athleta sese ieiunijs, uigilijs, orationibus, studijs demum diuinæ eruditionis probe exercitū animaduertens, hunc maxime diem obseruauit, in quo frequens ciuitas uisendo equestri spectaculo erat intenta, quod hoc in loco ea tempestate, in Marris, seu potius furentis bellorum dæmonis, honorem celebrabatur. Populus omnis ex edito spectabat, nec ullus deerat, non Iudæus, non gentilis, non item Christianorum multitudo, quæ cum uanitatjs concilio cōmixta fede

bat, & iniquorum imitans consuetudinem, equorum cursum & aurigarum agilitatem spectabat. Serui eo die ab opere liberi. Pueri è scholis spectatum currebant. Fœminæ prostituta ac ignobiles aderant. Plenum iam studium, & omnis iam turba confederat, equestre certamen uidere intenta. Tunc magnanimus heros per montis cliuum in theatrum properans, non populum horruit, non quantis se pugnantibus manibus traderet, pensitauit: sed animo intrepido, seueroque uultu super hominum terga, qui circum theatrum sedebant, tanquam per aliquam lapidum congeriem, aut lignorum struem ingrediens, in medio campo constitit, illud secum sæpe repetens dictum: Iustus ex fide uiuit. Quid plura? Adeo intrepido excelsoque animo fuit, ut cum in eminentiore theatri parte staret, ingenti uoce: quam qui audierunt extant adhuc aliqui, exclamauerit, & clare illud Apostoli ad Romanos dixerit: Ecce inuentus sum ab ijs, qui me non quærunt: his qui me non interrogabunt, palam apparui. Quibus sanè uerbis se in eum uenisse locum significauit minime coactum, sed ultro se mancipium præbuisse: seruatoris exempli secutum, qui cum per atram noctem minime uideretur, se Iudæis manifestauit. Omnium igitur oculos statim in se conuertit. Erat enim aspectu horridus, & quod montana diu incoluerat squallenti capillo, barba promissa, ueste obsita, corpore incuruus, pera præinctus, baculo innixus. Quæ sanè omnia horrorem quendam uulgo aspicienti incutiebant, simul & eum illustrem magnopere reddebant. Vbi autem quis esset, cognitus fuit, gentilium simul & Christianorum murmur est ortum: his quidem ob gaudium sui commilitonis exultantibus, illis uero factum damnantibus, ac iudicis animum ad eius cædem accendentibus. Hominum igitur clamor atque tumultus omnia complebat. Equos, currus, aurigas, iam despiciebat. Frustra

rotarum

rotarum stridor aërem uerberabat, nullus aliud quàm Gordium uidere malebat, nullus quàm Gordium uerba sonantem audire studebat. Torum denique theatrum murmure, more uenti, per aëra sonantis perstrepebat. Vbi uero per præconem silentium imperatum, conticuere buccinæ, sopitæ fistulae, uaria musicorum instrumenta siluerunt. Solus aspiciebatur Gordius, solus audiebatur. Hinc ad præsidis tribunal in eodem loco confestim adductus, ab eo quisnam aut cuius esset, interrogatus, & patriam & generis & dignitatis locum quem tenuerat, præterea fugæ causam ac reditus pariter enarrauit. Reuersus sum, inquit, palam ostendens, quod tua edicta nihil omnino curo, sed Iesum Christum spem meam, meumque præsidium profiteor: cumque acceperim, te reliquos homines crudelitate superare, hoc sanè tempus explendo meo uoto maxime idoneum sumpsi. His sanè uerbis, uelut ignis ira præsidis accensa, quicquid in eo furoris erat, in eum subito conuertit. Præsto sint (inquit) lictores, flagella, plumbatae, corpus rotis scindatur, in eculo suspendatur, omne tormentorum genus excogitetur: feroces adsint ferae, mucronibus transfigatur, igni tradatur, in altum deiciatur barathrum. Verum parua hæc omnia uiro execrando, modo una morte intereat. Quin (inquit Gordius) damnum profecto me facere uideor, si sæpe uariisque modis extinguere, uariisque pro Christo pati supplicia nequeo. At ille his magis irritatus uerbis, magisque se lædi ac sperni, ob talem loquendi licentiam, existimans, naturali eius feritati uehementior accessit imperus: ac eo truculentior fiebat, quo ille constantior in contemnenda pœna uidebatur. Cum nulla tormentorum ratione, nullis armis à cæpto proposito auerti posset, quin in cælum oculos attollens, sacra Psalmorum carmina decantabat: Dominus mihi adiutor, non timebo, quid faciat mihi homo. Et rursus: Non timebo mala, quoniam tu

M 5

mecum es. Et alia istis germana, quæ de sacris promebat uoluminibus, ad animum confirmandum, & in proposito perseverandum maxime facientia. Tantumque abfuit, ut intentatas horreret pœnas, ut eas ultro in se prouocaret, suppliciumque moras uehementer increparet. Quid (inquit) agitis? Quid cunctamini? Quid hanc mihi gloriã inuidetis? Corripite corpus, membra frustatim cœdantur. Denique quodcumque de me supplicium ocys sumite. Quãto enim mihi plus tormentorum accesserit, tanto plus referam præmiorum. Res enim in hac uita aduersæ, nobis apud deum perpetuam pariunt uoluptatem. Si uulnera mille ac cicatrices patimur in resurrectione splendido induebamur amictu. Pro contumelia atque ignominia palmas coronasque assequemur. Pro uinculis & carcere per ampla paradisi spacia læti uagabimur. Pro accusatione demum atque iniqua condemnatione, gloriam ex deo & angelis referemus. Minæ uestre femina mihi sunt diuina, unde immortalitatem, perpetuamque gaudia metam. Cum tandem uir beatus hac seueritate à fide obstinata auerti non posset, alia tunc uia præses est aggressus. Illecebris & omni lenitate contaminare conatus est, cum præsertim diabolus hac uti soleat arte, ut timidos metu perterreat, fortes leniat atque palpet. Quod imitatus præses, ubi illum rebus terribilibus non flexit, dolis ac placabilitate circumuenire querebat: quamobrem magna se daturum spondebat, quorum alia tunc haberet, alia imperato rem daturum ei affirmabat, locum inter milites illustrem, facultates, opes quicquid denique animus cuperet. At ille nec si quidem uictus, præsidis insaniam ridebat, qui compensare dignum aliquid supernis sedibus existimaret. Impius ille tunc laxatis iræ habitis furore percitus, enssem uagina diripit, licto rem coram astare iussit, & manu & lingua nefanda ad uirum damnationem se accinxit. Ad tribunal omnis theatri

tri multitudo conuenit: reliquus uero populus, qui ante urbis mœnia diffusus erat, ad hoc nouum properauit spectaculum, quod & angeli & homines uerebantur, dæmones uero perhorrebant. Quid plura? Concurrentibus eò cunctis, urbs penè uacua facta est. Matres familiã nobiles, ignobiles properabant, domus sine custodibus relicta, tabernæ operarijs desertæ, in foro uenalia dissecta iacebant. Ex hoc tamen urbs tuta, quod omnibus extra mœnia egressis, nemo intus remanserat, qui nefas aliquid perpetrare posset. Serui domino simul & opere neglectis, auidi spectandi erant. Virgines tunc primo extra domos prodeuntes, marium uultus conspexere. Valetudinarij ac senes ipsi quoque extra muros contendebant. In tanto itaque ciuitatis concursu, beatum Gordianum alteram uitam iam iam per mortem corporis spectantem atque tenentem, necessariorum amicorumque turba circumstitebat, amplectabantur, oscula dabant, demum flentes adhortabantur, ne sese in ardentis flammis coniceret, ne florem proderet iuuentutis, aut æthereas auras, solisque dulce iubar relinqueret. Nonnulli quando à fide omnino auertere non poterant, aut fas putarent, quibusdam eum uerisimilibus aggrediebantur rationibus, & Christum tantum corde si cuperet retinere, ore autem negare suadebant. Non enim deum uerba, sed loquentis animum inspicere. Hoc ferme modo exasperatum iudicis animum demulceri, & deum nihilominus propitium posse reddi asseuerabant. At ille tanquam cautes immota maris exagitantibus fluctibus, nulla ui, nulloque uerborum impulsu quassatus, in obstinato cæproque proposito inexorabilis permansit. Ut enim sapientis domum supra petram ædificatam, uis nulla uentorum, aut imber e cœlo uehemens, nec torrentis impetus quassare potest: ita demum nec preces ullæ, aut minæ constantiam eius euertere poterunt.

Cumque

Cumq̄ mentis acie huc illuc uagantem diabolus, & eius impulsu ac arte hinc lachrymas oriri, inde uim eloquentiæ suadendiq̄ copiam subministrari animaduerteret, illud Domini uerbum flentibus ait: Nolite flere super me, sed flete super Dei inimicos, qui in Christianos continuo grassantur, Ipsos inquam flete, qui ignem nobis parant, sibi met gehennæ incendia, iramq̄ in die iræ thesaurifant. Meum sollicitare aut emolire animum desinite. Ego enim pro nomine Domini Iesu Christi mille pericula, milleq̄ mortes, si opus foret, adire sum paratus. Alijs uero, qui Christum ore negare adhortabantur respondit: Lingua quidem, quam Christi beneficio retineo, adduci non possum, ut suum neget autorem. Corde namq̄ credimus ad iustitiam, ore confessio fit ad salutē. An primus nunc ego, qui Christum profitear? Nonne alios mei ordinis audistis Christianos? Primi centurionis exemplum succurrat, qui cruci seruatoris assisēs, eius diuinitatem per prodigia facta cognoscens, nō est ueritus adhuc Iudæis furentibus, in cæde nomen eius palam fateri. Quod enim animo sensit, id ore subito manifestauit: Verē filius dei erat iste. Alius item centurio, antequam morti traderetur Christus, tāta fide egregia inuentus est, ut sese indignum eius aduentu, qui curare uerbo poterat absentem, iudicaret. Ex quo Domini uoce palam laudatus est, non inuenisse tantam in Israēl fidem testantis. Cornelius item centurio angelum domini uidere, & per Petrum saluus fieri meruit, cuius dominus preces simul & elemosynas respexit. Horum igitur centurionum libenter discipulus & imitator esse cupio. Negem ego Deum meum, in cuius cultu sum educatus? Nonne cælum, sol & astra omnia, lumen mihi clauderent suum? Credam profectō humum, quam pedibus tero, mihi ruituram. Reuocate tam nefandā ex animo sententiam, aliam induite mentem. Deus nequaquam irideri

rideri potest: ex ore nostro nos iudicat: ex nostris inquam uerbis nos seruat & damnat. Nonne tremendam Domini sententiam audiistis? Qui me negabit coram hominibus, negabo & ego eum coram patre meo, qui in cælis est. Mihi consulitis, ut deū nosse dissimulem? Quamobrem? ut uitam prorogem? mortem differam? dies adiciam? At supernæ uitæ longæ uos perdam annos. An ut corporis cruciatus effugiam? At æternæ patriæ dulcedine priuabor. Nam iri perditum dedita opera & fraude ac dolo, sequas tartari pœnas mercari, manifesta quidem insania. Vobis igitur consulo, si male sapitis, sapientiam ac ueritatem discite. Si uero dissimulatis temporis obsequimini, uos hortor rogoq̄, relicto mendacio, uera loquamini. Dicite quoniā dominus noster Iesus Christus est in gloria dei patris. In eius nomine omne genu flectitur, cælestium, terrestrium & inferiorū. Omnes profectō morri sumus obnoxii, sed non omnes indyctam martyrii mortem fortiuntur. Non igitur naturalem uitæ cursum præstolemur: mundana funera, supremas nostrorum lachrymas despiciamus, cælestem gloriam uiolenta immaturaq̄ morte præueniamus. Velociter ex hac uita, quæ potius est interitus longus dicenda, breui quidem labore ad ueram uitam commigremus. Quid miseri supremum ætatis finem inutilem, sterilem, infructuosum, stultum, uanum, hominibus pariter & brutis communem expectatis? Quicumque enim nati sunt, aut senio tabescunt, aut ægritudine corporis resoluuntur, aut uiolento improuisoq̄ casu aliquo concidunt. Quando igitur omnino semel è uita migrandum est, martyrium pro Christi nomine, ut semper uiuatis, alacriter assumite: ac uitæ, quam omnino relinquere oportet, ne parcite: sit pro necessitate uoluntas. Si enim res mundi perpetuę forent, danda uenia fortasse, si super nos pro terrenis relinqueremus. Verum quoniā fluxæ

fragile

fragilest; sunt, & illorū cōparatione magnopere in digna, quis furor in his inuigilare, hæc tanto studio complecti: Hæc ubi dixit Christi miles, crucis se signo communit, & animi magna constantia, uultu intrepido, colore nusquam mutato, ad ignis supplicium hilaris contendit: ubi tantam cordis præ se ferebat alacritatem, ut non licetorum, sed angelorum manibus se committere uideretur, qui subito post interitum sublimem eum in cœlum deferrent. Ad hæc tantus illius populi clamor ac tumultus est factus, ut uel tonanti cœlo nunquam similis sit auditus. Hoc igitur huius præclari martyrii certamen fuit. Hoc hodierna dies spectaculum uidit: quod procul dubio tale est, ut nec temporis diuturnitas unquam abolere, nec longæ consuetudinis fastidium tollere, nec aliud quippiam quamuis magnum exuperare ualeat. Nam quemadmodum solem quanto magis aspicimus, tanto magis eum admiramur, nec ullo modo afsidui rate uilescit: sic & huius uiri sanctissimi memoria, quo maiori eam temporis spacio retinemus, eo recentior in nostris animis floret. In memoria enim æterna erit iustus: In terris quidem, dum terra durabit: in cœlis uero, apud æquum & altissimum iudicem dominum nostrum Iesum Christum: Cui honor & imperium in æterna sæcula, Amen.

DE S. BONIFACIO MARTYRE.

Gregorius misit in Britanniam aliquos uerbi ministros, qui conuerterent Anglos, Augustinum, Mellitum, &c. Post quidam religiosi Angli peregrinari cœperunt in Franciæ regnum, ex quibus fuere Vuillibrordus, Vuigbertus, duo Ewaldi, & sanctus Bonifacius, &c. Item duo fratres Wilibaldus & Wunebaldus Christi confessores, cum castissima sorore Walthurga, qui adierunt locum Heistatensis ecclesiæ. Wilibaldus à Bonifacio ibidē præsul factus, &c.

Vita

VITA GREGORII DISCIPULI

Bonifacii.

LEgitur de puro Christianismo illo tempore, Prædicator uerbi Bonifacius unā cum discipulis Gregorio illo & Lullo, & Megingolus, Wilibaldus, Sturmis, Wigbertus & Burchardus. Per hos omnes conuersa Erphurt, & in Hafsis Frideslar, ubi primitus in partibus illis exordium habuit religio Christiana. Item Traiectum, Wirciburg, Eichstedi, &c. Tempore Caroli, & post hunc filiorum eius Carolomanni & Pipini. Tunc factus Bonifacius episcopus Maguntinensis, Mirum quorū afflictiones pertulerit ab hereticis, qui eum etiam denigrarāt apud ipsum Carolum seniore: scribitur effugasse nebulas hæreticæ prauitatis, &c. Atq; hinc liber Bonifacii contra hæreses, à me Fuldæ uisus. De Sturmii abbate Fuldensis ait, testari Bochoniam syluam, quæ antehac inculta, nunc ab oriente usq; ad occidentem à septentrione usq; ad meridiem ecclesijs dei & electis palmitibus monachorum repleta est.

VITA S. BONIFACII MARTYRIS.

Per G. Vicelium.

PVeritiæ temporibus in monasterio, cui præsidebat Wolthardus abbas, operam dedit & pietati & literarum studijs, semper in animo habens sanctorum exempla sequi. Egregium specimen de se præbuit tam in nationali Concilio, quod celebratum est non sine consilio archiepiscopi Cantuariensis, quā in emporio Lundemwik, quo tempore hostilis exorta dissensio erat inter Carolum Francorum & Radbodum Frefonum reges, propterea quod Radbodus exactis Christianis, atq; destructis eorum templis, idolorum culturam renouauerat. Quam calamitatem ægerrime ferens.

Winstri

Winfridus, postea Bonifacius dictus, uix sibi temperauit, quin impium principem increparit. Verum prospexit sibi de oportuniore tempore, quo Fresonibus Euangelium denuo predicaret. Interea Romam adit, ubi accepto mandato à Gregorio II. Pontifice ad inspiciendos immanissimos Germaniæ populos (hæc enim uerba Wilibaldi) uenit, Apostolica legatione functus, uenit & in inculta cordium arua, prædicationis semen, Euangelico arata uomere, iecit: antea salutato in Italiæ sinibus Luitbrando Longobardorum rege. Deinde prærupta alpium iuga transcendens, incognitos Baioariorum & Germaniæ terminos aggreditur, in Thuringiã iuxta mandatũ Apostolicæ sedis progressus est. Ibi iacto bono uerbi semine, in Franciam uenit. Dum hæc aguntur, auditur mors Radbodi Fresonum tyranni, illuc sine mora peruolans Bonifacius cælestis doctrinæ semina ministravit, & uerbi dei fame expulsa, famelicam paganicæ superstitionis multitudinem æternæ prædicationis pabulo refecit. Carolus fuit Fresonum rex, atque tunc buccina cælestis uerbi concrepuit, & prædicatorum adueniente superni roris fertilitate uox intonuit, dum etiam per Willibrodo ad cooperatores eius propagatus est sermo, destructis idolorũ phanis, & extructis ecclesiarum oratorijs. Iam uerò Frisia spiritali doctrinæ reddita, alias Germaniæ partes prædicandi gratia adiit, & populos, erroris horrore deposito, à maleuola gentilitatis superstitione retraxit, ac monasterij collecta seruorum dei congregatione cellam construxit. Similiter iuxta fines Saxonum & Hessorum populum paganis adhuc ritibus oberrantem, à dæmoniorum captiuitate per Euangelicam prædicationẽ liberauit, &c. Quo factò rursus Romam iit accitus, & Gregorio pontifici rationem suæ fidei ac doctrinæ in charta scriptam reddidit, quã approbans Gregorius, fecit illum præfulem, simul

mutato

mutato eius nomine, Winfrid. Qui Caroli patrocinio subiectus, ad Hessorum metas perrexit, ubi per prædicationem eius multi catholicæ fidei subditi, ac septiformis spiritus sancti gratia confirmati, manus impositionem ab eo acceperunt. Eodem tempore reuicit disputando pseudopphetam Adelbertum. Nam is penè seduxerat Carolum. Porro ab eò confictu dehortati fuerant Bonifacium sui clerici Lullus Meringauzus, Sturmio, &c. At ille responderat: Maior est, qui in nobis regnat, quàm diabolus, qui illũ possidet. Victus phantasta, & carcere Fuldenfis monasterij reclusus diu uexabatur. Pergit deinde Bonifacius Hessonum populis adnunciare uerbum uitæ. Id temporis mouerunt arma Saxones in Thuringos qui opem Caroli implorantes, uictores horum extitère. In ea strage occubuit antistes Geroldus, cuius filius Geilep successit in eius episcopatu: quem postea Bonifacius correxit propter aliqua incommoda. (fit hic mētio parochiæ pro episcopatu: sicut in libris Eusebij) Ceterum Carolomanus & Pipinus regni Francorum principes conspectis Bonifacij uirtutibus, & qui in disponendis & corrigendis rebus Ecclesiæ personam nullam accepit, communi totius cleri & populi cōsensu, Moguntinensis Ecclesiæ culmẽ ei commiserunt: & ut dignitas eminentior foret, decreuerunt iisdem principes, ecclesiam Mogunt. quæ prius alteri subiecta fuerat, metropolim omnium in Germania positarum ecclesiarum efficere. Moxq; legatione facta, illud à præfule Apostolicæ sedis imperare curauerunt. At uir dei semper inuigilauit prædicationi & exhortationi. Cum uerò deessent operarij messis, coactus est uocare religiosas feminas. Tecladocuit iuxta Mogum flumen, in Kitzingen, & Lieba in Bischofesheim monasterio cōstructo, &c. Sed non diu post misit dominus operarios in messem suam: nempe Burchardum, quem Wirceburc misit, & Wi-

N

libaldum, quē episcopum ordinauit in Eistere, & Iohannem, quem in Salzburg subiimauit, & Erbertū in Frisingē, & Gaiabaldū in Regensburg, & Gregorium, quē fecit Traiectensem episcop. aliū in Ougesburg, &c. Quos bello sermone & planē Euangelico adhortatus est, ut curā gregis habeant, &c. planē alter Paulus. Plura eius in Germania gesta in epistolis illius reperiuntur. Memorabile est, quod ē Moguntia iam episcopus tantus egressus, in orientaliū fines prædicando & baptizando peruenit: nec sine miraculis oberrauit. Additur inter alia Hessonum p̄pulos lignis ac fontibus sacrificasse, paganos nimirum adhuc. His conuersis iterum in Thuringiā profectus est, quos partim relap̄ios, partim infirmos in religione inuenit, sub impijs ducibus Theobaldo & Heidone, &c. Compescuit ibi seductores Dorthuin, Berter, Camberth, & Vnrat. Tunc Ecclesiæ repente instaurantur, & prædicatio eius doctrinæ uniformiter emanauit, Monasteriumq; Ordorf uulgo dictū, constructum est, in quo monachi proprijs sibi manibus, more Apostolico, uictum uestitumq; instanter laborando acquisierunt, &c. Conuicit itē quendam hæreticum nomine Erminulfum, dum peragraret Baioariam, populūq; à seclis idololatriæ reduxit. Tandem urgente necessitate incitauit Carolomanū ad congregandā Synodum, &c. Lullus Bonifacij Achates ab ipso Episc. ordinatus, succedere ipsi debuit, si contingeret mori in Frisia, quam propter Euāgelium iam tertio & ultimo petijt. Illi Lullo commēdauit ecclesiarū structurā à se inceptam, iubetq; ut ædificationem Basilicæ ad Fuldā compleat, & illuc corpus suū perducatur: sed & lintheum, ait, quo meum decrepitū inuoluatur corpus, in theca librorum meorum reponē, &c. Hic Lullus nihil nisi faciem lachrymis rigabat. At Bonifacius accepto in Frisiam itinere, uerbū dei instātissime prædicabat, paganico & ty-

Flumē sentit

rannico

rannico, seu tetrico gentilitatis ritu destructo, &c. Multaq; milia hominū cū suo coepiscopo Eobano baptizauit, &c. In confinio Osterrich & Westerrich ad ripam Borne erat festum Neophytorum ob Confirmationis diem, & nuper baptizatorum ab episcopo manus impositionis & Confirmationis prædictum p̄pulo fuerat. Nam longē lateq; unusquisq; dispersus, ad propriam reuersus domum est, ut secundum diffinitam sancti episcopi sententiam, uniuerſi prædestinato Confirmationis eorum die præsentarentur. Cum ergo prædictus dies illuxisset, tunc uersa uicē pro amicis inimici, & noui lictores pro nouicijs fidei cultoribus aduenerāt, armis strepentes. Socij Bonifacij se gladio tutari uolentes, ipsius salutiferis uerbis cohercentur: Cessate pueri, deponite bellum, ne malum pro malo reddite: iam enim optatus adest dies nostræ resolutionis. Confortamini in domino, & promissionis suæ gratiam gratanter sufferte. Sperate in eo, & liberabit animas uestras. Mox sic: Viri fratres, estote forti animo, & ne terreamini ab ijs qui occidunt corpus, &c. sed gaudere in domino, & anchoram spei uestræ in eum defigite, &c. Et his similia dum exhortatur, furens paganorum tumultus cum gladijs in eos irruit, & felici cæde sanctorum corpora cruentauit. A cæde diripiuit tentoriolum ad ripā, ubi Bonifacius uolebat baptizatos confirmare: & reperta librorū cista putabant pecuniā inesse, nimirum speratum spoliū. Verū cum fregissent, librosq; pro pecunia inuenissent, in rabiem acti, omnes illos huc illucq; disperferunt, ut perirent, seq; mutuū cæcidē runt. Inuenerunt etiam capsas reliquiarum. Porro ex dispersis & abiectis libris super, illi tres à me Fuldæ uisi. Et hoc testatur historicus, cuius sūt hæc uerba: Inter eosdē uerò libros repertus est liber sanctie uangelij quē Bonifacius secū iugiter in manu ferre solebat.

*De morte
sancti.*

*In loco To
chinga uo-
catur.*

*Verba histo-
rici huius.*

N a

*Alia histo-
ria de S. Bo-
nifa. que
eum uocat
Apostolum
Germanie.*

Hic quamuis gladio acuto per medium incisus fue-
rit, nullius tamen literæ integritatē ea incisione per-
didit. Quem, ut ferunt: Bonifacius in illa hora, qua
ad caput eius abscindendum uibrabatur gladius, ha-
bens in manibus uel pro tutela capitis, seu pro spiri-
tali clypeo, quem in libro illo esse credidit, percussori
obtulit. Scribitur, Christianos collectis copijs in ea
regiōne, paganos illos insecutos fuisse, & percussisse
gladio. Corpus eius à clero Traiectum delatum, un-
de Moguntiam, postremò curante Lullo Fuldam trās-
latum est, Anno Bonifacij LX. Anno Domini D.
CCLV. passus est Bonifacius cum socijs suis presby-
teris, diaconis, & alijs cooperarijs ad regnum Dei,
ad ripam ubi erat baptizans. Regnante domino no-
stro Iesu Christo, cui laus & gloria semper, Amen.

Ego Milibaldus Episcopus, &c. uitam & passio-
nem Bonifacij conscripsi, primum in cęratis tabulis
ad probationem Lulli & Megengaudi. Post eorum
examē in pergamenis rescripti. Atq; hoc in loco, quid
dicitur sancti Victoris extra muros Moguntie, ubi
Lullus & Rabanus uocabant orationibus, &c.

DE EODEM S. BONIFACIO, EX
Bibliotheca Schaubenheim.

Sanctus Bonifacius claro Anglorum genere nā-
tus, in monasterio ibidem monastica uita imbui-
tur, & triginta annorum presbyter ordinatur,
& cum literis commendatitijs Episcopi sui Romam
ad S. Gregorium secundum mittitur, à quo Germa-
niæ prædicaturus dirigitur. Bauariæ igitur orienta-
liq; Franciæ prædicans, Turingiam, Saxoniam, Nep-
nariam, Frisoniam diuina impleuit prædicatione. Po-
stea à S. Willibrordo archiepiscopo senio fesso iugū
episcopatus suscipere rogatur, sed renuit, manda-
tum afferens à summo Episcopo accepisse illis tēr-
ris uerbum Dei nunciare. Verū si sine cultu Apostoli-
co tam præclarum onus subire nolle: & accepta licen-
tia

ria abscessit, Frisonumq; genti, & Saxonum & Hesso-
num uerbum dei nunciauit. Et sic literas factorum su-
orum apostolicè direxit: & non multo post in man-
datò accepit, ut Romam reuileret. Quod & fecit, & fi-
dem gentibus traditam in scripto Papæ dedit, & sic
gradū pontificale accipiens, ad Carolum principem
Francorū cum literis mittitur, benigneq; ab eo susci-
pitur. Et non post longū tēpus Maguntinensi eccle-
siæ præficitur: ubi diuina agens obsequia, Fuldense
monasterium inchoauit, Bauariamq; uisitauit, ab he-
reticis deprauatam inuenit. Quos cum deuincens
damnaret, Deo & Odilone duce iuuantibus, totam
Bauariam in quatuor Ecclesias diuisit: Salburem, Re-
gursbur, Frisingam & Batauim, Episcopos quoq; ut
hæreticis resisterent, ordinauit. Deinde in orientali
Francia statuit duo Episcopata: Wirzburg & Einstat:
& ibi Episcopos similiter ordinās cum eis satagebat
diabolo auferre animas deceptas. Et senio lassus suc-
cessorem sibi Ludonem nomine ordinauit, tradens
ei ecclesiastica officia, & ante omnia præcipit ut mor-
tuum in Fuldensi monasterio sepeliret. Ipse uero in
Frisiam undecim socijs comitatus pergens, in ciuita-
te Tehet ecclesiam statuit, & episcopū ordinauit, &
idola destruens, à paganis cum suis occiditur, post
innumerabile (pape) domino acquisitum. Qui sepul-
ti sunt in ciuitate Tehet ab incolis. Corpus uero S.
Bonifacij à Ludone in Fuldense monasterium trans-
fertur.

DE EODEM S. BONIFACIO MARTYRE,
Ex Martyrologio manu scri-
pto uetustissimo.

Eodem die Natale S. Bonifacij, qui de Britanis
ueniens & fidē Christi gentibus Euāgelizans,
cum magnā multitudinē in Phryssia Christianus
religioni subiugasset nouissimē à paganis, qui super-
erant, gladio peremptus martyrium consummauit,

cum Eobano coepiscopo, & alijs seruis dei. Hæc Martyrologium.

S. LIEBA ALIAS LIOBA.

Anglicana uirgo, uenit in Germaniam, S. Bonifacio ob communem religionē deditissima; quo tempore Carolus uixit. Monasterijs in Bischoffheim & Sconersheim prope Maguntia præfuit Abbatissa: mire pia. Licebat illi soli, quoties precationis causa, Fuldam accessisset, monasterium ingredi, quò alio qui non patebat ingressus feminarum. Eam Bonifacius in Phrysiam abiturus Lullo commendauit, exhortans, ut constanter Deo seruire pergeret. Iussitq; ut mortuæ Liebæ corpus, suo corpori in eodem sepulchro Fuldæ iungeretur. Hæc S. uirgo incendium pagi maximum aqua benedicta & sale restinxisse fertur. Sic legi descriptam historiam. Omnibus fororibus incendio perturbatissimis, reque desperata, iussit Lieba sibi in concha nonnihil aquæ adferri ex fluuio qui per Monasterium currebat. Eam sine mora allatam, sale, quod à S. Bonifacio benedictum indententer secum habebat, asperfit, dicens: Ite & hanc aquam in fluuium refundite, omnistq; populus ab eo loco deorsum hauriat, & contra impetum sequentis incendij certatim mittat. Quo facto omnis illa ignium uiolentia ita restincta est, quasi celitus immisso imbore, &c.

DE S. BONIFACIO MARTYRE.

Verba Beati Rhenani ex 2.

lib. rerum Germanic.

Ceterum episcopales sedes etiam in metropoliticas curarunt prouehendas Franci ueteres. Sic Maguntiacum ad hoc fastigium peruenit, sic Agrippina, cū Vunefridū Anglum in agro Londinensi natum, qui Romæ Bonifacius transfominatus est, ad instaurandū in Germanijs Christianū cultū. Francorum principibus & episcopis Alemanniæ, id est, Augu-

Augustano, Constantiensi, Curientisq; Romanus antistes commendaret. Si quidem ad Bonifaciū eum scribens Zacharias pontifex. De Ciuitate, inquit, illa quæ nuper Agrippina uocabatur, nunc uero Colonia, iuxta Francorum petitionem metropolim confirmamus. Sic idem Christianismi instaurator apud Germanos, fauentibus Francis, & assentiente Duce Ottilione, tres adhuc in Boioaria constituit episcopos, quum antea fuisset unicus, nomine Vnulo: diuisitq; prouinciā in quatuor partes, quo facilius Christianum uiuendi morem populus acciperet, & Paganismi reliquias abijceret. Apud Erphesfurdia quoq; tum rusticanam, sed ethnicam urbem idem episcopalem sedem instituisse se scribit in epistola gratulatoria ad Zachariam pontificem recens electum. Fuerat autem is à Gregorio secundo missus in Germaniam, ut populos quosdam antea Christianos, sed in paganismum paulatim relabentes, salubri doctrina ad puritatem Christianismi reduceret, quales erant Toringi, Boioarij, quales Frisij, qui (ut Gregorij Secūdi uerbis utar) ueluti sub religione Christiana, idolorum cultui seruebant, à Vigbrodo per Sergium Pontificem illuc misso paulo ante primum conuersi: quosdā nihil dum de Christo edoctos nostræ doctrinæ religionis imbueret, ut Saxones & Frisiorū ac Toringorum aliquam partem. Hic est ille Bonifacius, qui rogatus an liceret ligneis calicibus sacrificare, respondit, olim aureos sacerdotes ligneis uasculis litasse, nunc uersa uice ligneos aureis uti, cuius dicti memorabilis, in Decretis canonicis fit mentio, sed uerbis inuicis.

VITA S. KYLIANI SEV GHILIANI.

Per G. Vicelium.

EX Hibernia, hoc est Scorus natus, sicut Columbanus quoque & Gallus. A primis annis mundi contemptor, uestigia Christi meditabatur. Sed à prædicatione uerbi abstinuit, donec se Roma, Episcopo probandum exhiberet, à quo missus, Roma egreditur iam illi cordinatus præsul. Comites eius Colomannus & Totimannus, ille presbyter, hic diaconus, Romæ febri correptum Gallum reliquit. Eo tempore dux Gozbertus in Francia orientali regnabat, qui à Kyliano, quum forte Virciburgum uenisset, fidem edoceri cupiuit. Quo facto, ualedixit Dianæ, cuius cultui addictissimus fuerat. Porro in catholica doctrina instructus dux, die paschæ cum multis alijs dato, aqua baptismatis lotus, absolutionem pristini erroris promeruit. Sicque factum est, ut penè tota prouincia orientalis Francia, relicto dæmonum cultu, diuinæ religioni operam daret. Sed coniux ducis secundum gentilitatis ritum, fratris ipsius coniugio quondam copulata erat, dicta Geilana. Quod illegitimum coniugium non ferens Kylianus, initio dissimulauit, ueritus ne offenso duce res Christiana detrimentum pateretur: sed tandem sumpta fiducia monuit ducem, ne se contaminaret falsa uxore &c. Ille assensit ad separationem, pietate recepti Euangelij motus, & auctoritate sancti uiri adductus. Geilana uerò ira incanduit, ceu leena raptis catulis: & mox dispexit, quâ oportunitate occideret suasorem separationis. Parauit duos sicarios, qui iugularent tres illos uiros Dei in loco orationis, cui uacabant in nocte. Ante irruptionem dixerat Kylianus, utpote in somnis admonitus de instante nece: Fratres uigilemus, citò aderit dominus, & pulsabit ianuam. Cauendum ergo est, ne nos somno torpentes inueniat. Addamus oleum lampadibus, dum tempus est, &c. Sicarios

quum

quum uidisset Kylianus, dixit: Amici ad quid uenistis Implete præceptum, & consumabimus cursum. Cædes secuta est, & defossio cadauerum unâ cum illorû libris & uestibus, ne scelus deprehendi posset. Latere autem non potuit, quod absenti duce patratum fuerat ab Herodiade. Is domum reuersus percontatur ubinam sancti sint. Hæc respondet, se illos non custodisse, uenerunt quando uoluerunt, recesserunt item quando uoluerunt, ut peregrinationis sue propositum seruari. Cui furo credidisset dux, nisi parricidæ ultionem diuinam experti, de se factum illud fuisset confessi. Miserabiliter quoque Iesabel illa spiritum diabolo tradidit. Post hæc trucidatus est dux cum tota progenie à proprijs seruis. Tum uixit Gertrudis Pipini Francorum regis filia, cuius presbyter Athalungus in Carleburg morabatur, quo autore refoffum fuit corpus sancti. Iisdem annis præsidebat Bonifacius Moguntia, qui Burchardum in Virceburg miserat.

VITA S. LUITGER.

Per G. Vicelium.

Synchronus is fuit S. Bonifacij & Willibrordi, oriundus è Frisia, quibus in Saxonie partibus omnem penè uitam consumpsit. Baptizatus autem accepit nomen Luitger, ab ipsa pueritia bonis literis deditus. Vtebatur præceptore Gregorio, qui S. Bonifacij discipulus fuerat. Literis operam dabat in Traiectensi monasterio, in cuius schola & alij discipuli nobiles & prudentes, è quibus episcopi postea extiterunt, alij in minoribus gradibus doctores Ecclesiarum facti sunt. (His enim uerbis nititur historia) Habuit etiam Luitgerus Alcuinum præceptorem, cuius de ipso Luitg. testimonia uersu scripta extant. Verum quum radix sceleris Vidukingus dux Saxonum Christianos persequeretur, relicta Saxoniam Romam abiit, Luitgerus iam doctus piusque prædicator. Non

In Monasterijs olim non ipsa tantum monasteria scholæ.

Ita longe post redijt in patriam: mox à **Carolo rege** doctor Frisonicæ gentis constituitur. Ipse uerò cura solerti doctrinæ domini inuigilans, gregi sibi credito studuit ministrare fluentia sacræ scripturæ, sana simulachrorum destruere, & omnes erroris pristini sordes abluere. Cupiens post hæc sanctus Domini præco doctrinæ sacræ flumina ulterius deriuare, cōsilio ab imperatore accepto, transfretauit in confinia Frisonum atq; Denorum, ad quamdam insulam, quæ nomine falsi dei sui Fofote, item Fofetesland dicta fuit. Ibi destructo Fofetis phano, Christi ecclesiã construxit. Cumq; habitatores terræ illius fide Christi imbueret, baptizauit eos cū inuocatione sanctæ Trinitatis in fonte qui ibi ebulliebat, in quo **S. Willibrordus** prius homines tres baptizarat. A quo etiã fonte nemo illorum prius haurire aquam nisi tacēs præsumebat. Cuiusdam etiam principis eorum filiū **Landericum** nomine suscepit à fonte, quem sacris literis imbutum, presbyterū ordinauit. Hic multis annis genti Frisonum præfuit in studio sanctæ prædicationis. Interea dispositione misericordiæ Dei Saxones conuersi sunt ad dominum, & rex **Carolus Luitgerum** pastorem in occidentali parte Saxonum constituit: cuius parochiæ sedes principalis in pago **Surgoue**, &c. Recusauit episcopus creari. Nam dicere solebat: Oporteret episcopum irreprehensibilem esse. Quod cum audiret aliquando **Hildibaldus** affectator episcopatus, dixisse fertur: Heu heu hoc in me ad huc non impletum est. Sed tandem ad episcopatum tractus **Luitgerus**, nolens etiam. Verba histor. sic habent: Accepto itaq; sacro pontificali ordine, cum omni sagacitate & modestia gregi Saxonico sibi credito documenta uberrimæ salutis ministravit, quoadusq; Domino largiente ad perfectam illorum fidem perduceret. Tandem in pace obiit cōfessor Domini.

Vita

VITA SANCTI SOLÆ PRESBYT,
Per G. Vicel.

Sola, regnante domino Imperat. **Pipino** Francorum & Germanorum, secutus est discipulus præceptorem **Bonifacium**, à quo presbyter monachusq; ordinatus fuit. Incoluit aliquandiu solitudinem: amator enim solitudinis Sola, seculi noxia blādimenta mirifice contempsit. Vnde nonnulli cellam **Solæ**, Solonis cellam nuncuparunt: sed uerius **Sol**, quàm Solon dicendus uir. Sola soli Deo coniūctus, cœlestia tantum curauit. Hic exclamat historix scriptor: O quàm felix collegium beatissimi **Bonifacii**, &c. Post huius martyrium, dedit operam Sola unã cū **Vuilibaldo** episcopo ædificandis sacris ædibus. Subscribam uerba quædam historiolæ, unde nimirum liquet, magnas illas structuras primariorum templorum communi manu & ope, populi prouincialis fuisse perfectas. Sic ait: Quin & accolæ regionum harum quocunq; aduentantes ei (**Solæ**) in Christi amore frequentius ministrabant. Aliqui & prædij sui partem illi tradebant, quam ille in Dei timore accipiens cum his, quæ ei dominus **Carolus Augustus** donare dignatus est, ad egregium **Fuldanensium** cœnobium ubi deo prouidente modo sanctissimus ac in omni arte peritissimus abbas **Rabanus** perspicabiliter fulget, &c.

VITA S. EUCHARII
Per G. Vicel.

Discipulus Petri apostoli, è Roma in Galliã prædicator missus cum socijs **Valerio** & **Materno** tandem ad Treuiros peruenerunt, sanam doctrinam seminantes ubiq; ac edentes miracula abunde gloriosa. Factus tandem Episcopus Treuericæ urbis **Eucharius**, populū gentilitatis errore liberauit. Ado-

Adorant enim antea centum idola, per quæ dæmones loquebantur. Mortuo Eucharis successit in Episcopatu Valerius, huic deinde Maternus, quorum omnium ex æquo uita consumpta est in prædicatione uerbi dei & bonis operibus. Tres illi eodem sarcophago apud Treuiros contenti, scriptor historiæ huius, testatur se eiusmodi inuenisse sparsim in chartis de gestis sanctorum patrum: idque post excidium Treuericæ urbis, &c. Character uetustiss.

VITA REMACLI.

Iuuenis optimè institutus, per Galliam celeberrimi nominis, electus est episcopus Tungrensis sedis, acclamante populo, dignum talem doctorem præfulatus gerere officium. Mira in pauperes charitas, uerus pastor Christi gregis.

GERVASIUS ET PROTASIUS.

Ex libris Ambrosianis.

Geruasius & Protasius fratres patrem habuerunt Vitalem, qui Rauennæ, & matrem Valeriam, qui Mediolani pro Christi fide martyrium tulerunt. Parentum igitur pietatem & fidem æmulantes post ipsorum mortem iuxta consilium euangelicum omnes suas facultates pauperibus distribuerunt, & seruos quos habebant, libertate donarunt. Quibus rebus & singulari uitæ sanctitate commoti gentilium sacerdotes, Christianæ religioni infesti, magnum in ipsos odium atque inuidiam conceperunt. Cum ergo per id tempus Anastasius comes in bellum proficisceretur, hanc nefariam rationem pios fratres e medio tollendi sacerdotes iniuerunt, ut Anastasio uelut diuinitus admoniti, persuaderent, negatam ipsi esse decrero deorum uictoriam, nisi Geruasium & Protasium à Christi fide desciscere, ipsisque dijs sacrificare compelleret. Quod cum Anastasius ab ipsis nec precibus imperrare, nec minis extorquere potuisset, eodem iubente, Geruasius plumbatis tamdiu cæsus est, donec

donec spiritum emisit. Protasius uero fustibus primum seuisime uerberatus, postremo capite truncatus est. Quorum corpora Philippus quidam uir religiosus ac pius clam sustulit, & in sua domo sepeliuit. Vbi cum diu latuissent, ab Ambrosio episcopo Mediolanensi diuinitus admonito inuenta sunt, & cum magna populi ueneratione in honestissimo & sacro loco reposita. Passi sunt autem Mediolani, XIII. Calend. Iulij.

BARNABAS APOSTOLVS.

ex Annalib. ecclesiast.

Iosephus, qui cognominatus est Barnabas, natione Cyprius, ad Christianum dogma gentibus cum Paulo prædicandum in Apostolatam extra duodecim assumptus est. Hic agrum quem habebat uendidit, & attulit precium & posuit ante pedes Apostolorum. Qui cum missus à Hierosolymitana Ecclesia euangelizandi gratia Antiochiam peruenisset, ubi Græcorum aliquot crediderant, uisissetque gratiam dei, gauisus est: & hortabatur omnes in proposito cordis permanere in domino, quia erat uir bonus & spiritu sancto ac fide plenus, & apposita est multa turba in domino. Profectus inde Tharsum, ut quæret Saulum, perduxit ipsum Antiochiam, & annum totum conuersati sunt ibi in Ecclesia, & docuerunt turbam multam, ita ut cognominarentur primum Antiochiæ discipuli Christiani. Qui discipuli prout quisque habebat, proposuerunt in ministerium mittere habitantibus in Iudæa fratribus. Quod & fecerunt, mittentes ad seniores per manus Barnabæ & Sauli. Qui expleto ministerio, reuersi sunt à Hierosolymis, assumpto Ioanne, qui cognominatus est Marcus. Erant autem in ecclesia, quæ erat Antiochiæ, propheta & doctores, in quibus Barnabas & Saulus. Ministrantibus autem illis domino, & ieiunantibus, dixit spiritus sanctus: Segregate mihi Saulum & Barnabam

in

in opus ad quod assumpsi eos. Tunc ieiunantes & orantes, imponentesque eis manus, dimiserunt illos. Et ipsi quidem missi à spiritu sancto abierunt Seleuciam, & inde Cyprum: multasque præterea urbes ac regiones cum magno prædicationis profectu peragrarunt. Postremo Barnabas à Paulo discedens, ad Cyprum nauigauit, assumpto Marco. Vbi circa septimum Neronis annum martyrij coronam est adeptus iij. Idus Iunij.

Eusebius lib. ij. capite iij. de Barnaba sic refert: Per quos & apud Antiochiam florentissima congregatur ecclesia, in qua erant etiam prophetici ordinis uiri quam plurimi, cum quibus & Barnabas, & Paulus, &c. Mox Paulus uero & Barnabas, cum ministerio à fratribus collato, quod sanctorum usus deferuiret, Hierosolymam destinantur, &c. Pius lector reuoluat Acta Apostolorum, ubi de S. Barnaba satis superque inueniet.

IOANNES BAPTISTA.

Ex uetustissimis

historijs.

DES. Ioanne Baptista scribit Eusebius histor. eccle. lib. ij. cap. xij. in hac sententiam: Verū breui interiecto tēpore Ioannes Baptista ab Herode, filio Herodis, capite punitur, de quo & in Euangelijs quidem refertur. Concordi uero testimonio etiam Iosephus de hoc scribit, nominatim etiam de Herodiade, commemorans, uelut de coniugio fratris Philippi uiuenter abstractæ, & suis ab Herode incestis nuptijs sociaræ, propria & legitima uxore depulsa. Quam Herodiadem filiam dicit fuisse Aretæ regis Arabiæ, propter quam etiam Ioannem Baptistam ab eo commemorat interemptum. Bellum quoque exortum inter Aretam dicit & Herodæ tanquam ob ignominiam filiarum uindicandam. In quo bello exercitū refert Herodis extinctū. Hæc autē ei om-

nia

nia accidisse propter piaculū, quod in necem Ioānis admisit. Idē quoque Iosephus iustissimū super omnes Ioannem fuisse, secundū Euāgeliorū fidē, & ab Herode propter Herodiadē capite cæsum refert: propter quā etiā regnō eū cōmemorat depulsum, atque in exiliū in Viēnā Galliæ urbē, trusum. Hæc in xviij. antiquitatu lib. his ipsis, quibus infra annotatum est, syllabis scribit. Quibusdam autē Iudæorū, inquit, uidebatur ideo perisse Herodis exercitū, quod in eū satis iuste ultio diuina cōmota sit pro uindicta Ioannis, qui uocabatur Baptista, quē puniuit Herodes uirū ualde bonum, qui præcipiebat Iudæis uirtuti operā dare, iustitiā inter se inuicē custodire, & in deū seruare pietatē, per baptismū in unū coire. Hoc enim pacto baptismū acceptabile fore, si nō solū ad abluēda peccata sumatur, uerum etiā ad castimoniā corporis, atque ad animę iustitiā purificationēque seruetur, omniumque pariter uirtutū uelut signaculū & custodia quædam fidelis habetur. Quæ cū ab eodē per præcepta huiusmodi doceretur, atque ad audiēdū eū per plurima multitudo concurreret, ueritus Herodes, ne forte doctrinæ eius per suasionē populi à suo regno desciscerent. Videbat enim, quod præceptis eius ac monitis obedire in omnibus plebs esset parata, melius credidit, priusquam aliquid noui fieret, anticipare hominē nece, quā postmodū turbatis rebus serā pœnitentiā gerere. Ex sola igitur hac suspitione Herodis uinctus in castellū Macherita abducitur Ioannes, ibique capite obrūcatur. Trip. hist. li. ix. ca. xliij. Eo tēpore dicitur delatum Cōstātinopolim Ioannis Baptistæ caput, quod Herodias petijt ab Herode Tetrarcha. Fertur enim inuentū caput à mōachis Macedonianis, qui primū quidē Hierosolymis habitabāt, postea uero in Ciliciā migrauerunt. Quū enim ante hoc imperiū Mardonius maior domus imperialis nūciasset hoc imperatori, præcepit Valēs, caput sacrū Constantinopolim depōsari.

Qua

Qua iussione missi, & imponentes uehiculo deportabant. Quumq; uenisset ad locum, qui uocatur Pantichium (est enim circa Chalcedonem) nequaquam poterat trahi uehiculum, licet multis iumenta affligerentur. Et quum hoc nouum uideretur uniuersis & ipsi simul imperatori, sacrum hoc caput recondiderunt in uico appellato Cosilai, &c. Lege cetera in loco allegato Sozomeni. De sepulchro Ioannis Baptistæ Hist. Eccl. lib. xj. cap. xxvij. sic tradit: Iuliani temporibus uelut relaxatis frenis efferbuit in omnem scuitiam feritas paganorum. Ex quo accidit, ut apud Sebasten Palaestinae urbem sepulchrum Ioannis Baptistæ mente rabida, & funestis manibus inuaderent, ossa dispergerent, atq; ea rursus collecta, igni cremarent, & sanctos cineres pulueri immixtos, per agros & rure dispergerent. Sed dei prouidentia factum est, quosdam de Hierosolymis ex monasterio Philippi hominis dei, orationis illuc causa per idem tempus uenisse, &c. Reliqua legat presbyter apud Eusebium ipsum. De philosophia eremitica S. Ioannis Baptistæ & aliorum, uide Hist. Tripart. lib. j. cap. xj.

S. PETRVS ET PAVLVS APOSTOLI.

Ex Aurelio Prudentio.

PLus solito coeunt ad gaudia, dic amice quid sit,
Romam per omnem curstant, ouantq;
Festus apostolici nobis redit hic dies triumphi,
Pauli atq; Petri nobilis cruore.
Vnus utrunq; dies, pleno tamen innouatus anno
Vidit superba morte laureatum.
Scit Tyberina palus, qua flumine labitur propinquo
Binis dicatum cespitem trophæis.
Et crucis, & gladij testis, quibus inrigans eandem
Bis fluxit imber sanguinis per herbas.
Prima Petrum rapuit sententia legibus Neronis
Pendere iussit præminente ligno.
Ille tamen ueritus celsæ decus æmulando mortis
Ambire

Ambire tanti gloriam magistri:
Exigit ut pedibus mersum caput imprimant supinis
Quo spectet imum stipitem cerebro.
Figitur ergo manus subter, sola uersus in cacumen,
Hoc mente maior, quo minor figura.
Nouerat ex humili cælum citius solere adiri,
Deiecit hora, spiritum daturus.
Vt teres orbis iter flexi rota percucurrit anni,
Diemq; eundem Sol reduxit ortus.
Euomit in iugulum Pauli Nero feruidum furorem,
Iubet feriri gentium magistrum.
Iose prius sibimet finem cito dixerat futurum,
Ad Christum eundem est, iam resoluor, inquit.
Nec mora protrahitur, pœnæ datur, immolatur ense
Non hora uatem, non dies fefellit.
Diuidit ossa duum Tybris, sacer ex utraq; ripa,
Inter sacrata dum fluit sepulchra.
Dextra Petrum regio tactis tenet auribus receptum,
Cariens oliua murmurans fluento.
Nanq; supercilio saxi liquor ortus, exciuit
Fontem perennem chrisimatis feracem.
Nunc pretiosa ruit per marmora, lubricatq; cliuum
Donec uirenti fluctu & Colymbo.
Interior tumuli pars est ubi lapsibus sonoris
Stagnum niuali uoluitur profundo
Omnicolor uitreas pictura superne tingit undas,
Musci relucet, & uirescit aurum.
Cyaneusq; latex umbram trahit imminentis ostri,
Credas moueri fluctibus lacunar.
Pastor oues alit, ipse illic gelidi rigore fontis
Videt sitire quas fluenta Christi.
Parte alia titulum Pauli uia seruat Ostiensis,
Qua stringit annis cespitem sinistrum.
Regia pompa loci est, princeps bonus has sacrauit
Lusitq; magnis ambitum talentis. (arces;
Bractæolas trabibus subleuit, ut omnis aurilenta

Lux efflet intus, ceu iubar sub-ortu,
 Subdidit & Parias fuluis laquearibus columnas,
 Distinguit illic quas quaternus ordo.
 Tum Camyros hyalo in signi uariè cucurrit arcus
 Sic prata uernis floribus renitent.
 Ecce duas fidei summo patre conferente dotes,
 Vrbi colendas quas dedit rogata.
 Aspice, per bifidas plebs Romula funditur plateas,
 Lux in duobus feruet una festis.
 Nos ad utrunq; tamen gressu properemus incitato,
 Et his & illis perfruamur hymnis.
 Ibumus ulterius quâ fert uia pontis Hadriani,
 Leuam deinde fluminis petemus.
 Transtyberina prius soluit sacra peruigil sacerdos:
 Mox huic recurrit, duplicatq; uota.
 Hæc didicisse fat est Romæ tibi, tu domum reuersus
 Diem bis festum sic colas memento.

S. PETRVS.

Ex S. Hier.

Simon Petrus filius Ioannis, prouinciæ Galilææ,
 uico Bethsaida, frater Andreæ Apostoli, & prin-
 ceptus Apostolorum, post Episcopatû Antiochen-
 sis Ecclesiæ, & prædicationem dispersionis eorum,
 qui de circumcisione crediderant, in Ponto, Galatia,
 Cappadocia, Asia & Bithynia, secundo Claudij anno
 ad expugnandum Simonem magum Romam per-
 git, ibiq; uiginti quinque annis cathedram sacerdotia-
 lem tenuit, usq; ad ultimum annum Neronis, id est,
 decimum quartum. A quo & affixus cruci, martyrio
 coronatus est, capite ad terram uerso, & in sublime
 pedibus eleuatis: asserens se indignum, ut sic crucif-
 geretur, ut dominus suus. Scripsit duas Epistolas,
 quæ Catholicæ nominantur, quarum secunda à ple-
 risq; eius esse negatur, propter styli cû priore dis-
 sonantiam. Sed & Euangelium iuxta Marcum, qui au-
 ditor eius & interpretis fuit, huius dicitur. Libri au-
 tem

tem eius, è quibus unus Actorum eius inscribitur,
 alius Euangelij, tertius prædicationis, quartus Apo-
 calypsis, quintus iudicij, inter Apocryphas scriptu-
 ras reputantur. Sepultus Romæ in Vaticano, iuxta
 uiam triûphalè, totius urbis ueneratione celebratur.

S. PAVLVS. Ex S. Hier.

Paulus Apostolus, qui ante Saulus, extra nume-
 rum duodecim Apostolorum, de tribu Benia-
 min, & oppido Iudææ Gischalis fuit, quo à Ro-
 manis capto, cum parentibus suis Tharsum Cilicię
 commigravit, à quibus ob studia legis missus Hiero-
 solymam, à Gamaliele uiro doctissimo, cuius Lucas
 meminit, eruditus est. Cum autem interfuisset nec
 martyris Stephani, & acceptis à Pontifice templi epi-
 stolis, ad persecuēdos eos, qui Christo crediderant,
 Damascum pergeret, reuelatione cōpulsus ad fidem,
 quæ in Actibus Apostolorum scribitur, in uas electi-
 onis de persecutore translatus est. Cumq; primum
 ad prædicationem eius Sergius Paulus proconsul
 Cypri credidisset, ab eo, quod eum Christi fidei sube-
 gerat, sortitus est nomen Paulus: & iuncto sibi Bar-
 naba, multis urbibus peragratis, reuertensq; Hiero-
 solymam, à Petro, Iacoboq; & Ioanne gentium Apo-
 stolus ordinatur. Et quia in Actibus Apostolorum
 plenissime de eius conuersatione scriptū est, hoc tan-
 tum dicā, quod post passionē domini uicesimo quin-
 to anno, id est, secundo Neronis, eo tempore quo Fe-
 stus procurator Iudææ successit Felici, Romam uin-
 ctus mittitur, & biennium in libera manens custo-
 dia, aduersus Iudæos de aduētū Christi quotidie dis-
 putauit. Sciendum autem in prima satisfactione, nec
 dum Neronis imperio roborato, nec in tanta erui-
 pēte scelera, quanta de eo narrant historię, Paulum
 à Nerone dimissum, ut Euāgeliū Christi in occidētis
 quoq; partibus prædicaret, sicut ipse scribit in secun-
 da epistola ad Timotheū, eo tēpore, quo & passus est.

De uinculis dicitur Epistolam: In prima mea satisfactio-
 ctione nemo mihi adfuit, sed omnes me derelique-
 runt, non eis imputerur. Dominus autem mihi adfu-
 it, & confortauit me, ut per me prædicatio complere-
 tur, & audirent omnes gentes, & liberatus sum de
 ore leonis. Et statim liberauit me dominus ab omni
 opere malo, & saluauit me in regnum suum cæleste,
 quod scilicet præfens sibi sentiret imminere martyri-
 um. Nam & in eadem epistola præmiserat. Ego enim
 iam immolor, & tempus resolutionis meæ instat.
 Hic ergo decimo quarto Neronis anno, eodem die,
 quo Petrus, Romæ pro Christo capite truncatus, se-
 pulcrusq; est in uia Ostiensi, anno post passionem do-
 mini tricesimo septimo. Scripsit autem nouem ad sep-
 tem Ecclesias epistolas, ad Romanos unam, ad Co-
 rinthios duas, ad Galatas unam, ad Ephesios unam,
 ad Philippenses unã, ad Colossenses unã, ad Thessa-
 lonicenses duas. Præterea ad discipulos suos, Timo-
 theo duas, Tito unam, Philemoni unam, Epistola au-
 tem quæ fertur ad Hebræos, non eius creditur, prop-
 ter styli sermonisq; distantiam. Sed uel Barnabæ, iux-
 ta Tertullianum, uel Lucæ Euāgelistæ, iuxta quosdã,
 uel Clementis Romanæ postea Ecclesiæ episcopi,
 quem aiunt sententias Pauli proprio ordinasse & or-
 nasse sermone. Vel certe, quia Paulus scribebat ad
 Hebræos, & propter inuidiam sui apud eos, nomi-
 nis titulum in principio salutationis amputauerat.
 Scripserat ut Hebræus Hebræis Hebraice, id est, sub
 eloquio disertissime, ut ea quæ eloquenter scripta
 fuerant in Hebræo, eloquentius uerterentur in Græ-
 cum: & hanc causam esse, quod à cæteris Pauli episto-
 lis discrepare uideatur. Legunt quidam & ad Laodi-
 censes: sed ab omnibus exploditur. Laudes S. Pauli le-
 gat religiosus presbyter in tribus illis elegantiss. Li-
 bellis diui Ioānis Chrysostomi, quorum est titulus:
 De laudibus Pauli. Adeoq; totus Actuum Apostoli-
 corum

corum liber quid aliud est, nisi historia Petri & Pauli?
 Legisse uerò non satis sit, nisi etiam nostro pro mo-
 dulo, quæ legimus, imitemur. Nec aliud spectat hic la-
 bor noster. Verum ei qui plura de sanctiss. Apostolis
 Petro & Paulo legere concupiscit, ostendimus Ege-
 sippum lib. iij. cap. ij.

S. IUSTINVS MARTYR.

Ex S. Hieronymo.

Iustinus Neapoli natus, in Palestina, philosophus
 fuit Platonius. Qui factus Christianus plurima
 studiorum suorum monumenta pro fide Christia-
 na posteritati reliquit. Et in his apologeticū librum
 pro Christianis ad Anthoninum Pium, & alterum
 ad successorem huius Anthoninum Verum. Item du-
 os libros contra Paganos. Hic quum in urbe Roma
 frequenter pro fide Christi disputasset, & Crescentē
 quendam Cynicum (moribus & professione uere ca-
 nem) multa in Christianos conuicia iactantem, sæpe
 redarguisset, ab eodem accusatus, quod Christianus
 esset, capiteq; damnatus, martyrio coronatur. Quod
 ita futurum martyr ipse prædixerat in defensione se-
 cunda, quam pro Christianis ediderat. Passus est au-
 tem Imperantibus Marco Aurelio Vero & Anthoni-
 no eius filio, Idibus Aprilis. De S. Iustino uiro clarif-
 simo, & homine Dei, sic tradit Eusebij historia. Sed
 & Iustinus fidelissimus nostræ philosophiæ sectator
 & in Græcorum disciplinis eruditissimus, scribens
 ad Anthoninum Apologeticū pro nostra religione
 librum, horum meminit, ita dicens: Non mihi uide-
 tur absurdum, meminisse in his etiam de Antino
 quod nuper gestum est, quem omnes timore prin-
 cipis quasi Deum colere cœperunt, cū bene nouerint,
 quis, qualis ue paulo ante fuerit, & unde duxerit ge-
 nus. Idem quoq; ipse etiam Iudaici belli, quod tunc
 gerebatur, memoriam faciens, talia quadam refert:
 Etenim in hoc, quod nunc geritur, bello Iudaico,

Barthochabas princeps Iudaicæ factionis, Christianos solos, nisi negarent Christum, tanquam blasphemos ad supplicia rapi iubebat. In quibus libris etiam de conuersione sua, quam habuit, à gentili philosophia ad ueræ religionis fidem, quod non absq; probabili ratione & exanimato iudicio ad hæc conuersus sit, hoc modo scribit: Nam & ego ipse, inquit, sectis Platonis institutus, audiens infamari Christianos, & uidens eos impavidos ad suscipiendam mortem, atq; omne supplicium tolerandum, cõsiderabam quod impossibile esset, in malitia eos, & in libidine conuersari. Quis enim aliquando uoluptuosus, & luxurijs deditus, & qui humanis carnibus uesci delicias putet, mortem libenter amplectitur, quo scilicet ipsa confestim careat, pro qua infirmari maluit uoluptate? Hæc lib. iiii. cap. vii. Idem Eusebius de S. Iustino cap. xvi. sic scribit:

Cum quibus & uir mirabilis, de quo paulo superius fecimus mentionem, Iustinus, cum secundo iam librum pro religionis nostræ defensione conscriptum, temporis illius iudicibus obtulisset, remunerationem linguæ fidelis & eruditæ, martyrii munus accepit, quodam philosopho Crescente nomine, canem tam professione quam moribus, dolos uiro insidiasq; tendente. Quoniã quidem sæpe cum eo disputans, auditoribus medijs, non solũ obtinuerat eum, uerum & uehementius ueritate sibi suffragante confuderat: unde & uictoriæ suæ palmam, martyriũ percepit à domino. Hoc autẽ ita futurũ, etiam beatus ipse, uerus philosophus ueritatis, in ea defensione quam ab eo conscriptam supra diximus, aperte, sicut erat futurum, prophetica mēte prædixit, his uerbis: Nam & ego, inquit, spero me ab aliquo horũ, quibus pro ueritate obfisto, insidias esse passurũ: spero baculo aut claua feriendum: certè uel à Crescente hoc, non philosopho, sed φιλονίκτω, id est, non amatore sapien-

tix

tix, sed amatore iactantiæ. Neq; enim dignũ est, philosophum nominari eum, qui de his quæ nescit, publice protestatur: & Christianos sine Deo esse, & impios dicit, ad gratiã & libidinẽ eorum, quos in errore positos, ipse in maioribus laqueis erroris inuoluit. Si enim ignoratur ab eo Christi doctrina, & ea arguit quæ ignorat, nequissimus est, & imperitis multo nequior: quia & imperiti uel idiotæ obseruãt, ne disputare audeant de his quæ ignorant, & de illis testimonium perhibere, quæ nesciunt. Si uerò legit, quæ apud nos scripta sunt, & aut non intellexit eorum uirtutem, aut intellexit quidem, sed dissimulat, ne & ipse suspectus habeatur in talibus, multo nequior & detestabilior iudicandus est, qui imperiti uulgi captans fauorem, ueritatis ac pietatis, quam probat, hostis existit & proditor.

DIVISIO APOSTOLORVM

Domini Iesu.

Ex Eucherio Lugd. Episc.

Apostoli sese in orbis partes intulerunt, quantum narrat historia, Barptolmæus in Indos, Thomas tetendit in Parthos. Matthæus Æthiopes, Andreas Scythas prædicatione molliuit. Ioannes Asiam diuino sermone correxit, Petrus Cappadociam atq; Galatiam, Bithyniam pariter & Põtum, prouinciasq; confines, dum Iudæis prædicat, circuit: postremò Romam illustraturus accessit. Paulus ab Hierusalem usquelllyricum cum Euangelio repleuisset, tam innumeras ac dispares nationes præceptis tanquam armis uictor edomuit.

APOSTOLORVM NOMINA

accuratius excussa.

Per G. Vicel.

Mononymi horũ sũt quatuor, uidelicet Andreas, Ioãnes, Philippus & Barptolemæus. Reliqui omnes sunt uel dinonymi uel trinonymi.

O 4

& passus est. Dinonymi, Iacobus Maior, qui idē dicitur filius Zebedæi. Matth. x. Mar. iij. Iacobus Minor, qui idē dicitur filius Alphæi. Matth. x. Mar. iij. Luc. vi. Act. j. Dicebatur idē Iustus, & Oplia, id est, armatura. Matthæus qui fuerat Telones, qui idē dicitur Leui filius Alphæi, haud dubium, quin alterius & diuersi à priore Alphæo Iacobi Minoris patre. Marc. ij. Neq; enim fratres germani erant Iacobus & Matthæus. Thomas, qui idem dicitur didymus Ioan. xx. tametsi idem nomen uideri poterat, diuersa nimirum lingua pronuntiatum. Nam quod Hebræi Thom seu Thomas, hoc Græci *διδυμος* uocant, Latine Gemellum dicimus. Trinonymi sunt: Simon, qui idem Kananæus dicitur Matth. x. & Zelotes Act. j. Neq; tamen usque adeo aliud est, cognominari Kananæum, aliud Zelotem, siquidem quod Hebræi Kanani seu Cananæum, hoc Græci *Κανωθλο* dicunt, nos æmulatorem. Dicitur uero est Simon ille Cananæus, non quod fuerit de gente Canaan, sed à uico Galilææ Cana. Ioan. ij. Simon alter (nam duos Simones habet Apostolicus ordo) is cognominatus fuit Cepha, & idem Petrus, imò etiam Bariona seu filius columbæ. Verum & hoc loco consistit nominum uariatio in linguarum diuersitate. Nam quod Chaldæi Cepha, hoc ipsum Græci *πέτρα* uocant, nos saxum. Pari ratione dicitur puella illa Act. ix. Tabita & eadem Dorcas, scilicet ab intuendo, tametsi iuxta originale rectius legitur Tabea. Vltimus Iudas, qui iam Lebbæus, iam Thaddæus cognominatur, Matth. x. s. Lucas uocat hunc Iudam, Iacobi cap. vi. & Act. j. Iudam Iacobi fratrem, exponens nimirum quod antè dixerat Iudas Iacobi. Hastenus de nominibus Apostolorum. Cæterum nonnulli ex Apostolis sanguine ac necessitudine cōiuncti fuerunt. Simon enim Cepha seu Petrus & Andreas fratres erant ex Galilæa orti. Iacobus Maior & Iohannes fratres & ipsi erant, quorū pater Zebedæus, mater

mater Salome. Duo isti apud Marcum cognominationem habent Beneregesch seu Benaiaregesch, id est, filij tonitruui à firmitate & magnitudine fidei, teste Hieronymo. Quin fratres etiam erant illi Iacobus Minor, Simon & Iudas, horum pater Cleophas, & mater Maria, quæ dicebatur soror Mariæ deipara, Ioan. xix. Verum aut Cleophas ille cognominatus fuit Alphæus, aut Alphæus secundus maritus Mariæ huius fuerit oportet. Libet uero hos duos Simones epithetis discernere, sicut duos ille Iacobos: ita ut alterum Maiorem, nempe Simonem Petrum uocites, alterum Minorem, uidelicet Simonem Zelotem. Discernuntur etiam duo Iudæ, dum alter Lebbæus à corde, alter Iscariotha à mercede appellatur. In cuius locum suffectus Mathias, quem Francisc. Picus in carmine Donatum uocat, interpretans nimirum latinè, quod Hebræis Mathi dicitur, Act. j. Idem nomē Matthæus habet, nisi quod in fine syllabis distinguuntur Mathias & Matthæus.

DE APOSTOLIS EX TERTVLIA-
no lib. iij. contra Marcion.

CUr autem duodecim Apostolos elegit, & non aliū quemlibet numerum? Næ & ex hoc meum Christū interpretari possem, non tantum uocibus prophetarum, sed & argumentis rerum prædicatum. Huius enim numeri figuras apud Creatorem deprehendo: Duodecim fontes Elim, & duodecim gemmas in tunica sacerdotali Aaronis, & duodecim lapides ab Iesu de Iordane electos, & in arcam testamenti conditos. Totidem enim Apostoli portebantur, proinde ut fontes & amnes rigaturi aridum retrò & desertum à notitia orbem nationum: sicut & per Esaiam: Ponam inter inaquosa flumina. Proinde ut gemmæ illuminaturæ, sacram ecclesiæ uestē, quam induit Christus pontifex patris. Proinde ut & lapides solidi fide, quos de lauacro Iordanis Iesus uerus

elegit, & in sacrarium testamenti sui recepit. Hactenus Tertullianus.

DISCIPULI DOMINI.

Ex uarijs autoribus.

Horum numerant septuaginta. Sed quorum pars maior, Dominum in carne nunquam uidit: quippe extra Palæstinam longè in prouincijs Græciæ, alijs alibi uitam agentes, ut Apostolorum Discipulos magis, quàm Domini appellandos esse censeam. Illi uerò qui enumerantur à Neotericis, certè non sunt, quorum Euangelistæ mentionem faciunt, si pauculos excipias, uidelicet septem primos Ecclesiæ Diaconos. Actorum sexto (quos Aulus Prudentius poëta Christianus, Septemuiros Dei uocat) ac nonnullos alios. Verùm quandoquidem Ecclesiam Græcam, seu Orientalem, in his nominibus recensendis sollicitam fuisse constat, adijciemus nos quoque Catalogum, nempe Apostolicorum Virorum, quorum cooperatione, fundamenta primæuæ Ecclesiæ iacta sunt. Hi recensentur in libro quodam, cui author titulum indidit: Cultura Vineæ Dominicæ. Libuit tamen illa ex testimonio Græcæ Ecclesiæ primùm recitare, deinceps è nostrorum libris, præsertim ex Anthropologia Raphaëlis Volaterrani, hominis diligentissimi. Cyrus igitur Theodorus, Græcus author, hosce discipulos, quos uocat Mystipolos, hoc est, mysteria tractantes, tali pacto ennumerat: Iacobus Frater uerbi Dei, Cleopas, Mathias, Thaddæus, Ananias, Stephanus, Philippus, Nicanor, Prochorus, Simon, Parmenas, Nicolaus, Barnabas, Silas, Marcus, Lucas, Sylluanus, Epænetus, Crescens, Andronicus, Am-

Amplias, Vrbanus, Stacchys, Apelles, Phygellus, Hermogenes, Demas, Aristobulus, alius Apelles, Narcissus, Herodion, Agabus, Ruphus, Asyncritos, Phlegon, Hermes, Parrobas, Hermas, Linus, Caius, Philologus, Olympa, Rhodion, alius Lucas, Iafon, Sospater, Tertius, Eraustus, Quartus, Apollus, Cephas, Sosthenes, Cæsar, Tychicus, Marcus, Barnabæ, Iustus, Epaphroditus, Artemas, Clemens, Onesiphorus, alius Tychicus, Carpus, Euodus, Aristarchus, Marcus tertius, Zenas, Philemon, alius Aristarchus, Pudens, Trophimus. Hactenus Græci Cyri Catalogum retuli, nunc ad illum Raphaëlis Volaterrani: Septuaginta duo discipulorum CHRISTI nomina, hæc sunt: Lucas, & Cleophas, qui in CHRISTVM peregrinum inciderunt, ut planè Gregorius Magnus in Procemio Moralium sentire uidetur. Diuus Ambrosius alium à Luca putat. Barnabbas: Mathias: Thaddæus, qui ad Abgarum missus est: alter ab Apostolo. Hi uerò ab Eusebio, libro primo, hoc pacto ponuntur: Sequentes uerò Abbati Dorotheo. Septem ante omnibus primi Diaconi: Stephanus protomartyr. Philippus is, qui Eunuchum Christianum fecit, præsul in Thracia. Proculus, præsul Nicomediæ. Nicanor, qui simul cum Stephano interfectus est. Parmenas. Nicolaus, Samariæ præsul, deinde pro hæretico Ioanni taxatur. Simon, præsul Tyri, atque Sidonis: Qui Diaconi in Actibus Apostolorum narrantur. Insuper Ananias Pauli, qui postea Damasci præsul fuit. Titus Pauli, qui in insula Creta præsul, & sepultus fuit. Sylluanus, Thessalonica præsul, & sepultus: cuius, ut comitis, Paulus in prima Epistola ad Thessalonicenses, meminit. Crescens, Chalcedoniæ præsul. Andronicus, præsul in Pannonia. Ampliatus, præsul Edeffiæ, Vrba-

Urbanus præful in Macedonia. Staectus quem Andreas in Thracia præfulem constituit. Apelles Heraclæ præful, qui omnes ad Rom. ca. xvj. memorantur. Philetus uel Philegus Ephesi præful: sensit ea quæ Simon magus, restitit & Apostolo, ut ad Timo. xj. Hermogenes Megaræ præful. Dimas, qui tres à fide deficiuerunt, ut ad Timoth. xj. & Ioan. ex nobis prodierunt, inquit: sed ex eis non erant. Ampliatus Smyrnæ præful ante Polycarpum, ut ad Rom. Aristobulus Bethaniæ præful. Narcissus Athenarum præful. Heraclitus præful: & ipse de his omnibus ad Rom. xij. Cicis in Gallia nunciauit euangelium. Agabus qui propheticò chrismate dignus fuit: de quo in Act. Rufus Thebarum, Asyncritus Hyrcaniæ præful, Phlegontias, Patrobas, Hermes Philopoleos. Linus qui postea pontifex: de quo xj. ad Timo. iij. Caius Ephesi præful. Philologus ab Andrea præful Sinopenis factus. Liphafus qui Romæ simul cum Paulo uinctus & post eum capite cæsus. Lucius Laodiceæ Syria. Iasô Tharsi. Sosipater Iconij. Erastes Meaidi. Quartus Beriti. De his omnibus ad Rom. xvj. Apollo, ad Corin. j. Sosthenes Colophonis apud eundem. Epaphrodytus, de quo ad Phil. iij. Titicus Colophonis item præful: ad Col. iij. Cæsar Dyrrachij præful ad Phil. iij. Marcus Barnabbæ consobrinus Apolloniadis. Iesus cognominatus Iustus Centipoleos præful, de quo iij. Eccle. h. isto. Antomas, Clemens præful Sardinensis, postea pontifex: primus ex gentibus Christianis. Onesimus Coronæ præful. Carpus præful Cheronæ. Enodius Antiochiæ post Petrum præful. Aristarchus Apameæ præful, ad Col. iij. Marcus qui & Io. Biblij præful, ut in Actib. xij & ij. ad Tim. iij. Zimas uel Zenas Diopoleos ad Timo. iij. Philemon Gazæ præful, ad quem Apostolus scribit Epistolam, Pudeus. ij. ad Timo. iij. Trophimus de quo ibidem. Hi tres Apostolo semper præsto fuere, ac post eum Romæ

Romæ & ipsi cæsi. Marcus Euangelista. Candace cunuchus Æthiopsis natione in Arabia & Taprobana Euangelium nunciauit, de quo in Actib. viij. Hi Dorotheo qui Romæ scripsit commemorantur. Polycarpo autem & Vincentio qui sequuntur. Sauius, Potentianus, Altimus, Maximus & Ioannes senior, in martyrum quoq; libro ponuntur. Aristion, Rufus, Zozimus, Priscus, Iosephus cognominatus Iustus, qui cum Matthia in sortem positus. Nafon, Silas Corinthi præful. Euphrates, de quo ad Col. iij. Martialis Lemouicensis præful. Sidonius uel Cedonius cæcus natus, sepultusq; cum Maximino. Lazarus Masiliæ præful. Vrsinus ad Bituriges missus: is Nathanael ille qui Christo probatus fuisse dicitur. Iulianus apud Cenomannos Euangelium nunciauit: qui Simon leprosus esse fertur. Sed & his plures longe reperientur, si obseruabimus ea, quæ Paulus scribit, prima ad Cor. xv. Dominum plus quam quingentis fratribus apparuisse.

DE APOSTOLIS ET MARTYRIBVS,
ex Francisco Pico Mirandulano.

REstant bisseñi diuinis uiribus hostes,
Imbelles, inopes, despecti, prorsus egentes,
Mortali auxilio uacui, sed flammeus oris
Fulgor, & ardentis linguæ pila aurea, mentes
Humanas clara nimium penetrantia luce,
His tandem telis Romana potentia celsit,
Celsit & illa prius, quæ garrula turba sophorum
Obstiterat, siluitq; lubens, uocemq; repressit.
Nam post innumeras cedes, tormentaq; sæua
Romani proceres fuso cum sanguine, apertis
Pectoribus, pueros bellaces fundere turmas
Spectarent, sementq; alijs haustum esse cruorem
Victori Christo statuunt sublime trophæum.
At crucis ligno Ausonios summittere fasces,
Et clauis in Latiam iuuat inclinare securim.

Sic

Sic postquam uario demens problemate luffit
 Turba deum cultrix, postquam rude uincere cultum
 Eloquij genus aspexit, conuertit in almæ
 Obsequium fidei linguam, Christoq; dicauit.
 Quod genus hoc pugne? quænam hæc uictoria cæli
 Regnator? lethum letho contundis inermi.
 Armatae percunt acies infante, superbus
 Eloquij cultor prosternitur, omnia calcat,
 Omnia dispellit, spretoq; triumphat in orbe,
 Quem trahis afflatu supero, & perfundis amore.
 Atq; hinc crudeli discerptus uiscera rege
 Martyr ouat, rigido laceratus membra theatro,
 Gliscit, & extremę scandit penetralia sedis.
 Ebrius hoc potu Tarfensis Paulus ab ense
 Plectitur exultans, calicem poturus amarum
 Gestit Ioannes, feruentis dolia oliui
 Frigidus infiliens, nec læsus membra calore.
 Extenditq; alacer, figendaq; brachia lærus
 Porrigit Andreas, uersaq; sub arbore pendet
 Et caput in terram simili sub stipite Petrus
 Præbuit, atq; lubens protendit in æra plantas,
 Et lapides Stephano dulces torrentis amari
 Mancipijs scelerum: iucunda incendia Laurens
 Suscipit empirea multum irroratus ab unda.
 Atq; per ardentis prunas illæsus abibat
 Maiores in corde ferens Tyburtius ignes.
 Propterea fornax uastis cum follibus auras
 Carbonum iactu pulsaret percita lærus
 Hanc nudis calcans pedibus: tam dulcia dixit
 Tormenta, & feuas tam non comburere flammam
 Quam si calcaffet roseos per compita flores.
 Hinc etiam pellem Ptolemæi filius ardens
 Deposuit, uectes alius perpeffus & alti
 Culmina deiectu templi dimensus amore.
 Quid memorem Decij creberrima funera regis?
 Quid referam scædo tot iam lacerata Nerone, &

Præbita

Præbita luminibus nocturnæ lampadis instar
 Corpora? quæ miseræ infelix meditatus halosis.

SYMPHOROSA.

Ex epitoma Roman.

Tybure Symphorosa matrona sanctissima, uxor
 fuit Getuli martyris, ex quo septem filios ad
 martyrium procreauit: uidelicet Crescentium,
 Iulianum, Nemesium, Primitinum, Iustinum, Staetæ
 um, Eugenium: cum quibus in persecutione Adriani
 capta est, propter Christianæ fidei professionem,
 omnesq; multis affecti supplicijs, ut à uera pietate
 discederent. In qua quum immobiles permanfissent,
 Symphorosa in præterfluentem fluuium, saxo ad col
 lum appenso, præcipitata est, & interempta: eiusq;
 corpus ab Eugenio, ipsius fratre, sepulturae datum.
 Postridie uero, qui fuit decimo quinto Calend. Au
 gusti, septem fratres singulis stipitibus alligati sunt:
 & Crescentius per guttur ferro transfixus, Iulianus
 per pectus, Nemesius per cor, Primitinus per umbi
 licum, Iustinus membratim dissectus est, Staetæus
 multis lanceis confixus, Eugenius à pectore in par
 tes inferiores scissus. Ipsorum autem corpora in fos
 sam quandam præaltam deiecta sunt in uia Tyburti
 na milliario nono.

S. PRAXEDIS.

Ex epitoma Roman.

Praxedis uirgo uenerabilis, Pudentis Romani
 filia, amissis parentibus, tanta cura & cōstantia
 Christianorum cōmoditatibus inseruiebat, ut
 multos sanctorum pauperum suis opibus aleret, ali
 orum necessitatibus, quoad poterat, prouideret. Ex
 orta uero Christianorum sub Marco Antonino im
 peratore persecutione, exæstuans uirgo beata, non
 destitit fideles omni ratione fouere. Itaq; alios do
 mi occultabat, alijs necessaria submittebat, alios ad
 fidei constantiam hortabatur, martyrum corpora
 mira

mira sollicitudine collecta sepeliebat. Tantam igitur Christianorum stragem cum sine summo dolore ferre non posset, precata deum, ut se tantis è malis eriperet, exaudita est. Et egregiæ suæ pietatis atq; laborum premia perceptura, migravit ad dominum duodecimo Calend. Augusti. Cuius corpus Pastor presbyter iuxta patrem & sororem Potentianam, in cæmeterio Priscillæ, uia Salaria sepeliuit.

VITA S. SIMPLICII ET FAUSTINI
fratrum, ac Beatricis sororis eorundem. Per G. Vicel.

Temporibus tyrannorum Diocletiani & Maximiani inuenti inter alios Euangelij professores sunt duo uiri Christiani, Romano nati sanguine, adeoq; stẽmate senatorio. Simplicius & Faustinus, qui maiore zelo accensi, magna pro Christo fecerunt, aliorum martyrum exhortatores simul & martyres ipsi effecti, truncata gladio corpora illorũ in Tyberim coniecta, posthac à Beatrice sorore, testibus presbyteris, aquis exempta, honorificè tumulata sunt. Quo piè factò, insurrexit tyrannico furore plenus Lucretius quidam, in uirginem Beatricem, quæ constanti animo Christo quoq; suo spiritum inter carnificis manus læta tradidit.

Miror hic nullo uerbo attingi Fuldense cænobium, in cuius basilica horum sanctorum corpora in rhecis quiescere dicuntur. Vetustissimus Martyrologij codex manu scriptus eadem ferè habet, quæ ego hic ex Bibliotheca Fuldensi decerpfi. Equidem illo ipso loco reperi Societatem S. Simplicij descriptam, quæ nimirũ constitit in uiris domi nobilib. Horum consuetudo fuit, torques argenteas de geminis S. S. fabrefactas, collo gestare. Geminæ uerò S. S. indicabant sanctũ Simplicij nomen. Per harũ interuallum continebat torquis xij. laminas minutiss. de argento, in quibus insculpti erãt xij. articuli fidei Christianæ;

uina

uina cum trifolio Simpliciano, A torque autem uisebatur Simplicius pensilis, & ab eò septem charismata spiritus sancti significantibus. Porro hoc toto mysterio docebatur, ut isti ita torquati in religione Christiana, tam domi, quàm militiae; perdurarent constantissimi, adiutorio diuino semper confisi, sese nunquã deserendos: deinceps, ut inter se concordet atq; amici uiuèrent, pacem ubiq; procurantes, ab eo quod inhonestum est, abhorrentes, elemosynas affatim largientes; & ab obitu corporis alter alterius, uidelicet mortui curam habentes, &c.

MARGARETÀ VIRGO ET
Martyr.

Antiochena puella, pagani sacerdotis filia, temporibus Diocletiani & Maximiani Herculei sanctissimum agonã pro Christiana religione felicissimè perfecit. Etenim anno ætatis suæ xv. cum iam rudimenta Euangelicæ fidei affatim imbibisset, protinus ad certamen & coronam uocata fuit. Olibrius huius forma insigni captus, tyrannus ille & carnifex, pudicum corpusculum, quo frui non licuit, exquisitis cruciatibus dilaniauit. Recusantẽ enim dijs demonibus sacra facere, loris cædi, deinde in sancta persuasionẽ obdurantem, in cculeo suspensam, iungulis ferreis secari, præterea ignibus aduri, aquisq; suffocari, postremo gladio decollari iussit. Vicerat patronum nefarij erroris doctis sermonibus, hominis obiectiones apertè refutans: Vicerat draconis in specie diabolum apparentem in carcere: Vicerat in igne intq; aqua mortem intentatam, nõ humano, sed diuino præsidio. Et mirum dictu est, quàm pijs precibus, eiq; sacra scriptura usarpatis, fuerit usa contra maximas tentationes, quibus exercebatur, & ab hominibus & à demonibus. Fortia uerba Christianissimæ puellæ: Occide, incende, bestijs obijce: interficere poteris, à Christi charitate separare non poteris. Et

P

iterum: Mihi deus meus adiutor est, minas tuas non metuo. Signaculo crucis in fide magna facto, perripit omnia aduersa uirgo prudentissima. Calcauit aspidem & basiliscum uirtute inuocati Christi amatoris. Tot triumphis æditis confirmandæ pariter & corroborandæ religioni, ferro truncata sanctam exhalauit animam. Tenellum corpus, in quo laniando spiculatorum manus defatigatæ fuerant, à Theotimo quodam Christiano in prædio matronæ cuiusdā Antiochenfis piè humatum est, regnante Domino nostro Iesu Christo, cui laus in secula.

S. MARIA MAGDALENA. Ex Sedulio.

Post dominus Pharisæa petens conuiuia cœnæ,
Orantis dapibus sese impertiuuit amici.
Tunc mulier, quæ fama nocēs, & plurima uitæ
Mordebant delicta suæ clementia supplex
Corruit amplectens uestigia, quæq; profusis
Irrigat incumbens lachrymis, & crine soluto
Nec tergere sacras, nec cessat lambere plantas,
Vnguento fragrante fouens, sententia donec
Lata dei, quem ferre manum non pœnitet unquam,
Si nos pœniteat ueterem quæsisse ruinam:
Vade, fides mulier tua te saluauit ab omni,
Dixisset quodcunq; malo gessisse uideris.
Vtere pace mea. Magna est medicina fateri
Quod nocet abscondi. Quoniam sua uulnera nutrit,
Qui regit, & plagam trepidat nudare medenti.
En polluta diu, modicum purgata recessit
Per gemitum, proprièq; lauans se gurgite fletus,
Munda suis lachrymis redit, & deterfa capillis.

DE S. MARIA MAGDALENA.

*Franciscus
Petarcha
ad quendam
amicum.*

Fecit idem Maria post peccatum. Non enim in populis longū cōspici, aut habitare in palatijs elegit: sed patriam fugiens, in has terras uelut in orbem alterū delata, perseveratè latuit hic in sinem, & pro domo habuit nudā & concauā illā rupem, quam uidisse

uidisse te arbitror: neq; enim procul hinc abest, & locus est sacro quodam horrore uenerabilis, ac uisitari de longinquo etiā non indignus, ubi & sæpe me fuisse, & tres olim noctes, totidemq; dies, nō sine uoluptate alia, quàm quæ in urbibus capi solet, exegisse memini. Illic dulcis ac felix Christi hospita non ornantiū seruitio puellarum, sed obsequentiū ministerio angelorū uiuens, ac moriens usa est. At nihil tale fecit Martha soror, dicat aliquis, & tamen sancta est. Nō inficior id quidē: sed certè multo sanctior Maria, quæ id fecit. Hæc Petrarca, qui & plurimum deuotus huic sanctissimæ fuerat: in cuius honorē & carmina quædam sepulchro ipsius fecit appendi, quæ iam sub scribere haud indignum duximus. Sic enim incipiūt:

Dulcis amica Dei, lachrymis inflectere nostris,
Atq; meas intēde preces, nostræq; salutis (stra
Cōsule, nāq; potes: neq; enim tibi tāgere frustra
Permissum, gemituq; pedes perfundere sacros,
Et nitidis siccare comis: ferre oscula plantis,
Inq; caput Domini preciosos spargere odores,
Nec tibi congressus primos à morte resurgens,
Et uoces audire suas, & membra uidere,
Immortale decus, lumenq; habitura per æuum,
Nequicquam dedit ætherei rex Christus Olympi:
Viderat ille cruci hærentem, nec dira pauentem
Iudaicæ tormenta manus, turbæq; furentis
Iurgia, & insultus, æquantes uerbera linguas:
Sed mœstam, intrepidamq; simul, digitisq; cruentos
Tractantem clauos, implentem uulnera fletu:
Pectora tundentem uiolentis candida pugnis:
Vellentem flauos manibus sine more capillos.
Viderat hæc, inquam, dum pectora fida suorum
Diffugerent pellente metu, memor ergo reuisit
Te primam ante alios, tibi se prius obtulit uni:
Te quoq; digressus terris, & ad astra reuersus,
Bis tria lustra cibi nunquam mortalibus egentem

Rupe sub hac aluit: tam longo tempore solis
 Diuinis contenta epulis, & rore salubri,
 Hæc domus antra tibi stillantibus humida faxis
 Horrifico tenebrosa situ, tecta aurea regum,
 Delicias omnes, ac ditia uicerat arua.
 Hic inclusa libens longis uesitæ capillis,
 Veste carens alia ter denos passa decembres
 Diceris, hic non fracta gelu, nec uicta pauore,
 Nanq̃ famem, frigus, durum quoq̃ laxa cubile,
 Dulcia fecit amor, spesq̃ alto pectore fixa.
 Hic hominum non uisa oculis, stipata cateruis
 Angelicis, septemq̃ die subuecta per horas,
 Cælestes audire choros, alterna canentes
 Carmina, corporeo de carcere digna fuisse.

S. IACOBVS APOSTOLVS.

Eusebius de hoc Zebedei filio Iacobo reliquit hæc in literis: in illo autem tempore (sine dubio tempus, quod sub Claudio fuit, cum fames erat designat) immisit, inquit, Herodes rex manus suas affligere aliquos de Ecclesia, & interfecit Iacobum fratrem Ioannis gladio. De hoc autem Iacobo Clemens Alexandrinus etiam historiam quandam dignam memoria, in septimo Dispositionum suarum libro, scribit, perlatam usq̃ ad se, ex traditione maiorum: Quoniam quidem, inquit, & is, qui obtulerat eum ad martyrium, Iacobum scilicet, motus etiam ipse confessus est, se esse Christianum. Ducti sunt, inquit, ambo pariter ad supplicium: & cum ducerentur, in uia rogauit Iacobum, dare sibi remissionem. At ille parumper deliberans: Pax tibi, inquit, & osculatus est eum. Et ita ambo simul capite plexi sunt, lib. ij. cap. ix.

Diuus Hieronymus in uiris suis sic scribit de hoc apostolo: Iacobus Zebedei filius, duodecim tribubus quæ erant in dispersione, omnibus prædicauit Euangelium domini nostri Iesu Christi. Interfectus est autem gladio ab Herode tetrarcha Iudæorum. Apud Theodo-

Theodoretum cap. vij. legimus de miraculis Iacobi episcopi Antiochiæ in Mygdonia, quam uocant Syri & Assyrii Nisibin, &c.

VITA S. CHRISTOPHORI.

Ex Ruggero Fuld.

Dicitur de genere Cananorum ortus, cuius statura fuerit xij. cubitorum. Venit gentilis ad huc in ciuitatem Samon, tempore Dagni regis, sed diuinitus conuersus, multam hominum turbam conuertit ad fidem Iesu Christi, quem constanter prædicauit, credulumq̃ populum frequenter tinxit: duxit ad pœnitentiam par meretricum, Niceam & Aquilinam, quas cum nonnullis aulicis Dagnus e uiuis sustulit. Christophorus post multas uerborum cum rege pugnas, de deo uiuo contra uanos deos, &c. exquisitis tormentis cruciatus, tandem capite truncatus est. De trāsitione per mare, & alia quæ pinguntur, nullam syllabam legi. Nisi fortè credas hunc Christophorum Nessum quendam Centaurum fuisse, qui Deianiram per Euenum Ætolia fluium transeuit, ut est in fabulis poëtarum.

ANNA MARIAE MATER.

Ex Bap. Mant.

Anna diu uanos secum plorauerat usus (næui)
 Connubij, sterilemq̃ thorum, tristeq̃ Hyme
 Propterea duplicesq̃ manus, fronteq̃ supinã
 Attollens, humili superos ita uoce precata est:
 Numina, quæ regitis cælos, quæ uoluitis atra:
 Vos penes est genus omne boni: uos omnia rerum
 Semina seruat: germinum telluris inane est,
 Et sine fruge solum, nisi sumat ab æthere uires,
 Siue per astrorum cursus, radiosq̃ calentes:
 Siue dei solo (qui temperat omnia) nutu.
 Venimus ad canos, frigescentemq̃ senectam,
 Et nostræ sine prole dies abtere iuuentæ:
 Longa infelicis thalami consortia sine

Claudimus infausto: uir pluribus exulat annis,
 Conspetus hominū fugiens: domus orba magistro
 Fluctuat, amisso ceu nauis in æquore clauo.
 Currimus in fatum, tacitisq; recedimus annis:
 Mortuaq; ætatis pars est iam maxima nostræ:
 Pallida præteriti spaciū mors occupat aui:
 Quod superest expectat hians, iam plena meorum
 Terra cadaueribus, consanguineosq; sepulchra
 Vix capiunt, soli steriles seruamur in omne
 Deducus, & certè breuis est felicior aui
 Conditio. Primò deus indulgisse parenti
 Creditur, & fragili bene consuluisse senectæ,
 Cùm uetuit primos iterum decerpere fructus,
 Et fruges gestare, quibus produceret annos.
 Nam quod longa dies homini, nisi longa dolorum
 Colluies, longi patientia carceris ætas
 Longior, est curtus uitæ labyrinthus: in ipsum
 Ex utero ingredimur, per limina mortis abimus,
 Iam capulo instamus: nec est qui lumina claudat,
 Ossâ ue componat tumulo, tepidisq; sepulchrum
 Fletibus irroret: nobiscum it tota sub umbras
 Progenies: nec erit nostris qui marmora signet
 Nominibus: deserta domus tabescet, & istas
 Longæui sudoris opes, quas legimus ambo
 Pluribus obsequijs, hæres ignotus habebit,
 Nobiscumq; cadent nostri monumenta laboris.
 Cernite communes amborum numina curas,
 Et seruate genus: cernant se in stirpe parentes,
 Et sua natorum uideant in uultibus ora.
 Sint qui nos facie referant, gestuq; nepotes.
 Progeniemq; suam nostro de nomine dicant.
 Sint qui nos proauos numerent, & stemmata longo
 Limite deducant, iterataq; nomina ponant.
 Pignora longæuæ concedite numina matri,
 Quæ celebres ad uestra ferant altaria cultus.
 Pinguibus & priscum donis imitentur Abelem,

Sæpius

Sæpius à uobis hoc exorasse precando
 Antiquas est fama nurus, & supplice uoto
 Collapsum genus atq; domos seruasse cadentes.
 Sic alacer Samson, sic & formosus Ioseph,
 Sic puer Ifacus satus est, & filius Annæ,
 Qui primùm liquido Regem perfudit oliuo.
 Talibus orabat sterilis, gemituq; sonoro
 Crebra dabat longos inter suspiria planctus.
 Audijt omnipotens, animumq; in uota precesq;
 Flexit, & infuso caluerunt uiscera fœtu,
 Cœpit & humanos paulatim sumere uultus
 Semen, & in nostram sensim transire figuram.

ANNA MATER MARIÆ.

Ex Erasmo Rot.

S Alue parens sanctissima,
 Sacro beata coniuge,
 Sacratiore filia,
 Nepote sacratissimo.
 Domo quid hæc illustrius?
 Ornatus ue: Quæ altera
 Tam multiplex habuit decus?
 Tantum una monstrorum tulit?
 Hic hic maritum annis grauem
 Effœta anus facit patrem.
 Est uirgo fœta filia,
 Nepos Dei uerbum, ac Deus.
 Gener pudicus se negat
 Partus parentem uxori,
 At integram iurat, neq;
 Riuale pallet suspicax.
 Ergo Anna mater optima,
 Cumulatus multo tuas
 Lachrymas Deus solatus est,
 Quàm uel Rebecca, uel Saræ,
 Vel illius, quæ te refert
 Et rebus, & uocabulo,

P 4

Quæ dum silenter anxij
 Proferret ætus pectoris,
 Vifa est Heli multo mero
 Amens, parumq; sobria,
 At re pio cum coniuge
 Amore prolis annua
 Templis ferentem munera
 Procax sacerdos reppulit,
 Heus, inquit, hinc mihi ocyus
 Prophana uota tollite.
 Ipsi simul procul procul
 Aris sacris abfistite,
 Vestran' Deo donaria
 Futura grata creditis?
 Quorum pudendæ nuptiæ,
 Præter libidinem nihil,
 Luxum & senilem scilicet,
 Tanto tulere tempore?
 Quo se locorum uerterent,
 Vultus pudentium coniugum,
 Repulsa quos tam fœda, tam
 Insignis exanimauerat?
 Ioachim pudorem non ferens
 Gregum ad frugum pascua
 Se proripit, tristis suam
 Recepit Anna se domum.
 Largis uterq; fletibus,
 Votisq; pertinacibus
 Orare non cessat deum,
 Vt probè probum tolleret.
 Cælum penetrarunt preces,
 Adest ab astris angelus,
 Qui prole promissa, graues
 Luctus iuberet ponere.
 Surgunt alacres, inuicem
 Narrare uisa gestiunt,

Porta

Porta maritus aurea
 Sequitur autem coniugem.
 Offendit hic lætus stupor,
 Dulces utriq; lachrymas
 Excussit, hinc modicos lares
 Iunctis reuisunt gressibus.
 Hand uana uox oraculi,
 Lufit piam senum fidem,
 Bis luna nata quinquies
 Anum uidet puerperam.
 Tanto quidem felicius,
 Fœcunda quanto ferius
 Fit Anna filiæ parens
 Nec filiæ cuiuslibet,
 Sed filiæ, quæ fertilis,
 Eademq; uirgo gigneret
 At quem beata gigneret?
 Summi parentis filium,
 Qui scepra terræ & ætheris
 Cum patre habet communia,
 Qui deus & idem homo, necis
 Autore uicto per necem,
 Vitam reduxit mortuis,
 Aperuit in cælos iter.
 O terq; quaterq; & amplius
 Parens beata, nam potes,
 Iuua preces mortalium,
 Tuo uacantum cultui,
 Nam te patrona
 Speramus assequi, modò
 Voles, uoletq; & filia,
 Nec huic petenti pufio
 Negare quicquam nouerit,
 Amat parentem filius.
 Neq; filio negat pater,
 Amans & ipse filium,

Amen.
P

DE CAROLO MAGNO, RELIGIOSO
Cæsare. Autore incerto.

Carolo Francorum regi, cui postea ex magnitudine rerum gestarum Magno fuit cognomen, patrem fuisse tradunt Pipinum regem, qui prius in Francos (sicuti quidam scriptores memorie prodidere) liberam dominandi potestatem habuit: cum superiores Francorum reges angustiis conditionibus septi, ea lege uiuerent, ut magis nomine & inani titulo, quam dignitate regia potirentur. Nam opes ac potentia regni, & omnium rerum administratio ad præfectos regie domus (sic enim eos uocabant) communi consensu deferebatur. Hi domi militiae summam potestatem habentes, populos pro suo arbitratu regebant, de omnibus controuersis decernebant, præmia pœnasque constituiebant. Quibus fiebat, posthabitis regibus, ij soli essent qui in summo honore haberentur: hunc uero magistratum qui apud Francos amplissimus habebatur, consequi non poterant, nisi præcipua nobilitate uiri, & qui regibus essent necessitudine, aut propinquitate coniuncti. Pipinus igitur hac dignitate, quam ueluti hæreditariam à patribus suis acceperat, multis annis egregie functus, maximam sibi apud omnis generis homines tum famam, tum beneuolentiam comparauit: quibus postea factum est, ut cum Franci ac Romanorum Pontifex Hildericum regem à dominatione ueluti inutilem semouissent, hunc potissimum deligendum putarent, cui communi sententia regnum decernerent. Sic igitur Pipinus autoritate Pontificis & Francorum decreto plena dominandi potestate suscepta, reliquam deinde uitam publicis pariter ac priuatis rebus egregiam duxit. Regnauit annos quindecim, cuiuslibet superiorum regum belli pacisque artibus & gloria par. Huic successere superstitibus filij duo, Carolus, & Carolomannus, æque regno inter se partito.

tito. Sed non multo post defuncto Carolomanno, Franci eam regni partem quam ille possederat, Carolo fratri detulerunt. Cuius uitam & mores, & res egregie gestas literis mandare constitui, ut memoriæ tanti uiri, tamque præclare de nostra patria meriti, quantum ego possem, ab obliuione hominum atque à silentio uindicarem. Primum igitur (ut à rebus gestis narratio nostra exordium sumat) satis exploratum habemus, Carolum regem extemplo post Pipini obitum aduersus Aquitanos bellum gessisse. Aquitania pars Gallie est, quæ antiquorum descriptione, à Garumna flumine ad Pyrenæos montes, & ad eam partem Oceani, quæ ad Hispaniam pertinet, spectat, inter occasum solis & septentrionem. Hanc prouinciam Pipinus superato Vaisario duce, post longum bellum ditioni suæ penè subiecerat. Deinde Pipino Vaisarioque sub unum propè tempus defunctis, Hunulduis uir potens, ex eorum morte (ut plerumque fit) occasione nactus, bellum quod antea penè cõfectum uidebatur, renouauerat, iamque ferè Aquitaniam totam ad defectionem compulerat. Carolus uero ubi hæc quæ in Aquitania gerebantur, cognouit, nullam moram interponendam ratus, ingenti celeritate exercitu comparato, obuiam Hunuldo progreditur. Primo aduentu conatus illius facile reprimitur, nec multo postea cõmissõ prælio, Carolus hostem superat, exercitum fundit, fusum persequitur: nec prius uictoriæ modum imponit, quam Hunuldum ex omni Aquitania pulsum, in proximam regionem, quam nunc Vasconiam uocant, compelleret. Lupus, qui huic prouinciæ dominabatur, propinqui ac familiaris uiri misericordia motus, Hunuldum ad se fugientem comiter hospitaliterque accepit. Euenire enim solet, ut principum afflictæ fortunæ facile eorum opes ad misericordiam alliciant, qui sunt in simili dignitate ac potestate constituti. Verum Carolus cum non minorem uictoriâ in capiendo

hoste,

hoste, quàm in subigenda Aquitania collocatam putaret, traiecto Garumna flumine, ac exercitu propius admoto, legatos ad Lupum misit, qui dicerent, ut nisi Hunuldum hominem infestum nomini Francorum quàm primùm ad se adduxerit, se eum hostis loco habiturum. Lupus his mandatis uehementer commotus, ac ueritus, ne potentissimū regem totamq; belli molem, quam sustinere non potuisset, in se unū conuerneret, salutare sibi ac gratum Carolo consilium cepit. Nulla enim interposita mora, Hunuldum simul & seipsum unā cum prouincia Caroli potestati permisit. Sic igitur Carolus in Aquitania compositis rebus belloq; citius omnium opinione confecto, cum uictore exercitu in regnum reuertitur. Post Aquitanicum bellum Hadrianus Ro. ecclesiae pontifex à Desiderio Longobardorū rege uehemētius, quàm uires suae paterentur, oppressus, quum proprijs praesidijs Ecclesiae statum tueri non posset, oratores ad Carolum misit, qui multis precibus eum rogarent, ut Ro. ecclesiae in summo periculo constitutae, opem & auxilium ferret: ac Pipini patris, Caroliq; Martelli qui olim in Italia aduersus hanc nationem egregie pugnauerant, memoriam renouaret. Carolum multae res hortabantur, quare pontificis defensionem suscipiendam, & Longobardorum audaciae quacunque ratione occurrendum putaret. In primis quod non ignorabat, caput Christianae fidei rem Romanā esse, eiq; tam graui bello laboranti non subuenire, turpe simul ac periculosum esse censebat. Indignabatur praeterea, quod barbarae gentes tandiu in Italia regnarent, & à maioribus suis saepe praesidijs uictae nondum contineri possent, quin pontificibus Romanis contra ius fasq; ultro bellum inferrent. Quare his rebus, antequam ulterius augerentur Longobardorum uires, quàm primùm occurrendum ratus, legatos ad Desiderium mittit, qui eum hortentur, ut finem iniu-

rijs

rijs faciat, ab armisq; discedat, ac omnia oppida, quae aut ui occupata essent, aut sponte ad eum defecissent, pontifici Rom. restituat. Haec si fecerit, sibi perpetuam gratiam atq; amicitiam cum eo fore polliceantur: sin uerò, quod facturus uidebatur, mandata neglexerit, ei suo nomine bellum indicant. Dum legati proficiscuntur, interim Carolus non segnius, quàm si hostes in Gallia essent, exercitum parat, nullam proficiscendi moram facturus, si Desiderium regem perseuerare in bello cognouerit. Haec expeditio per omnem Galliam uulgata adeo grata cunctis Francorum populis erat, ut iam palam uociferaretur, maturandum in Italiam esse, toties à se uictam Longobardorum gentem uires resumere, conditiones acceptas negligere, semper bella ex bellis serere, itaq; nunquam quieturam, nisi eorum nomen penitus deleatur. Sic igitur omnium animis in expectatione belli erectis, legati à Desiderio redeunt, nunciantes omnia ibi hostilia esse, regem maius quàm antè bellum moliri: & quantum coniectura assequi possunt, nunquam iniurijs finem facturum, nisi cum sibi uires & arma ad inferendam iniuriam desint. Carolus his rebus uehementer commotus, maturandum sibi existimauit, ne antè Rom. pontifex opprimeretur, quàm ei ferre subsidium posset. Itaque refrumentaria, caeterisq; ad bellum necessarijs quàm celerrime potuit comparatis, magnis itineribus in Italiam contendit. Sed multa huic suae festinationi aduersabantur, montium altitudo, locorum angustiae & penè inuij saltus, per quos miles onustus armis, & impedimenta exercitus ducenda erant. Accedebat, quod Alpium iuga praesidijs hostium tenebantur. Miserat enim Desiderius, qui occupatis oportunis locis, quantum possent Francorum transitum prohiberent. Haec cum ita essent, Carolus tamen non ignarus, res praecclaras, labores maximos, maxima quoq; pericula sequi, suoshortatur,

tur,

tur, ut quoad locorū angustia patiantur, seruatior ordinibus ire ad hostem pergant. Appropinquant Alpiū iugis, nūnciatum est, hostes relictis angustijs se in planum recepisse, seu metu perterritos, seu quia tutius faciliusq; esse arbitrētur, descendentem ab Alpibus Carolo cum omnibus copijs confestim occurrere. Vix ad Desiderium perlatum erat, Francorum exercitum post paucos dies in Italia fore, cum Carolus superatis iam Alpibus, in agrum Taurinum descendit, ubi primum Hannibalem Carthaginensem alpes transgressum cum omnibus copijs constitisse tradunt. Eo in loco Carolus paucis diebus refectō milite, cum per exploratores prēmiffos certior factus esset, Desiderium regem prope Vercellas castra habere, ac ibi cum ingenti exercitu aduentum expectare, nihil ultra differendum ratus, ex Taurinis mouit, atq; continuatis castris in agrum Vercellensem peruenit. Erat Carolus uirtute militum & rei militaris peritia longe superior, multitudine ac numero hominum a Desiderio uincebatur. Cum propē in cōspectu exercitus essent, facta utrinq; potestate pugnandi, prēlium commiserunt. In ea pugna superati Longobardi in fugam uertuntur, magna parte suorum amissa. Desiderius postquam suos passim fufos fugatosq; conspexit, citato gradu Papiam, quæ caput regni erat, cū paucis militibus petit. Nec segnius Carolus, priusquam se hostes ex terrore fugatq; reciperent, regem persequutus, in agrum Ticinium exercitum ducit, extemploq; omnibus copijs ad mœnia regiae urbis admotis, tētat si primo impetu capi possit. Vbi id parum processit, consilijsq; ab oppugnanda urbe ad obsidendam uersis, sub ipsis mœnibus castra locat, subsidijsq; firma ne qua eruptio fieri possit, portis apponit. Ceterum cum satis cōstaret Desiderium regem priusquam deditiōnem faceret, paratum esse etiā ultima experiri, Carolus parte copiarum ad obsidionem

idionem relicta, ipse cū reliquo exercitu ad transpadanos cōtendit. Ibi ciuitates permultæ audita fama uirtutū suarū, rebusq; prosperis gestis, certatim ad eū deficiunt. Sed quod in primis ei gratissimū fuit, filij Carolomani, qui extemplo post mortē patris malo consilio temeritatē matris sequuti, ad Desideriū regē pergerant, spōte in sua castra uenerunt, ac se suatq; omnia potestati Caroli permiserūt: a quo benigne excepti, magnoq; affecti honore, etiā in posterū filiorū loco habiti sunt. Post hæc Carolū quū studio salutandī Pontificē, tū desiderio uisēdi celeberrimū beati Petri templū, Romā profectū, ac incredibili honore ab Adriano susceptum, post paucos dies ad obsidionē rediisse cōperio. Erat obsidio uehemēs, & frumētī cum summa caritate inopia, sedendoq; expugnatos se urbē spē Franci habebant. Oppidani contrario infestis omnibus uijs per quas cōmeatus ex proximis locis subuehebantur, diffidebant inopiā diutius ferre posse, rē tamē quantū poterant producebant, beneuolentia alij, alij metu Desiderij regis compulsi. Postremo spe quoq; non solū cibo deficiente, cū famem ulterius tolerare non possent, sexto mēse quā obsidēri sunt cœpti, deditiōnem faciunt. Capitur Desiderius unā cum uxore ac liberis, quem ultimum Longobardorum regum in Italia regnasse tradunt. Tunc enim summo beneficio Caroli Italia se primum erexit, quæ antea diutius quā uicttricem omnium gentium prouinciam decuit, Barbarorum immanitate oppressa iacuerat. Nam post sedem Romani imperij Byzantiū translata, Gotthi primi barbarorū, diuersis deinde tēporibus Hunni, Vandali, Heruli, postremi omnium Longobardi, ueluti in uacuā possessionem ruentes Italiā inuasere. Eam gentē tradit fama ab oceano Germaniæq; ultimis oris, unde illis haud dubiè origo fuit, nouas quærētē sedes in proximas regiones transisse, ac Vandalos, Herulos, Gepidas, aliasq;

aliasque finitimas gentes, Ibore & Aione ducibus, sæpe bello superasse, mutatisque frequenter sedibus, tandem intra Pannonias constitisse. Inde Albuinus eorum rex, accersitus ab Narsete eunuchō (ut quidam memoriæ prodidēre) cum præter Longobardorum multitudinem uiginti quandoque Saxonum millia spe optimarum sedium exciuisset, profectus ingentibus peditum equitumque copiis in Italiam uenit, breuique Vicentiam, Veronam, Mediolanum, ac omnis penè citerioris Galliæ urbes partim peste, partim Gothorum cladibus exintanitas, ad deditiōnem compulit. Papiam uero cum tres annos obsidionem tulisset, tandem & ipsa fama domita, Barbarorum imperio cessit. Nec ambigitur, qui idem rex paucis annis totam Italiam subegisset, ita omnia apud Italos perdita erant, nisi sexto supra triennium mense postquam Italiam ingressus est, apud Veronam interisset, dolo uxoris Rosemundæ necatus. Huic successit Dephōn insignis nobilitate uir, Albuino nequaquam uirtute par, sed crudelitate ac immanitate naturæ longe superior. Eo quoque intra biennium uita functo, Longobardi decem deinde sequentibus annis nullum sibi regem creauere, siue superbia proximi regis huic generi dominationis infensi, siue gubernationem suorum ducum utiliore rati, qui iam per omnem Italiam uagantes ita impigre bellum gerebant, ut uunquam eo tempore sit regia desiderata potestas. Sub his ducibus adeo creuere Longobardorum ope, ut Hetruria, Flaminia, Piceno, Samnio, aliisque regionibus subactis, omnem Italiam à Brundisio Tarantoque usque ad Alpes tenerent, præter urbem Romam quam constat in huius gentis potestatem nullo unquam tempore deuenisse. Finito decennio, reditum est rursus ad pristinam consuetudinem creandi reges, seruatumque deinde per omne tempus usque ad Desiderium, qui ultimus Longobardorum regum in Italia fuit,

fuit. Quo debellato (ut supra memorauimus) Carolus Magnus grauem eius gentis dominatum quarto & ducentesimo anno quam regnare inceperant, à ceruicibus Italarum dimouit, ac omnes ciuitates que ad Desiderium proximo bello defecerant, recuperatas Pontifici Ro. restituit: Beneuentanum quoque ac Spoletanum agrum adiecit. Quibus meritis Hadrianus pontifex, cum nullum maius grati animi indicium posset ostendere, conuocato frequenti Episcoporum cœtu, eximioque celebrato cœcilio, multis ac maximis priuilegijs eum ornauit. Carolus confecto Longobardorum bello, potentissimo rege capto, cum alia quoque magni ponderis animo moliretur, nullam nouam interponendam putauit, quin in Galliã confestim rediret. Saxonicum quippe intermissum bellum eum domum reuocabat, quod eo biennio antequam Carolus ad liberandum Romanum pontificem in Italiam ueniret, & inceptum simul, & à præfectis eius per id tempus leniter administratum comperio. Quo magis adducor ut uirtutem uiri ac animi magnitudinem admirandam putem, quod post habitis ferocissimis hostibus, relictoque domestico bello, rem suam neglexerit, ut Italiam ecclesiamque Romanam, qua omnium Christianorum salus continebatur, ab immanitate barbarorum liberaret. Saxonum gens longe maxima erat, ac etiam bellicosissima penè Germanorum omnium. Hi falsos colentes deos, cum neque diuini neque humani iuris quicquam pensi haberent, nihil æque, ac religionem nostram hominesque ei deditos oderant. Proximi erant Francis, cum quibus continenter bella gerebant. Sæpe prælijs uicti conditiones acceperant, obsides dederant: sed nondum apud Francos erat inuentus, qui domita penitus eorum perfidia, plenissimam esset uictoriam consequutus. Hæc palma cum Carolo Magno quasi diuino numine referuata uideretur, non solum con-

filio principes, sed passim omnes clamoribus agunt, ut aduersus perpetuos Francorum hostes totis uiribus arma sumantur. Carolus uero tempus uenisse ratus, in quo non modo Barbarorum hominum audaciam frangere, sed etiam eorum regnum, quod multo antè animo agitauerat, funditus euertere possit ingentem exercitum parat: diem dicit, qua die prope ripam fluminis Rheni omnes conueniant. Nunquam aliàs maiori alacritate contentioneque animorum suscepta à Francis expeditio est. Hinc odium gentis, hinc spes bene gerendæ rei animum excitat. Sed supra omnia, studium auget præsentia regis, cuius ductu auspicioque non modo Saxonum gentem, sed etiam orbem terrarum, si uelit, superare se posse credebant.

DE S. MARTHA.

Ex Sedulio.

BEthanicusque solum repetens intrarat, ibique
Lazarus occidua tumulatus sorte iacebat
Iam quarto sine luce die, claususque sepulchri
Marmore, corruptum tabo exhalabat odorem,
Flebant germana, flebat populatio præsens,
Flebat & omnipotens, sed corpore, non deitate,
Exanimisque artus illa pro parte dolebat,
Qua moriturus erat, lachrymis implebat amicum,
Maiestate deum. Quid credere Martha moraris?
Quid ue Maria gemis? Christum dubitatis an unum
Possit ab infernis hominem reuocare cauernis,
Qui dabit innumeras post funera surgere turmas?
Ergo ubi clamantis Domini sonuit tuba dicens:
Lazare perge foras, magno concussa pauore
Tartara disiliunt, Herebi patuere recessus,
Extremuit letale Chaos, mortisque profundæ
Lex perit, atque anima proprias repetente medullas,
Cernitur ante oculos uiuens astare cadauer,
Postque sepulchralem tanquam recreatus honorem,
Ipse sibi moriens & posthumus extat, & hæres.

Mar-

EX ROMANO BRE

uiario.

MArtha Christi hospita, Mariae & Lazari soror, post Christi ascensum ad patrem à Iudæis, in persecutione Christianorum cum fratre & sorore, & Marcilla pedisequa, & item Maximino, à quo rota domus fuerat baptizata, comprehenditur. Et hi omnes cum alijs compluribus Christianis in nauis quadam imponuntur. Quæ nauis uelis, remis, clauisque spoliata, mari committitur, ut omnes sancti naufragio perirent. Cæterum deo gubernante, Massiliam incolumis applicuit. Quo miraculo, & dictorum sanctorum prædicatione Massilienses primum, deinde uicini populi ad fidem Christi conuersi sunt. Martha igitur cum Massiliæ omnium in se animos propter eximiam sanctitatem conuertisset, cum multis honestissimis mulieribus, in monasterio, quod ipsa curauit edificandum, sanctissime uixit, mortemque obiit multo ante à se præcognitam, & miraculis illustratam, quarto Calend. Augusti.

DE SANCTA CRISPINA EX

Augustino.

ECce illi qui martyres persequebantur, memorias martyrum inquirunt, aut ubi adorant, aut ubi se inebriant, quærunt tamen. Super iram inimicorum meorum extendisti manum tuam, & saluum me fecit dextera tua. Secundum desiderium saluum me fac dextera tua. Et quædam salus in dextera tua, nam est altera salus in sinistra. Salus temporalis & carnalis in sinistra est, salus æterna cum angelis in dextera est. Ideo iam in ipsa immortalitate positus Christus, dicitur sedere ad dexteram Dei. Non enim Deus habet in seipso dexteram aut sinistram, sed dextera Dei dicitur felicitas illa, quæ quoniam oculis ostendi non potest, tale nomen accepit. Hac dextera tua saluum me fecisti, non secundum salutem temporalem.

Q. 2

Nam Crispina occisa est: sed nunquid deseruit illam deus? Non illam fecit saluam in sinistra, sed fecit in dextera. Machabæi quãta tormenta perpessi sunt: Tres autem pueri in medijs ignibus deambulando laudauerunt Deum: illorum salus in dextera, istorum etiã in sinistra. Aliquando ergo non saluat in sinistra sanctos suos, sed semper saluat in dextera. Impios autem plerumq; saluat in sinistra, nõ saluat in dextera. Nam illi qui persequerentur Crispinam, sani erant in corpore. Illa occisa est, illi uiuunt. Illorum salus in sinistra est, illius in dextera.

DE S. IULIANO CHRISTIANO PHILOSOPHO, ex I. Chrysostomo.

*Super Eph.
cap. 6.*

SI enim Græci infideles, triobolatores quidam uiri & canes, philosophiam istam triobolarẽ ac uilem (talis enim est Græcorum philosophia) imò non ipsam sed nomen ipsius amplexi, pallioq; amicti, ac coma nutriendos, multos ad se flectunt, atq; præstringunt, quanto magis qui uerè philosophus est? Si habitus mendax, si umbra philosophiæ apprensus ita extollit, quid futurum est, si ueram ac synceram philosophiam dilexerimus? An non omnes colent, & domos & uxores, & pueros talibus cum magna facultate & libertate commẽdabunt? Sed nõ est iam, non est, inquam, talis quisquam philosophus. Propterea neq; exẽplũ aliquod inuenire potest. Sunt quidem tales inter solitarios, inter mundanos uerò nõ amplius. Quod autem inter solitarios sint, possunt multi adduci: ueruntamen unum ex pluribus, proferam. Scitis sanè & audistis: quidam uerò uestrum, uiderunt etiam uirum illum, de quo dicturus nunc sum. Iulianum dico admirabilem ac celebrem. Hic erat uir rudis & agrestis, humili sorte & ex obscuris parentibus ortus, neq; omnino æternæ eruditionis peritus, sed syncera philosophia plenus. Isto in ciuitates introeunte (rarò autẽ huc fiebat) ita cateruatim

tim colligebatur populus, ut nihil tale factum sit uel rhetoribus uel sophistis, aut alijs quibuscunq; ingredientibus. Quid dico? An non & nunc quidẽ nomen eius cunctis regibus illustrius ac uenerandnm magis habetur? Si uerò ista in hoc mudo fiunt, in eo scilicet mundo, in quo nobis nihil boni promisit Dominus, in quo peregrinos nos esse dixit, cogitemus quanta bona nobis reposita sint in caelis.

DE SANCTA SOTERI, EX

D. Ambrosio.

AT non sancta Soteris, ut domesticum piæ parentis proferamus exemplum. Habemus enim nos sacerdotes, nostram nobilitatem præfecturis & consulatibus præferendam. Habemus inquam fidei dignitates quæ perire non norunt. At nõ, ut dixi, Soteris uultus sui curã gerebat, quæ cum esset decora facie ualde, & nobilis uirgo maiorũ profapia, consulatus & præfecturus parentũ sacra posthabuit fide, & immolare iussa non acquieuit. Quam persecutor immanis palmis cædi præcepit, ut tenera uirgo dolori cederet aut pudori. At illa ubi audiuit hæc uocem, uultum aperuit soli inuelata atque intacta martyrio, & uolens iniuriæ occurrit, uultum offerens, ut ibi martyrij fieret sacrificium, ubi solet esse tentamentum pudoris. Gaudebat enim dispendio pulchritudinis, periculum integritatis auferri. Sed illi potuerunt quidem uultum eius uulnerum uibicibus exarare, faciem tamen uirtutis eius & gratiam decoris interni nequaquam exarare potuerunt.

*In exhor.
ad uirg.*

DECEM MILLIA MARTYRUM.

FVÈre milites Hadriani Cæs. contra Ægyptios, uerum in expeditione per Angelorum ministeria conuersi ad Christum, in hoc uictores. Ante signanus illorum Acacius (Achatius) quia uerò per-

stiterunt, nec desecti poterant ad Paganismum, in
cruces acti sunt.

PASSIO SANCTAE AFRAE MATRIS QVAE
eius Hilariæ, & puellarum eius,
Ex annalibus Eccle-
siasticis.

A Pud provinciam Regenas in ciuitate Augusta,
cum Christianorum esset gloriosa persecutio,
& omnes pro Christi nomine uarijs suppli-
cijs afflicti, ad sacrificia traherentur, contigit Afram
quam notam habebat facies publica, quod esset lupa
naria, à persecutoribus comprehendi. Quæ cum fu-
isset iudici oblata, & interrogasset & agnouisset iu-
dex, quæ esset, dixit ei: Sacrifica dijs, quia expedit tibi
uiuere, quam inter tormenta deficere. Afra respon-
dit: Sufficiunt peccata mea mihi, quæ ignorans De-
um gessi. Hoc autem quod me iubes facere, nunquã
factura sum. Caius iudex dixit: Accedens ad Capito-
lium, sacrificia. Afra respondit: Capitolium meum
Christus est, quem habeo ante oculos meos: ipsi quo-
tidie crimina mea & peccata mea confiteor: & quia
non sum digna ei sacrificium offerre, ipsa ego pro no-
mine eius cupio sacrificari, ut corpus in quo peccau-
i, dum pœnas passum fuerit, abluatur. Iudex Caius di-
xit: Sicut audio meretrix es, sacrificia, quia aliena es à
Deo Christianorum. Afra respondit: Dominus no-
ster Iesus Christus dixit se pro peccatoribus descen-
disse de cœlo. Nam & Euangelium eius loquitur,
quod meretrix rigauerit pedes eius lachrymis, & in-
dulgentiam acceperit: & meretrices & publicanos
nunquam despexit, quin imò etiam secum eos man-
ducare permisit. Iudex Caius dixit: Sacrifica, ut dili-
garis ab amatoribus tuis, & sicut semper dilectæ es,
habearis, & inferantur tibi pecuniæ multæ ab eis. A-
fra respondit: Pecunias execrabiles iam nunquam ac-
cipio. Nam & quas habui, expendi, quia non fuerunt
de

de bona conscientia: nam nolentes accipere aliquan-
tos fratres meos pauperes, etiam precibus exorau-
i, ut à me dignarentur accipere, & pro peccatis meis ex-
orare. Si ergo quæ habui à me proieci, quomodo po-
test fieri, ut quæram accipere quæ iam quasi sordes ab-
ieci? Iudex dixit: Iam te Christus dignam non habet,
sine causa uis eum deum tuum dicere, qui te suam
non esse cognoscit: Meretrix enim quæ est, dici non
potest Christiana. Afra respondit: Equidem Christia-
na nec dici mereor, nec uocari: sed misericordia, quæ
non de merito, sed sua pietate iudicat, ipsa me ad hoc
nomen admisit. Gaius dixit: Vnde nosti, quia te ad-
misit ad hoc nomen? Afra respondit: In hoc me cog-
nosco à facie Dei non esse proiectam, quia ad glorio-
sam confessionem nominis sancti permittitur acce-
dere mihi, per quam me credo omnium meorum sce-
lerum indulgentiam accepturam. Iudex Gaius dixit:
Hæ fabulæ sunt, magis sacrificia dijs, per quos salutem
consequaris. Afra respondit: Salus mea Christus est,
qui pendens in cruce latroni confitenti bona paradisi
si repromisit. Iudex Gaius dixit: Sacrifica dijs, ne te in
conspectu amatorum tuorum, qui tecum turpiter
uixerunt catomis cædi iubeam. Afra dixit: Confusio
nulla est mihi nisi de peccatis meis. Iudex dixit: Por-
rò iamiam sacrificia, quoniam iniuria est mihi tot ho-
ris tecum loqui, certe si nolueris, occideris. Afra di-
xit: Hoc est quod opto, si tamè merear per hæc confes-
sionem digna effici requirere inuenire. Iudex Gaius dixit:
Sacrificia, nã torqueri te faciã, & post uiuam incendi.
Afra respondit: Corpus meum quod peccauit accipiat
diuersa tormenta, animam meam sacrificijs dæmoniorum
non coinquinabo. Tunc iudex nequissimus dictauit se-
tentiam, dicens: Afram publicam meretricem, quæ se Chri-
stianam professam est, & si noluit sacrificijs participari, ui-
uam præcipimus incendi: statimque rapta à ministris du-
cta est in insulam fluminis qui dicitur Licus, ibique eam

spoliantes ad stipitem ligauerunt. At illa eleuans oculos ad cælum orabat cum lachrymis, dicens: Domine Deus omnipotens Iesu Christe qui non iustos uenisti uocare, sed peccatores ad pœnitentiam: cuius promissio uera & manifesta est, qui dignatus es dicere: Qua hora conuersus fuerit peccator in suis iniquitatibus, eadem hora non te memoraturum peccatû eius, accipe haec hora passionis meae pœnitentiam, & per hunc ignem temporalem, qui corpori meo paratus est, ab illo igne aeterno me libera, qui & animam simul & corpus exurit. Et his dictis expleta circumdata sarmentis igne subposito uox audiat, dicens: Gratias ago tibi Domine Iesu Christe, qui me dignatus es hostiam haberi pro nomine tuo, qui pro toto mundo solus hostia oblati es in cruce, iustus pro in iustus, bonus pro malis, benedictus pro maledictis. dulcis pro amaris, mundus a peccato pro peccatoribus uniuersis: tibi offero sacrificium meum, qui cum patre tuo & spiritu sancto uiuis & regnas in saecula seculorum, Amen. Et hæc dicens emisit spiritum. Stabant autem iuxta ripam fluminis, Digna & Eunomia & Eutropia, quæ fuerunt ancillæ eius, & simul fuerant in peccato, simulq; a sancto Narcisso Episcopo baptizatae, quæ descendentes de barca ut eas ibi transmitterent. Cumq; eas transtulissent, inuenerunt Afræ corpus integrum. Puer autem qui cum ipsis erat transnatauit, & nunciauit matri eius. Et uenit in nocte cum sacerdotibus Dei, & tulit corpus eius & posuit illud in secundo miliario a ciuitate Augusta in memoriam quam sibi suisq; construxerat. Nunciatus est autem iudici Gaio, & misit ibi ad ipsam memoriã, dicens: Ite & tenete eas, & si consenserint uobis ad sacrificandum, cum honore eas ad me reducite, ut remunerem illas censu dignissimo. Si uero uideritis eas animo pertinaci obfistere, & nulla ratione ad sacrificandum præbere consensum, implete memori-

am

am gremijs, & claudite super eas ipsam memoriam, & ita demum ignem supponite, & nulla ex his euadat uiua. Euntes autem milites prius blando sermone eas prouocabant. At ubi uiderunt omnes simul contemnere sacrificia, repleuerunt memoriam sarmentis & sæno & ficcis spinis, & clauerunt super eas, & supposito igne abierunt. Sic factum est, ut in eodem die quo sepulta est Afræ, simul etiam mater eius Hilaria & famulæ eius secundum carnem, sed iam sorores in Christo, Digna, Eunomia & Eutropia simul martyrij coronam acciperent, & quæ simul conuersæ fuerant a diabolo simul unanimes ad Christum Iesum, cui crediderunt, cum palma martyrij peruenirent: qui regnat cum Patre & Spiritu sancto in saecula seculorum, Amen. Eodem die passi sunt etiam non longe ab urbe Roma Cyriacus, Largus, Smaragdus, Memnia, Iulia, & multi alij pro nomine Christi decolati sunt.

PASSIO S. CYRIACI ET SOCIORUM eius, ex annalibus ecclesiasticis.

TEmpore, quo Maximianus Augustus rediens a partibus Africæ ad urbem Romam, uolens placere Diocetiano Augusto ut in nomine eius thermas soli edificaret, cepit inuidia Christianorum omnes milites, siue Romanos, ad afflictionem laboris cõpellere, & per uaria loca alios ad lapides, alios ad harenam fodiendam damnauit. In ipso tempore erat uir Christianus nomine Trafon, uir potens & facultatibus locuples, & uita fidelis. Hic cum uideret affligi Christianos ad fatigationem & laborẽ, cepit de sua facultate sanctis martyribus alimoniam & uictum ministrare per uiros Christianos, Sifinnium, Cyriacum, Smaragdum, & Largum. Hoc audiens beatus Marcellus urbis Romæ episcopus, gaudio repletus est magno de elemosyna quam Trafo sanctis

Q. 5

ministrabat, et rogās ad se uenire sanctos uiros Christi-
 fianos, & seruos domini nostri Iesu Christi, Cyria-
 cū, Sifinnū, Smaragdū, & Largum: inquisiuit ab eis,
 & notum fecerunt ei, quomodo Trafon sanctus dei
 uictualia ministrabat. Tunc gaudio repletus, ducens
 consilium, consecrauit Cyriacum & Sifinnium diaco-
 nos ecclesie Romane. Factum est, ut una nocte, dum
 deferrent humeris suis uictum, quem Trafon mini-
 strabat, tenti sunt a militibus paganis, & perducti
 sunt ad tribunum Expurium, suscipiens eos tribu-
 nus, retrudit in custodiam publicam. Post diem terti-
 um nunciauit Maximiano Augusto. Hoc cum audis-
 set Maximianus, iussit ut cum custodia ipsi foderent
 harenam, & humeris suis portarent usque ad locum,
 ubi thermæ edificabantur. Erat uir senex inter eos,
 nomine Saturninus, qui iam in senectute maceratus
 fuerat, hunc coeperunt ad portandum adiuuare. Hoc
 cum uidissent custodes fieri, quia Sifinnius & Cyria-
 cus diacones & suas sarcinas & alias cum adiuto-
 rio Christi portarent, mirati sunt, & nunciauerunt
 tribuno Expurio: tunc tribunus nunciauit Maximia-
 no Augusto, dicens: quod cum hymnis & laudibus
 dei, & omni ueneratione Christo gloriam redderēt.
 Eodem tempore misit Maximianus Augustus, & ius-
 sit, sibi Sifinnium presentari. Cui cum presentatus
 fuisset, dixit ad eum Maximianus: Quis uocaris? Res-
 pondit: Ego peccator Sifinnius seruus seruorum do-
 mini nostri Iesu Christi. Maximianus Augustus dixit:
 Quæ carmina sunt uobis? Respondit Sifinnius diaco-
 nus, dicens: Si cognosceres quæ sunt carmina fide-
 lum, scires utique creatorē tuū. Respondit Maximianus
 Augustus: Et quis est creator, nō inuictus Hercules?
 Respondit Sifinnius diaconus: Nobis turpe est uel no-
 minare uel audire eum. Maximianus dixit: Vnum ex
 duob. tibi eligere festina: aut sacrificia deo Herculi,
 aut carnes tuas igni cremabo. Sifinnius diaconus di-
 xit:

xit: Et ego quidē semper optaui: ueruntamē si meri-
 tus fuerim, ut coronam desideratā accipiā. Iratus Ma-
 ximianus Augustus, tradidit eū Lauditio præfecto.
 Tūc Lauditius præfectus retrudit eū in custodiā Ma-
 murtini, & fuit ibi in custodia diebus decē & octo,
 His diebus tractis, iussit Lauditius præfectus aspe-
 ctibus suis Sifinnū presentari. Qui cū presentatus
 fuisset ab Aproniano Cōmentariense, subito lux de
 celo facta est, & uox de luce exiit, dicens: Venite bene-
 dicti patris mei, percipite regnū, quod uobis paratū
 est a cōstitutione mūdi. Tūc Apronianus tremefactus
 cecidit ad pedes Sifinnij diaconi, dicens ei: Adiuro te
 per Christū, quē cōfiteris, ne tardes me baptizare,
 & facies me tecū pertingere ad coronā. Eadē hora
 allata est aqua, & cathechizauit eū, & benedixit fon-
 tem & deposuit eū nudū in peluim, & dixit ei: Cre-
 dis in Deū patrē, & filiū, & spiritum sanctum? Et ille
 respondit: Credo. Et dixit Sifinnus diaconus: illumi-
 net te Christus. Et eleuauit eū de pelui, & deduxit
 eum ad sanctū Marcellū episcopū, quē chrismate con-
 secrauit, & altare cōsecrauit, & participati sunt om-
 nes corpus & sanguinem domini nostri Iesu Christi.
 Eodem die post meridiē inisit sibi Lauditius præsen-
 tari Sifinnū diaconū: ueniens cum Sifinnio diacono
 Apronianus Cōmentariensis iam baptizatus, cœpit
 clamans dicere: Quid uos coartat diabolus, in dei
 seruos tanta mala exercere? Tunc præfectus dixit ad
 Apronianum Cōmentariensem: Quomodo te uideo
 & tu Christianus effectus es. Respondit Apronia-
 nus: Vē mihi infelici, quia perdidit dies meos. Respon-
 dit præfectus: Verē modo perdes dies tuos: & iussit
 eum capitalē sententiā subire, dicens: Si hic extinctus
 non fueris, multi peribūt. Eodē tēpore ductus in uia
 Salaria miliario secundo, capite trūcatus est, sub die
 quarto Nonarum Februarium. Tunc iussit retrudi
 in custodia senē Saturninū, & Sifinnū diaconū, dicens
 Si

Si non immolauerint dijs diuersis, eos pœnis interficiam. Tunc Saturninus senex cum esset in custodia unâ cum Sifinnio diacono, ueniebant ad eos multi gentiles, & baptizabantur cum omni fiducia. Audiens præfectus, iussit sibi tribunal præparari in urbe. Et post dies xlii. misit & exhibuit Saturninum & Sifinnium diaconum, & uincti cathenis adducti sunt nudis pedibus in conspectu Lauditiij præfecti. Quibus dixit Lauditius: Quid est? Deposuistis uanam superstitutionem, & adoratis deos, quos imperatores adorant? Respondit Sifinnius diaconus: Nos peccatores adoramus dominum Iesum Christum dei filium: nam dæmonibus & lapidibus nūquam humiliamur. Lauditius dixit: Deferatur Tripoda, & thurificet maiestatibus. Saturninus dixit: Conterat dominus deos gentium. Et continuo soluta est tripoda ærea, uelut lutum. Tunc uidentes duo milites, Papias & Maurus, cœperunt clamare & dicere: Verè Deus est & dominus Iesus Christus, quem colunt Sifinnius & Saturninus. Iratus itaq; Lauditius, iussit eos in eculeo leuari. Et cū traherentur neruis, fustibus & scorpionibus cæsi sunt. Illi aut clamabant dicentes: Gloria tibi hî domine Iesu Christe, quia meruimus socij fieri seruatorum tuorum. Tunc Papias & Maurus clamabant, dicentes: Vt quid uos coartat diabolus, in seruos Dei ista exercere? Iratus Lauditius, iussit, ut cum lapidibus os eorum contunderetur, & retrudi in carcerem: Saturnino uerò & Sifinnio flammâ ad latera poni. Illi autem pendentes in eculeo uultu alacri gratias deo agebant. Eodem die dedit eis capitalem subire sententiã. Et depositi de eculeo, ducti sunt uia Numentana miliario secundo, & capite sunt truncati. Eorum corpora collegit Trason cum Ioanne presbytero, & sepeliuit in prædio suo uia Salaria, sub die quarto Calendarum Decembrium. Tunc dixit Lauditius ad Papiam & Maurum: Nunc cognoui, quod &

uos Christiani sitis. Papias dixit: Verè Christiani. Dicit ad eos Lauditius: Deponite & absoluite uanam fallaciam, & adorete deos, quos principes adorant. Respondit Maurus, & dixit: Adorent eos, qui desperauerunt de animabus suis, ut in æternum pereant. Lauditius præfectus dixit: Modò uos desperatis de animabus uestris, si non sacrificaueritis dijs immortalibus: audite, & facite, & uiuite. Respondit Papias: Sacrifica tu, & uiues in tormentis æternalibus. Tunc iussit eos sterni in terram, & fustibus cedi. Et dū diu cederentur, nulla uox ex eis audita est, nisi tantum: Christe adiuua nos seruos tuos. Tunc iussit eos leuari de terra, & plumbatis cædi. Et dum diu cederentur, emiserunt spiritum. Quorum corpora collegit noctu Ioannes presbyter, & sepeliuit in uia Numentana, sub die quarto Calendarum Februarii, ad lymphas beati Petri, ubi baptizabat. Post multos dies narrauit omnia præfectus Lauditius Augustis Diocletiano & Maximiano de militibus & de sanctis, quos interfecerat. Et gauisi sunt Diocletianus & Maximianus Augusti. Post paucos dies nunciatum est Diocletiano Augusto, quod filia eius Arthemia à dæmonio uexaretur, unde grandi afflictione contristatus est, & presenti die noluit comedere cibū. Et dum multo tempore in custodia esset beatus Cyriacus & iam de eo obliuio esset facta, multi Christiani pergebant ad eum in custodiam, & cæci illuminabantur, & infirmi salui fiebant à languoribus suis. Cœpit autem urgeri Arthemia filia Diocletiani à dæmonio. Hoc cum nunciatum fuisset Diocletiano Augusto, intravit ad eam in cubiculum, & ecce ipse dæmon cœpit clamare per Arthemiam præsentem Diocletiano, dicens: Nisi uenerit Cyriacus diaconus, non exeo. Misit Diocletianus ad eum in custodiam, ubi erat clausus & constrictus cum Largo & Smaragdo, & exijt de custodia: & cū præsentatus fuisset Diocletiano Augusto,

Augusto, cepit rogare eum, ut intraret ad filiam eius. Et dum introisset ad eam Cyriacus, dixit: In nomine domini nostri Iesu Christi precipio tibi, ut ex eas ab ea. Dæmon respondit per os Arthemiae: Si uis, ut exeam, da mihi uas, ubi ingrediar. Dicit ei Cyriacus: Si potes, ecce corpus meum ingredere. Respondit diabolus per os Arthemiae: In uas tuum non possum introire, quia undique clausum & signatum est. Dicit ei Cyriacus: in nomine domini nostri Iesu Christi exi, ut fiat uas mundum, ad superueniendum spiritui sancto. Et dixit ad Arthemiam: Filia crede in deum omnipotentem, & in Iesum Christum filium eius unicum dominum nostrum. Tunc dæmon exclamauit, dicens: O Cyriace si hinc me eijcis, in Persidam te faciam uenire. Dicit ei Cyriacus: In nomine domini nostri Iesu Christi exi. Tunc clamauit dæmon per os Arthemiae: Per ipsum, inquiens, nomen exeo, quia uideo de longe dominum, quem tu praedicas Cyriace. Tunc tenes manum eius beatus Largus & Smaragdus leuauerunt eam. Alia autem die secundum consuetudinem catechizauit eam, & allata aqua, benedixit sanctus Cyriacus, & baptizauit eam praesente matre sua Serena augusta. Ab eodem die dicebat Serena filiae suae, ut fideliter amaret religionem Christianam. Post menses uero decem & duos annos explicata fabrica thermarum, cum gloria cepit Diocletianus Augustus habere Cyriacum diaconum bene, & donauit illi domum, & hoc praecipit, ut securus uiueret in urbe Roma, faciente hoc Serena Augusta uxor Diocletiani. Post paucum uero tempus uenit legatio a rege Persarum ad Diocletianum Augustum, ut Cyriacum diaconum ad se dirigeret, quia filia eius a demonio uexaretur. Tunc Diocletianus Augustus uidens tantam supplicationem regis Saporis Persarum, praecipit Serenae uxori suae, & rogauit ad se uenire Cyriacum diaconum. Cum uenisset Cyriacus ad Serenam Augustam, dixit ei Augusta legationem Saporis

ris

ris regis Persarum, sicut dixerat ei Diocletianus Augustus maritus suus. Tunc dixit Cyriacus diaconus: cum auxilio domini mei Iesu Christi saluatoris uadam securus. Eodem tempore Serena Augusta Christianissima dedit omne uehiculum & necessaria, quae opus fuerat in nauis, & cum Largo & Smaragdo perrexit usque ad Persidam partem Cyriacus. Milites uero cum uehiculis ibant. Beatus autem Cyriacus cum baculo suo prius perueniebat ad mansionem, usque dum perueniret ad regem Persarum, nomine Saporē. Et cum praesentati fuisset Cyriacus diaconus, & Largus, & Smaragdus, dixit ad eos rex: Quis ex uobis dicitur Cyriacus diaconus. Et cognouit quis esset Cyriacus diaconus. Tunc rex Sapor adorauit sanctum Cyriacum, rogans ut introiret in cubiculum ad filiam eius nomine Iobiam. Eadem hora exclamauit diabolus ex ore puellae, & dixit ad Cyriacum: Quid est Cyriace? Respondit Cyriacus: in nomine domini mei Iesu Christi precipio tibi immunde spiritus exi, & iam non reuertaris ad eam. Respondit diabolus: Fatigatus es? Cyriacus respondit: Ego exiui in nomine domini mei Iesu Christi, cuius auxilio gubernatus sum, & gubernor, non fatigatus sum, sed confortatus. Dicit ei diabolus: Tamen ego te perduxim ad quod uolui. Cyriacus diaconus cum uidisset puellam fatigari, proiecit se in pavementum, orans & flens dicens: Imperat tibi dominus meus Iesus Christus, quem confessus es, ut ex eas. Respondit diabolus: Da mihi uas, ubi ingrediar. Sanctus Cyriacus diaconus dixit: Dominus Iesus Christus Deus de Deo, ipse tibi imperat, ut ex eas. Tunc ululatu magno & clamore exspumans clamauit in aere ipse diabolus, dicens: O nomen terribile, quod me coartat exire. Ab eadem hora salua facta est Iobia. Tunc beatus Cyriacus dixit ei: Crede in filium dei, & semper sana eris. Respondit Iobia: Ego credo in dominum Iesum Christum quem praedicas. Et fecit eam catechumenam more solito

& ca.

& catechizauit eā. Et allata aqua deposuit eam nudam in concham argenteam, & benedixit aquam, & dixit ei: Iob, credis in patrē & filiū & spiritū sanctū? Respondit Iob, Credo. Et dixit ei, Carnis resurrectio nem? Et respondit: Credo. Et leuata à concha, cœpit dicere Iob: Vere dominus Iesus Christus, quem prædicat beatus Cyriacus, ipse est Deus. Eadem hora omnes adfines eius baptizati sunt, & ipse rex baptizatus est, & alij promiscui sexus numero quadringenti uiginti baptisati sunt. Eodem tempore multa dona & pecunias obtulit rex beato Cyriaco. Cui sanctus Cyriacus dixit: Nos gratiam Domini nostri Iesu Christi precio non offerimus, sed fide æstimamus. Et nihil accepit, sed tantum pane & aqua cum Largo & Smaragdo usus est. Post dies quadraginta duos ascendens nauim cum commendationibus Epistolarum reuersus est Romam. Quem cum grandi honore suscepit Diocletianus Augustus cum uxore & filia sua, & cœpit habitare cum Largo & Smaragdo in domo, quam ei donauerat Diocletianus, iuxta thermas Diocletianas. Post menses duos ambulauit Diocletianus Augustus ad Dalmatias, ibiq; aegritudine fatigatus, fecit testamentum, cohæredes faciens filios suos, & mortuus est. Hoc audiens Maximianus filius eius Augustus, præcepit, ut ubicunq; Christiani inuenti fuissent, punirentur, & zelo ductus propter sororem suam Arthemiam, misit & tenuit Cyriacum diaconum, & misit eum in custodiam, & hoc præcepit, ut in die processionis suæ ad exemplum Christianorum Cyriacus nudus catenis obligatus ante redam suam traheretur. Vno autem tempore ueniens in die processionis suæ Marcellus Episcopus, obtulit se Maximiano Augusto, dicens ei: Pietati tuæ suggero seruos Dei, qui orant pro regno tuo, quare trucidas? Tunc iratus Maximianus Augustus præcepit, ut cum fustibus cederentur, & iussit Carpasio uicario,

caro, dicens: Audi Carpasi, Cyriacum sacrilegum, qui carminibus magicis & incantationibus suadet hominibus Christum confiteri, diuersis pœnis afflige, si non libamina dijs obtulerit. Eodem tempore Carpasius uicarius mittens ad custodiam adduxit Cyriacum diaconum, Largum & Smaragdū, & Crescentianum, & iussit eos inter ludē præsentari. Quibus dixit: Quare nō obauditis præceptis principum, ut offeratis libamina dijs immortalibus? Respondit Cyriacus cum Largo, Smaragdo & Crescentiano: Nos ipsos domino Iesu Christo offerimus. Carpasius uicarius dixit: Facite quod uobis iubetur: Senectua tua alba facta est Cyriace, sed modo eam iuuenem facio. Et iussit picem reliuari, & cum reliquata fuisset pix, præcepit ut in capite beati Cyriaci diaconi funderetur. Cœpitq; clamare beatus Cyriacus diaconus & dicere: Gloria tibi Domine, qui nos seruos tuos dignatus es portas regni cœlestis intrare. Dicitq; alijs Carpasius: Sacrificabitis, aut peribitis sicut perfidus Cyriacus. Dixerunt: Nos peccatores Domino Iesu Christo nos ipsos sacrificium offerimus. Tūc Carpasius uicarius adduxit in conspectu suo eculeum, & iussit suspendi Crescentianum & fustibus cedi in conspectu Cyriaci, Larki & Smaragdi. Cumq; diu attraheretur neruis, & fustibus cederetur, & unguibus taderetur, uoce magna clamabat, dicens: Gloria tibi Domine Iesu Christe, qui nos ad gratiam tuam uocare dignatus es. Carpasius dixit: Date flammas ad latera eius. Et cum diu incendio constrictus ireretur, emisit spiritum. Cuius corpus iussit iactari ante cliuū Vrsi in platea ante templum palatii. Ipsa nocte uenit Ioannes presbyter & collegit corpus eius, & sepeliuit in cœmiterio Priscillæ, in arenario uia Salaria sub die octaua calendarum Decemb. Post mortem Crescentiani retrudit in custodiam, Cyriacum, Largum & Smaragdum. Post dies quatuor resedit in

eodē loco inter lude, & præcepit sibi præsentari Cyriacū diaconū, cui sic dixit: Quare dies senectutis tuæ cum tormētis deducis ad inferos? Respondit Cyriacus diaconus: Ego semper hoc optaui. Dicit ei Carpafius: Sacrifica dijs immortalibus & uiues. Cyriacus respondit: Sacrificent eis, qui non cognouerunt Dominū Iesum Christū creatorē suum. Tunc iussit eū in catasta extendi & attrahi neruis, & fustibus cedi. Cyriacus autē clamabat dicens: Miserere mihi peccatori Domine Iesu Christe. Eodē die nunciauit Carpafius uicarius Maximiano Augusto omnia quæ exercuerat in sanctos Dei. Tūc iratus Maximianus Augustus iussit omnes uinctos qui erant in custodia unā cum Cyriaco capite truncari. Et data sententia ducti sunt cū Cyriaco diacono promiscui sexus numero uiginti, & decollati sunt uia Salaria intra thermas Salustij foris muros. Quorū corpora collegit noctu Ioānes presbyter, & sepeliuit illos in eadē uia. Sanctū uerō Cyriacū collegit & commendauit sub die xyij. cal. Aprilis. Ipso tēpore Maximianus interfecit sororē suā Arthemīā. Post dies octo ueniens beatus Marcellus Episcopus cū Lucina matrona Christianissima, condidit corpora sanctorū cū aromatibus & linteaminibus, & imposuit nocte in Pauone cū eunuchis suis, & sustulit, ubi cōmēdati fuerāt, trās lata sunt corpora cū sancto Cyriaco in prædiū eius uia Ostiēsi, miliario ab urbe Roma septimo, ubi requiescunt in lapideis sarcophagis, quos manu sua recōdiuit beata Lucina, in pace, septimo die mensis Augusti. Eodem tēpore beata Lucina fecit donationē de facultatibus suis omnibus ecclesiis. Hoc audiēs Maximianus August. proscriptioe eā damnauit. Beata autem Lucina rogauit fecundū Marcellū Episcopū, ut domū eius ecclesiam consecraret: quod cum omni deuotione fecit beatus Marcellus Episcopus. Ac ubi frequēter in eadem domo Missas celebrasset in media ciuitate uia lata:

audi-

audiens hoc Maximianus Augustus, iratus misit in eandē ecclesiā, & fecit præceptione sua, ut in eadem ecclesia plācæ externerentur ad animalia stabuli publici, in eundē Marcellū Episcopū ad seruitiū animāliū deputauit cū custodia publica, ubi etiā post multos annos seruiendo emisit spiritum sub die xvij. cal. Februarij. Cuius corpus rapuit Ioannes presbyter nocte cum beata Lucina, & condidit eū aromatibus, & sepeliuit in cœmiterio Priscillæ uia Salaria, non longe ab urbe Roma, miliario tertio, & requieuit in pace. Eodem tempore præcepit Maximianus Augustus ad se uenire Carpafium uicarium, & interrogauit eum de discussione & nece sanctorum. Et dum uidisset placatum sibi Maximianum, petijt ab eo domū beati Cyriaci sui: confestim donauit domum beati Cyriaci diaconi. Et dum introisset in eandē domū, quam donauerat beato Cyriaco diacono Diocletianus Augustus, inuenit locum ubi sanctus Cyriacus fontem ædificauit, quem consecrauit sanctus Marcellus episcopus, ubi frequenter baptizabat sanctus Cyriacus uenientes ad fidem. Tunc Carpafius uicarius paganus crudelissimus ingressus est in eandem domum, dum introisset & inuenisset baptisterium, fecit in eodem loco balneum, quasi ad deridendam legem Christianam, ubi frequenter lupanaribus & scēnicis lauacra exhibebat, turpi lucro gaudens in loco sanctificato. Et dum frequenter ista fierent, & epulæ cum sceleratis quadam die dum lauassent & exhiberent epulas, exeūte Carpafio de balneo cū multis sceleratis, decem & nouē cum Carpafio uicario subito ceciderunt, & mortui sunt. Ab eodē die clauerunt balneū, & factus est timor magnus in eadē religione usq; in hodiernū diē: Deo gratias. Sanctorū uero corpora sunt sepulta, hoc est, Cyriaci, Largi & Smaragdi Crescētiani, Mēmia & Iuliani, uia Ostiensis, miliario ab urbe Roma plus minus octauo, ubi orationes

R z

eorum florent, nunc & semper, & quousq; iste mundus steterit, regnante Domino nostro Iesu Christo: cui est honor & gloria in secula seculorum, Amen.

VITA MORSQVE SANCTI HIPPOLYTI
martyris per Aur. Prudentium,

Innumeros cineres sanctorum Romula in urbe
Vidimus ô Christi Valeriane sacer,
Incisos tumulis titulos, & singula queris,
Nomina difficile est ut replicare queam.
Tantos iustorum populos furor impius hausit,
Quum coleret patrios Troia Roma deos.
Plurima literulis signata sepulchra loquuntur,
Martyris aut nomen, aut epigramma aliquod.
Sunt & muta tamen tacitas claudentia tumbas,
Marmora quæ solum significant numerum.
Quanta uirum iaceant congestita corpora aceruis
Nosse licet; quorum nomina nulla legas.
Sexaginta illic defossas mole sub una
Reliquias memini me didicisse hominum.
Quorum solus habet comperta uocabula Christus,
Vt pote quos proprie iunxit amicitia.
Hæc dum lustro oculis, & sicubi fortè latentes
Rerum apices ueterum per monumenta sequor:
Inuenio Hippolytum qui quondam schisma Nouati
Presbyter attigerat, nostra sequenda negans.
Vsq; ad martyrij prouectum in signe tulisse
Lucida sanguinei præmia supplicij.
Nec mirere senem peruersi dogmatis olim
Manere diratum Catholicæ fidei,
Quum iam uesano uictor raperetur ab hoste
Exultante anima carnis ad exitium,
Plebis amore suæ multis comitantibus ibat,
Consultus quænam secta foret melior,
Respondit: fugite, ô miseri, execranda Nouati
Schismata, catholicis reddite uos populis.

Vna

Vna fides uigeat, prisco quæ condita templo est,
Quam Paulus retinet, quamq; cathedra Petri, &c.
Dicitur: affirmant dicier Hippolytum.
Ergo sit Hippolytus, quatiat, turbetq; iugales,
Intereatq; feris dilaceratus equis. &c.
Postquam composito satis instruxere paratu
Martyris ad pœnam, uerbera, uincla, feras,
Instigant subitis clamoribus, atq; flagellis,
Itaq; infestis perfodiunt stimulis,
Vltima uox audita senis uenerabilis hæc est:
Hi rapiant artus, tu rape Christe animam, &c.
Scissa minutatim labefactaq; corpore frustra
Carpit spinigeris stirpibus hirtus ager.
Pars summis pendet scopulis, pars sentibus hæret,
Parte rubent frondes, parte madescit humus, &c.
Cernere erat ruptis compagibus ordine nullo
Membra per incertos sparsa iacere situs, &c.
Metando eligitur tumulo locus, ostia linquunt,
Roma placet, sanctos quæ teneat cineres, &c.
Talibus Hippolyti corpus mandatur opertis,
Propter ubi apposita est ara dicata Deo.
Illa sacramenti donatrix mensa, eademq;
Custos fida sui martyris apposita, &c.

S. LAURENTIUS MARTYR.

Ex uarijs autorib.

Diuus Augustinus super Ioannem tract. xxvij.
Sed quid est quod ait: Qui manet in me, & ego
in illo? Quid nisi quod martyres audiebant:
Qui perseuerauerit usque in finem, hic saluus erit?
Quomodo mansit in illo S. Laurentius, cuius hodie
festum celebramus? Mansit usq; ad tentationem: Mā-
sit usq; ad tyrannicam interrogationem: Mansit usq;
ad acerrimam comminationem: Mansit usque ad pe-
remptionem: Parum est, usq; ad immanem excrutia-
tionem mansit. Non occisus est citò, sed cruciatus est
in igne. Diu uiuere permissus est, imò nō uiuere per-

R 3

missus est, sed tarde mori cōpulsus est. In illa ergo lōga morte, in illis tormētis, quæ bene māducauerat et biberat: tāquā illa esca faginatus, & illo calice inebriatus, tormēta nō sensit. Ibi enim erat, qui dixit: Spiritus est, qui uiuificat: Caro enim ardebat, sed spiritus animū uegetabat. Nō cefsit, sed in regnum successit. Dixerat autē illi Syxtus martyr sanctus, cuius diem quinto ab hinc retro die celebrauimus: Noli mœrere fili. Episcopus enim erat ille, iste diaconus: Noli mœrere, inquit, sequeris me post triduū. Triduū autē dixit mediū inter diē passionis S. Syxti & diē hodiernū passionis S. Laurētij: Triduū est mediū. O solatiū. Nō ait, Noli mœrere fili, desinet persecutio, & saluus eris, sed noli mœrere: quod ego præcedo, tu sequeris. Nec cōsecutio tua differtur. Triduū mediū erit, & mecum eris. Accepit oraculū, uicit diabolū, peruenit ad triumphū. Hæc S. August. Iam uerō Maximus Taurēsis de S. Laurētio sanē multa scripsit, & eadē digna lectu, quæ animus erat in hoc quoque uolumē inferere, nisi ueriti fuissēmus prolixitatis tædio lectorē affectū iri. Quæ uerō D. Ambrosius de S. Laurētio cōmemorat, nō potui nō subnectere. Huic muneri proficere debuit aurū redēptoris, ut redimeret periclitātes. Agnosco infusum auro sanguinē Christi non solum irrutilasse, uerum etiā diuinæ operationis impressisse uirtutē redēptionis munere. Tale aurū S. martyr Laurentius Domino reseruauit, à quo cū quærerētur thesauri Ecclesiæ, promissit se demonstraturū. Sequēti die pauperes adduxit: Interrogatus, ubi essent thesauri quos promiserat, ostēdit pauperes, dicēs: Hi sunt thesauri Ecclesiæ. Et uere thesauri, in quib. Christus est, in quibus Christi fides est. Deniq; Apostolus ait: Habemus thesaurū istū in uasis fictilibus. Quos meliores thesauros habet Christus, quàm eos in quibus se esse dixit: Sic enim scriptū est: Esuriui, & dedistis mihi manducare, &c. Et infra: Quod enim uni eorum fecistis, mihi fecistis. Quos meliores Iesus habet

thesauros, quā eos in quibus amat uideri: Hos thesauros demonstrauit Laurentius, & uicit, quod eos nec persecutor potuit auferre. Itaque Ioachim qui aurū in obsidione seruabat, nec dispensabat alimonix cōparandæ, & aurū uidit diripi, & se in captiuitatē deduci. Laurētius qui aurū Ecclesiæ maluit erogare pauperibus, quàm persecutori reseruare, pro singulari suæ interpretationis uiuacitate, sacrā martyrii accepit coronā. Nūquid dictū est sancto Laurentio: Non debuisti erogare thesauros ecclesiæ: uasa sacramētorū uendere: In quos usus uasa ecclesiæ sint dispertienda, uel qualiter, quibus ex causis, tactū opus est, ut quis fide sincera & perspicaci prouidētia munus hoc impleat &c. Hæc S. Ambros. Officio. lib. ij. cap. xxviij. Vide itē Ambros. lib. 2. epist. 7. Sanctus Laurentius uiuus exustus, & flammis superstes dicūt, uersa, māduca. His adiunge si libet, Christiani poetæ Prudentij de S. Laurentio luculentissimum poēma ex suis Peristephanis, ni mirum hæc selectiora.

Fortè hæc sacerdos dixerat,
Iam Xystus, adfixus cruci,
Laurentium flentem uidens,
Crucis sub ipso stipite, &c.
Laurentium sisti iubet,
Exquirat arcam ditibus
Masis refertam, & fulgidæ
Montes monetæ conditos.
Soletis, inquit, conqueri,
Sæuire nos iusto amplius,
Cum Christiana corpora
Plus quàm cruentè scindimus.
Abest atrocioribus
Censura feruens motibus,
Blandè & quietè efflagro,
Quod sponte obire debeas.
Hunc esse uestris Orgijis
Morem, & artem proditum est,

Hanc disciplinam fœderis,
Libent ut auro Antistites.

Argenteis scyphis ferunt
Fumare sacrum sanguinem,
Auroq; nocturnis sacris
Ad stare fixos cereos.

Deprome thesauros, malis
Suadendo quos præstigijs
Exaggeratos obtines
Nigrante quos claudis specu.

Hoc poscit usus publicus,
Hoc fiscus, hoc ærarium,
Ut dedita stipendijs
Ducem iuuet pecunia.

Sic dogma uestrum est audio,
Suum quibusque reddito,
En Cæsar agnoscit suum
Numisma nummis inditum.

Quod Cæsar scis, Cæsar
Da, nempe iustum postulo,
Ni fallor, haud ullam tuus
Signat deus pecuniam.

Nec cum ueniret, aureos
Secum Philippo detulit,
Præcepta, sed uerbis dedit
Inanis à marsupio.

Implete dictorum fidem,
Quam uos per orbem uenditis,
Nummos libenter reddite,
Estote uerbis diuites.

Nil asperum Laurentius
Refert ad ista, aut turbidum,
Sed ut paratus obsequi
Obtemperanter annuit.

Est diues, inquit, non nego,
Habetq; nostra Ecclesia

Opumq;, & auri plurimum,
Nec quisquam in orbe ditior.

Is ipse tantum non habet
Argenteorum anigmatum
Augustus, arcem possidens,
Cui nummus omnis scribitur.

Sed nec recuso prodere
Locupletis aream numinis,
Vulgabo cuncta, & proferam
Pretiosa quæ Christus tenet, &c.

Tribus per urbem curfitat
Diebus, infirma agmina,
Omnesq; qui poscunt stipem,
Cogens in unum, & congregans.

Illic utrifque obrutibus
Orbes cauatos præferens
Baculo regebat præuio,
Errore nutantem gradum, &c.

Tum martyr, alsistas uelim,
Coramq; dispositas opes
Mirere, quos noster Deus
Prædiues in sanctis habet.

Videbis ingens atrium
Fulgere uasis aureis,
Et per patentis porticus
Structos talentis ordines.

Et ille, nec pudet sequi:
Ventum ad sacratam ianuam,
Stabant cateruæ pauperum,
Inculca uisu examina.

Fragor rogantum tollitur,
Præfectus horrescit stupens,
Conuersus in Laurentium,
Oculis turbatis minax.

En ergo nummos aureos,
Quos proximè sponderam,

Opumq;

R s

Quos nec fauillis obruat
 Ruina, nec fur subtrahat, &c.
 Ridemur, exclamat furens
 Præfectus, ac miris modis
 Per tot figuras ludimur,
 Et uiuit insanum caput, &c.
 Prunas tepentes sternite,
 Ne feruor ignitus nimis
 Os contumacis occupet,
 Et cordis intret abdita, &c.
 Confecde constratum rogam,
 Decumbe digno lectulo,
 Tunc, si libebit, disputa
 Nil esse Vulcanum meum, &c.
 Postquam uapor diutinus
 Decoxit exustum latus,
 Vitro è catasta iudicem
 Compellat affatu breui,
 Conuertere partem corporis
 Satis crematam iugiter,
 Et fac periculum, quid tuus
 Vulcanus ardens egerit,
 Præfectus inuerti iubet;
 Tunc ille, Coctum est, deuora,
 Et experimentum cape
 Sit crudum, an assum suauius.
 Hæc ludibundus dixerat,
 Cælum deinde suspicit,
 Et congemiscens obsecrat
 Miseratus urbem Romulam,
 O Christe numen unicum
 O splendor, ô uirtus patris,
 O factor orbis, & poli,
 Atq; autor horum mœnium.
 Da Christe Romanis tuis
 Sit Christiana ut ciuitas,

Per

Per quam dedisti, ut cæteris
 Mens una sacrorum foret, &c.
 Discede adulter Iuppiter
 Stupro sororis oblite,
 Relinque Romam liberam,
 Plebemq; iam Christi fuge.
 Te Paulus hinc exterminat,
 Te sanguis exturbat Petri,
 Tibi id, quod ipse armaueras
 Factum Neronis officit, &c.
 Hic finis orandi fuit,
 Et finis idem uinculi
 Carnalis, erupit uolens
 Vocem sequutus spiritus.

S. CELERINVS CVM SOCIIS SVIS.

-Ex Cæcilio Cypriano.

Agnoscenda & cõplectenda sunt, fratres dilectissimi,
 beneficia diuina, quibus ecclesiã suã dominus illu-
 strare tẽporibus nostris & honestare dignatus est, cõ-
 meatũ dando nobis cõfessoribus suis & martyribus
 gloriosis, ut qui sublimiter Christũ cõfessi essent, cle-
 rũ postmodũ Christi ministerijs ecclesiasticis adorna-
 rent. Exultate itaq; & gaudete nobiscũ lectis literis
 nostris, quibus ego & collegæ mei qui præfetes ade-
 rãt, referimus ad uos Celerinũ fratrem nostrũ uirtutib.
 pariter & moribus gloriosũ clero nostro non huma-
 na suffragatione, sed diuina dignatione cõiunctũ, qui
 cũ cõfẽtore dubitaret, ecclesię ipsius admonitu & hor-
 tatu in uisione per noctẽ cõpulsus est ne negaret: no-
 bis suadetibus, cui plus licuit, & coëgit, quia nefas
 fuerat, nec decebat sine honore ecclesiastico esse, quẽ
 sic dominus honorauerit cœlestis glorię dignitate.
 Hic ad temporis nostri præliũ primus, hic inter Chri-
 sti milites antesignãus, hic inter persecutionis initia
 feruentia cũ ipso infestationis principe & autore con-
 gressus, dum inexpugnabili firmitate certaminis sui
 aduersariam uincit, uincendi cæteris uiam fecit,

non breui compendio uulnerum uictor, sed herentibus diu & permanentibus pœnis longè colluctati, onis miraculo triumphator. Per decem & nouem dies custodia carceris septus, in neruo ac ferro fuit. Sed posito in uinculis corpore, solutus ac liber spiritus mansit. Caro famis ac fitis diuturnita & contabuit, sed animam fide & uirtute uiuentem, nutrimentis spiritualibus deus pauit. Iacuit inter pœnas pœnis suis fortior, inclusus includentibus maior, iacens stantibus celsior, uincientibus firmior uinctus, sublimior iudicantibus iudicatus. Et quamuis ligati neruo pedes essent, calcatus serpens & obrutus & uictus est. Lucent in corpore glorioso clara uulnerum signa, eminent & apparent in membris longa tabe consumptis expressa uestigia. Suut magna, sunt miraque de uirtutibus eius ac laudibus fraternitas audiat. Et si aliquis Thomæ similis extiterit, qui minus auribus credat, nec oculorū fides deest, ut quisquis quod audit & uideat. In seruo Dei uictoriam gloria uulnerum fecit, gloriam cicatricum memoria custodit. Nec rudis iste aut nouus est in Celerino charissimo nostro titulus gloriarum, per uestigia cognitionis suæ graditur, parentibus, ac propinquis suis honore consimili diuinæ dignationis æquatur. Auia eius Celerina iam pridem martyrio coronata est. Irē patruus eius & auunculus Laurentius & Ignarius in castris & ipsi quondam secularibus militantes, sed uerū & spirituales Dei milites, dum diabolū Christi professione prosternunt, palmas à domino & coronas illustri passione meruerunt. Sacrificia pro eis semper, ut meministis, offerimus, quoties martyrum passiones & dies anniuersaria commemoratione celebramus. Nec degener ergo esse, nec minor poterat quem sic domesticis exemplis uirtutis ac fidei prouocabat familiæ dignitas & generosa nobilitas. Quod si in familia seculari prædicationis & laudis, est esse patri-

patricium; quanto maioris laudis & honoris est fieri in cœlesti prædicatione generosum? Non inuenio quem beatiorem magis dicam, utrum ne illos de posteritate tam clara, an hunc de origine gloriosa. Ita æqualiter apud eos recurrit & com meat diuina dignatio, ut & illorum coronam dignitas sobolis illustrer, & huius gloriam sublimitas generis illuminer. Hunc ad nos fratres dilectissimi, cum tanta Domini dignatione uenientem, testimonio & miraculo eius ipsius, qui se persecutus fuerat illustrem, quid aliud quàm super pulpitu, id est, super tribunal ecclesiæ oportebat imponi, ut loci altioris celsitate subnixus, & plebi uniuersæ pro honoris sui claritate cōspicius legat præcepta euangelij domini, quæ fortiter ac fideliter sequitur? uox dominū confessa in his quotidie, quæ dominus locutus est, audiatur? Viderit an sit ulterior gradus, ad quem proficisci in ecclesia possit. Nihil est in quo magis cōfessor fratribus profit, quàm ut dū euangelica lectio de ore eius auditur, lectoris fidem quisquis audierit, imitetur. Iungendus in oratione Aurelio fuerat, cum quo & diuini honoris societate coniunctus est, cū quo omnibus uirtutis & laudis insignibus copulatus est. Pares ambo & uterq; cōsimiles. In quantum gloria sublimes, in tantum uere cunctia humiles. Quantum diuina dignatione promori, tantum sua quiete & tranquillitate summissi, & uirtutum pariter & morum singulis exempla præbentes, & congressioni & paci congruentes. Illic robore, hic pudore laudabiles. In talibus seruis lætatur dominus. In eiusmodi confessoribus gloriatur, quorum secta conuersatio sic proficit ad præconium gloriæ, ut magisterium cæteris præbeat disciplinæ. Ad hoc eos Christus esse in ecclesia diu uoluit, ad hoc de media nocte subtractos, quadam dixerim resurrecti one circa eos facta, incolumes reseruauit, ut dum nihil in honore sublimius, nihil in humilitate submissius

missus à fratribus cernitur, hos eodē fraternitas
 festā comitetur. Hos tamen lectores interim custo-
 ditos sciatis, quia oportebat lucernam super candelā
 brum poni, unde omnibus luceat, & gloriosos uul-
 tus in loco altiore cōstitui, ubi ab omni fraternita-
 te circumstante conspecti, incitamentum gloriæ uide-
 ribus præbeant. Cæterum presbyterij honorem de-
 signasse nos illis iam sciatis, ut & sportulis iisdem cū
 presbyteris honorentur, & diuisiones mensuræ æ-
 quatis quantitibus partiantur, seffuri nobiscū pro-
 uectis & corroboratis annis suis, quamuis in nullo
 minor possit uideri ætatis indole, qui consummauit
 ætatem gloriæ dignitate.

BARTOLEMAEVS APO-
 stolus.

EVsebius de S. Barptolemæo: Barptolemæus In-
 diam citeriorē sortitus est, lib. iij. cap. j. Et lib. v.
 cap. x. sic scribit: Pantænum ferunt, cum ad In-
 dos peruenisset, reperisse, quod Barptolemæus Apo-
 stolus apud uos fidei semina primā condiderit, &
 Matthæi Euangelium Hebræis scriptum literis dere-
 liquerit, & c. Ioachimus Vadianus sic meminit S. Bar-
 ptolomæi: Inter suppliciorū genera excoriationem
 Persas habuisse. Marcellinus li. xxij. tradit, pœnant
 sine dubio uicinis etiam gentibus cognitam. ut ueri-
 simile sit, quod de Barptolemæo Orientis Apostolo
 excoriato proditum est. De S. Barptolemæo sic ha-
 bet D. Hieronymus in libro de Viris illustribus.
 Barptolemæus Apostolus Indis, ijs qui dicun-
 tur Fortunati, prædicauit euangelium Christi:
 & Euangelium, quod est secundum Mat-
 thæum, eis tradidit. Dormiuit autem
 Albanopoli, oppido maioris
 Armeniæ.

De

DE DECOLLATIONE S. IOAN. BAPTISTAE
 Ex Baptista Mantuano.

Herodes Herode fatus uasana propago,
 De patre uasano fratris consorte Philippi,
 Usurpata ingens scelus, immanemq; rapinam,
 Ausus erat, tātūq; nefas iactabat in horas
 Id Baptista palām facinus reprehēdere adortus
 Iram Herodiadis, nam regis adultera nomen
 Hoc habuit, subito incurrit crudelior hydra
 Illa sacro insidias uati, laqueosq; tetendit,
 Huic erat eximio uultu, uiriditq; iuuenta
 Filia, quæ cūm Rex proceres ad festa uocasset
 Natali celebranda die, saltauerat inter
 Solennes epulas, & regia pectora tantum
 Mouerat, ut se rex peteret quæcunq; daturūm
 Dixerit, hæc sceleri uox est uia facta nefando,
 Nam cūm consuleret matrem petitura quid esset,
 Mater ait, Pete Baptistæ, pete filia nobis
 Funestum, dirumq; caput, linguamq; procacem.
 Ipse autem dudum uates in uincula missus
 Ob regale odium fuerat, uinctusq; iacebat
 Qua sedet in terris Arabum Macheronta Sabæis.
 O scelus, ô immane nefas, ô cognita nunquam
 Ante hac impietas. Hominum sanctissimus isti
 Traditur incestæ, pellex olidissima calcat
 Fas, & iura, decus mundi ludibrio habetur
 A meretrice, iocus de maiestate triumphat,
 De uirtute scelus, de iure iniuria, sicq;
 Naturæ ac simul ac morum subuertitur ordo.
 Quo deus hoc uultu uidit: cur sydera non sunt
 Hoc opus indignata? solum cur pertulit huius
 Criminis autorem? cur non absorbuit Orcus
 Illico? & ad Stygias subito non corruit umbras?

S. Agidi

S. AEGIDIUS CONFESSOR CHRISTI.

Per G. Vicel.

Aiunt Ægidium Græcum Athenis natum, patre Theodoro, matre Pelagia, utroque Christiano. Qui primis statim annis pietatis specimen edidit, egrotando nimirum cuidam suam ipsius vestem impartiens, diu Martini non inegregius imitator futurus. Porro relictis patrimoniis Christum suum heredem instituit, hoc est, decreuit illud ipsum in egenos, Christi minimos, hilariter dispergere. Copiose dedit de copiosa hereditate. Maluit bonorum operum diues esse, quam pecuniarum. Cum uero inclarescere cœpisset in patria, uitandæ celebrioris famæ gratia, Græciæ ualedicens, nauigio deuenit in Galliam: & Malsiliæ innotuit Cæsario Arelateni præfulti, qui cupide fruebatur sancti uiri colloquio. Illinc perrexit, & transito Rhodano, delapsus est ad eremum quandam, in qua Veredemium illum reperit, anachoretam miraculis æditis insignem, Ægidio superiorem. Apud hunc quoque demoratus aliquantisper, utpote eodem spiritu, eademque mente præditus, ubi Deo uisum fuit, relicto Veredemio de peculiari sibi domicilio prospexit, in quo solus Deo nostro uacaret totus. Antrum uero hoc erat, feris quam hominibus accommodatius domicilium. Quo tempore Flauius Gotthorum rex monarchiam tenuisse dicitur, circa annum Domini DCC. Solitario igitur, omnibusque humanis commodis destitutus, cerua lactis alimentum subministrasse scribitur, quam cum uenatores aliquando consecrarentur usque ad speluncam, ac iaculis conarentur figere, ipsum monachum ex improviso tetigerunt. Eo uulnere nihilo tristior factus, in pio proposito durauit: & regis aliorumque ad se comitantium munera respuit: docuit uero & monuit relictis, præterquam quod per Christi Iesu nomen multos infirmos bonæ ualitudini restituit. Aiunt isto in loco

loco regis munificentia, monasterium templumque illum exadificasse, & syncerè monachorum greges ibi pauisse uerbo, iam sacerdotij honore adeptum. Multis post annis Romam accessit, confirmandæ communis gratia. Dein regressus in Galliam, suo in monasterio lætus ad Christum migravit, magna pijs hominibus relicta mœstitia.

S. MATTHÆVS APOSTOLVS,

Matth. ix. Luc. v.

Progrediens tunc inde ad uectigalia, uidit Confessum in medio Matthæum, protinus illi Discipulis hæere iubet: nihil ille recusans, Imperio Christi parer, gaudetque secutus.

Ex Iuueno
presbytero
Hispano.

De S. Matthæo habet hæc Eusebius noster: Sed & reliqui domini ac saluatoris nostri discipuli, non solum ex illis duodecim, sed & si qui extra hunc numerum, de schola tamen Domini & saluatoris nostri, sermonem aliquem, diuinitus inspirati, memoriæ reliquerunt, breuem hunc & succinctum per omnia esse uoluerunt. Igitur ex ipsis discipulis Domini, Matthæus tantummodo & Iohannes ad scribendum apulisse animam traduntur, necessitate quadam in hoc ipsum prouocati. Matthæus enim, primo Hebræis prædicabat. Verum cum pararet transire ad gentes, patria lingua scripturam composuit, & ea quæ prædicarat, comprehendens, dereliquit his ad memoriã, à quibus proficiscebatur, ut Gentibus prædicaret. Post hunc Lucæ & Marci scriptura Euangelica, &c. lib. iij. cap. xxiiij. Idem de Euangelio Matthæi Hebraice scripto, lib. iij. cap. xxxix. Item lib. v. cap. x. D. Hieronymus in uiris illustribus de S. Matthæo sic: Matthæus, qui & Leui, ex publicano apostolus, primus in Iudæa propter eos qui ex circumcisione crediderant, Euangelium Christi Hebraicis literis uerbisque composuit. Quod quis postea in Græcum transtulerit, non satis certum est. Porro ipsum Hebraicum habe-

Ex Eusebio
Cæsariensi.

Ex Hieron.
Stridonensi.

tur usque hodie in Cæsariensi bibliotheca, quã Pamphilus martyr studiosissime confecit. Mihi quoq; à Nazaræis, qui in Berœa urbe Syriæ hoc uolumine utuntur, describendi facultas fuit. In quo animaduendum, quod ubicunq; Euangelista siue ex persona sua, siue ex persona Domini saluatoris, ueteris scripturæ testimonijs utitur, non sequatur Septuaginta translatorum autoritatem, sed Hebraicam, è quibus illa duo sunt: Ex Ægypto uocauit filium meum. Et: Quoniam Nazaræus uocabitur. Nostro hoc tempore, quantumlibet calamitose, edidit Ioannes Luctretius, non Matthæum tantum, uerum reliquos etiam euangelistas lingua Aramica seu Chaldaica. Vientæ in Austria perquam elegãter excufos: qui hominis catholici labor ac industria, conuertendis ad euangelij fidem Afianis, permagnum momentum erit.

S. MAURITIUS, LEGIO QVÆ

Thebana.

Per Georg. Vicel.

THebæ urbs Ægypti olim populosissima, Plinio Diospolis, hoc est, Iouis ciuitas dicta, Apostolica prædicatione primum ad Christi Iesu cognitionem adductæ, celeberrimam ecclesiam habuerunt: è cuius ceu lapidibus uiuis Mauritius, Exuperius, Victor, alijq; permulti, Domino seruatori suo cœlesti gloriosum triumphum exhibuerunt, idq; in sancti Euangelij non intermoriturũ decus. Susceperat Heraculus Maximianus Cæsar Rom. expeditionem ingentem aduersus Galliarum rebellionem. Nam Bagaudæ colla sua Rom. imperij iugo subtrahere nitentur, quo ausu postea omnes ferme Afiani descuerunt. Ad eam expeditionem euocantur & Orientales fortissimi quicq;. Tametsi uerisimile est, tyrannum Maximianũ dolo quosdam ex Orientis prouincijs, uidelicet Christianos euocasse, ut occasione quauis oblata, turmatim interficerentur, qui domi inquiri necari ue

rari ue non perinde poterant. Accidit igitur, ut tota legio Thebæorum militum selecta, in Italiam ex Syria mitteretur. Huic uero legioni militari præfectus fuerat uir ille Mauritius, quo exercitum ductante Thebani Romam intrarant. Ibi cum fuissent à Marcello sancto pontifice in uerbifide consolidati, exercitum imperatoris in Galliam usq; per Alpes sequuntur: sed ea mente, quod occidi malint, quã Euangelij fidem prodere. Atq; tum Cæsariani forte castra cõstituerant non procul ab oppido, quod alij Octodorum, alij Ottodorum appellant. In eo loco, instinctu satanæ, tyrannus impijssimus cœpit dæmonibus suis, facere sacrum, adq; eam impietatem conuocare, imò iussu suo cogere uniuersos milites, tam Occidentis, quã Orientis: seuerè mandans, ut per deorum aras iurarent, partim uno animo uelle se oppugnare Bagaudas, partim Christianos, dijs inimicos persequi. Ea de abominatione certiores facti Thebani, sine uicõ Christiani, superfederunt Octodorum accedere, hærentes tantisper in loco quodam, iuxta Rhodanum, uocant Agaunum: nam hic extingui, quã tantum cõmittere sacrilegium maluerunt. Protinus ubi rescisset tyrannus sanctæ legionis institutum, accensus iracundia, militaris sacramenti nomine hanc attrahere tentat. Legio sine mora respondet, se Christianam planè, eam ob causam minime licere sibi, ut uel deos alienos adoret, uel deum suum perneget, qui ut uiuus, ita unus est: & ex abundanti statuisse se, quod modis omnibus religionem orientali more traditam tueri uelint. Quam Apologiam catholice credetium Thebanorum cum percepisset Maximianus, ilicò misit satellitium suum, præcipiens, ut è legione Christiano deditorum stratiotõn decimus quisq; gladio feriretur. Atque hic nullo mortis terrore postulati ad supplicium, ceruices suas ferro dederunt: ita enim illis spiritus Domini suggessit, tum sacra Euangelij

*Verba histo-
ria, ex Eul-
denſi biblio-
theca.*

doctrina iuſſit. Poſt effuſum cruorem innoxii ſump-
to animo, Mauritiuſ orationem habuit mirifice uiui-
dam, nihilq; præter Chriſtum ſpirantem, qua uideli-
cet Chriſtianorum militum animos ad ſupplicij tol-
erantiam inflammauit ſimul, ac à reſiſtendo cohibuit.
Gratulor, inquiens, ut tui ueſtræ commilitones op-
timi, quod religionis amore uobis Cæſaris minæ
nullam attulere formidinem, quodq; iuxta præcep-
tum domini, gladium in uagina conditum eſſe ſini-
tis. Haſtenſ exempla ſacris libris contenta legeba-
mus, nunc uerò coram quos imitari oporteat, ipſi af-
peximus. Non magnopere curandum eſt, quid impe-
rator iubeat, qui mortalitatis forte mihi æqualis eſt.
Sacramenta olim dediſſe nos memini, quod contem-
tu lucis iſtius, defendere rempub. uelimus. Tunc qui-
dem promiſi corporis mei uilitatē, & ſponſi hęc
imperatorib. fidem, nec id temporis ullus mihi reg-
na tamen cœleſtia repromiſit. Quid igitur Chriſto re-
promittente faciendum, ſi iſtud militiæ ſacramentum
promittere ipſi potuimus? Quare ſit in nobis uiril-
tantum animus, fides inuiolata permaneat, &c. Mox
apophrophen adnectens, ſic fatur: Milites quidem tui
ſumus Cæſar, ac ad defenſionem reipublicæ arma
Romana ſuſcepimus: nec unquam aut deſertores aut
proditores exitimus, nec ignauitæ ſubiuiſimus infami-
am: quin tuis etiam præceptis præſentibus morem
geremus, niſi Chriſtiani dæmoniorum aras religio-
ne uitaremus. Comperimus decreuiſſe te, ut aut ſa-
cilegijs pollueres, aut afficeres ſupplicio. Ne inquire
in nos. En palam Chriſtianos, quotquot cõſpicias.
Habes hic quidem noſtra corpora poteſtati tuæ ob-
noxia, uerum animæ noſtræ Chriſtum authorem ui-
tæ reſpicientes, te nihil timebunt, &c. Hoc Euangelij
claſſicum protinus ad imperatorem Octodori de-
morantem ſatellites referunt: unde in furorem acta
belua, denuò iuſſit addecimare inſignem pietate le-
gionem.

gionem. Quo ſcelere patrato, conſurgens uexillifer
Exuperius, ad Chriſto iurataſ legionem hæc inter
cætera uerba fecit: Aliud uobis, o fratres commilito-
nes, eligendum eſt prælij genus. Neq; enim his gla-
dijs poterimus ad cœleſte regnum perſtingere. Robo-
re nobis opus eſt, & inuictis animis, ut ad ultimum
uſq; ſtatum, fidem quam Deo promiſimus, integram
cuſtodiamus. Proſciant dexteræ ueſtræ arma iſta cū
ſignis militaribus, &c. Ear truculentus ſatelles, &
hęc imperatori renunciet: Milires quidem tui ſumus
Imperator, ſed (quod liberius conſitemur) ſerui Dei.
Tibi debemus militiam, at illi innocentiam, &c. Te-
nemus arma, nec malo reſiſtimus: quandoquidem oc-
cidi, quàm occidere malumus: atq; innoxij interire,
quàm noxij uiuere præoptamus. Quicquid aduer-
ſum nos nunc ſtatuertis, ſubire certum eſt. Chriſtiani
ſumus, Chriſtianos perſequi non poſſumus. Inex-
pugnabiles legionis huius animos cognoſce Cæſar.
Tela quidē proſcimus, & exarmatas dexteras tuas Cæ-
ſar ſatelles, ſed catholica fide pectus armatum, inue-
niet, &c. Hoc tyranno ſimulataq; eſt renunciati, præci-
pit legione omnē tam peditatu, quàm equitatu ſuo-
rum cingi, & cinctā in uniuerſum iugulari. Qua ſtra-
gē facta, opertā tellurē fortiter occumbentiū corpo-
ribus & riuulos fluitare ſanguine iuſtorum uidiffes.
Nulla unquā rabies tyrannica, extra commiſſum præ-
liū tantam humanorū corporum cladem dedit. Dici-
tur Victor quidam ſuperueniſſe, dum à cede cruen-
tiſſima Cæſariani læti epularentur: & cūm percepiffet,
Chriſtianos trucidatos, doluit ſe ſuperſtitē: Atq;
patefacta Chriſtiani nominis confeſſione, factus eſt
ipſe quoq; Chriſti uictima. Additur in quodam codi-
ce, Aduenticiuſ, Octaniuſ, & Solutorē, de quibus
martyribus S. Ambroſiuſ ſermonem Mediolani ha-
buit, cuiuſdem item fuiſſe legionis. Paſſos aiunt circa
annum Domini cclxxvii. Præſatio doctõris Ec-
S 3

clerici de his in hunc modum: Caterua fidelium diuino lustrata lumine, ab extremis terrarum finibus ueniens, tibi domine fideliter supplicauit. Et tam corporis bellatorum mucronibus circumsepta legio, quam spiritualibus etiam armis uallata, ad martyrium uigili constantia properauit. Hos pestifer tyrannus, ut eos metu perterreret, ad internitionem supplicij gladio decimauit: atque postmodum constanter eos perdurantes in fide, uniuersos pariter capite percussit. Sed hi tanto charitatis ardore feruebant, ut eiectionis armis flexo poplite passim geniculantes spiculatorum tela hilari corde susciperent. Inter quos beatus Mauritius, tuarum fidei amore succensus, decertando martyrij est coronam adeptus. Hæc diuus Ambrosius.

DE ANGELIS DEI,

per Des. Eras. Roterod.

Angeli quoque multis nominibus sunt nobis amandi, uel quia domino communi familiari ter inseruiunt, uel quia iussu summi principis ex animo bene uolunt electis, additi nobis custodes aduersus impios spiritus, quorum presentia nos deberet peccando deterrere. Contristamus enim illos, & a nobis prostigamus, quoties contemptis Dei præceptis satanæ paremus instinctibus. Ille cum suis satellitibus nusquam non uigilat, ut perdat: hi semper uigilant, ut tueantur. Tot enim casibus expõsita est humana uita, ut pauci infantes peruenirent ad adolescentiam, pauci adolescentibus ad uirilem ætatem, pauci uiri ad senectutem, nisi nostri curam assiduam gererent angeli. Par est redamare, qui nobis bene uolunt: par est uenerari, qui naturæ sunt sublimioris, & in amore Dei constabili. Deferunt nostra uota ad Deum, referunt ad nos illius munificentiam, solatiu adferunt in afflictionibus: Nam & Christum in agone confortasse leguntur. Inspirant sancta desideria, adiu-

adiuant in tentatione: bonis nostris exhilarantur, malis quodammodo indolescunt, omnes expectant consummationem corporis Christi. Adorandi tamē non sunt, licet in ueteris instrumenti uoluminibus legamus adoratos angelos, uelut Genesios xvij. Sed intelligendum est, uel illos in angelis adorasse Deum, uel adorandi uerbum positum pro uenerandi, quemadmodum legimus & reges adoratos. Quamquam hoc ipsum honoris angelus recusat in Apocalypsi, agnoscens, ad quam dignitatem per uerbum carnem factum subiecta esset natura humana, seque conseruum profitetur, quum in ueteri Testamento patientur se uocari dominos. De natura angelorum non est necesse altius philosophari, quam in canonicis libris traditum est. Angelos esse constat, ac per hos deum administrare res hominum. Ordinum quorundam tituli proditi sunt, quorundam etiam propria nomina. Mentis sunt incorporeæ, quæ si quando apparent, assumptitiæ speciem exhibent oculis. Dicuntur uiri, non quod ullus sexus sit in angelis, sed quod ea specie sese ostendunt. Quoniam autem humanæ mentis hebetudo ægre credit esse, quod non uideret, expedit illud teneris protinus animis instillare, esse spiritus inuisibiles, testes omnium actionum nostrarum, atque adeo cogitationum quoque, quibus grata est sobrietas, pudicitia, ueritas, simplicitas, & quicquid ad ueram pietatem pertinet, ut omnes excludas homines, angelum tamen habes spectatorem. Similiter agendum, ut de sanctis uita defunctis religiosam imbibant opinionem.

DE MALIS ANGELIS.

Ex Lactantio

Firmiano.

Cum ergo numerus hominum cœpisset crescere, providens Deus, ne fraudibus suis diabolus, cui ab initio terræ potestatem dederat, uel corrumpere,

uel dispergeret homines, quod in exordio fecerat: misit angelos ad tutelam cultumq; generis humani. Quibus præcepit ante omnia, ne terræ contagione maculati, substantiæ cœlestis amitterent dignitatem: scilicet id eos facerè prohibuit, quod sciebat esse facturos, ut ueniam sperare non possent. Itaq; illos cū omnibus commorantes, dominator ille terræ fallacissimus, consuetudine ipsa paulatim ad uitia pellexit, & mulierū congressibus inquinauit. Tum in cœlum ob peccata, quibus se immerierant, non recepti, ceciderunt in terram: sic eos diabolus ex angelis dei suos fecit satellites, ac ministros. Qui autem sunt ex his procreati, quia neq; angeli, neq; homines fuerūt, sed mediam quandam naturam gerentes, non sunt ad inferos recepti, sicut in cœlum parentes eorum. Ita duo genera dæmonum facta sunt: unum cœleste, alterum terrenum. Hi sunt immundi spiritus malorum, quæ gerunt auctores, quorum idem diabolus est princeps. Vnde Trismegistus illum dæmonarchæ uocat. Dæmonas autem grammatici dictos aiunt, quasi *δαίμονας*, id est, peritos ac rerum scios. Hos autem putant deos esse: sciunt illi quidem futura multa sed non omnia, quippe quibus penitus consilium Dei scire non liceat: & ideo solent responsa in ambiguo exitu temperare.

S. HIERONYMVS ECCLESIAE

Presbyter.

Def. Erasmus Roter.

Natus est uir eximius Hiero. anno à Christo nato trecentesimo trigesimo primo, sub Imperatore Constantino, in oppido Stridonis, quod iam tum à Gothis omnia populantibus, euersum fuisse, testis ipse est in Catalogo scriptorum illustrium, olim Dalmatiæ Pannoniæq; cōfinium. Erat illi frater natu minor, nomine Paulinianus, nam sororis nomen tacuit. Matertera Castorina, cum qua dissidij nescio

nescio quid intercesserat, ob rem (ni fallor) familiarè: quam tamen humanissimis literis ad concordiam inuitat. Patri nomen fuisse Eusebio, declarat ipse, quod Græcis à pietate dictum est, non absq; presagio, quod pulchre conueniat, ut ex pio nascatur ille sacri nominis heros. Nam id sonat *εὐσεβία*. Atq; ea demum est digna Christiani nominis gloria, quæ non ex stemmatis, aut imaginibus, non ex oppidis euerfis, aut concussis copijs, sed ex uita pie sancteq; acta nascitur. Matris nomen nusquam edidit: non tacens tamē se parente utroq; Christiano genitum. Ab his domiligenter institutus, unā cum Bonoso inter ipsos statim parentum amplexus, & nutricum blanditias Christum imbibit, ac mox Christianæ pietatis rudimentis imbutus, simulq; bonis literis, quarū ea tum ætas capax esse poterat, puer adhuc Romam missus uelut ad primariam eo sæculo tum religionis, tum eruditionis magistrā, liberalibus studijs eruditus, &c. Quamuis uerò illis temporibus, & apud Gallos, Hispanos & Afros, florent literarum studia, tamen in prouincijs pro gentis ingenio non nihil degenerantes, Romæ uelut in suo fonte puriores adhuc erant, & incorruptiores. Hic interim apparet Hieronymum Christo renatum, in illius iurasse uerba, ut hoc cerrè nomine Roma iure sibi posset hunc uirum asserere: quandoquidem à Baptismo deniq; censetur Christiani. Id satis indicat in epistola quadam ad Damasum papam, testificans sese eius urbis fidem uelle sequi, in qua Christi uestem accepisset. Nec enim de presbyterio sentit, opinor, sed in baptismo uestis candida dabatur, symbolum innocentiæ, & lotis mandabatur, ut candorem uestium suarum illibatum seruarēt. Igitur in prophanis literis ad plenum eruditus, ad grauiora studia iam adiiciens animum, hac etiam parte laudatissimos uiros esse imitatus, uelut Pythagoram, Platonem, Apolloniam, ut

lustrandis regionibus sapientiæ supellestem redderet auctiorē. Pensitatis autē omnibus, ac circumspēctis, monachi placuit institutū: quōd nequis in hoc erreret, id temporis longe diuersum, erat ab hoc, quod hodie uidemus, &c. Verūm post Bonosi secessum, & ipse Hieronymus ordinatis domi rebus, cōflato uatico, cum primis autē locupletissima bibliotheca summo studio cōparata, Syriā adiit, Heliodoro tū itineris comite, tum propositi cōsorte. Sed statim nō uno loco sedit, imō aliunde aliō uertit sedem, quo tandē circūspēctis omnibus, habitaculū suis accōmodū uotis deligeret, &c. Tandē uelut in semotissimā erēmū abdidit sese, quæ Syriam à Saracenis determinat: fatuus esse ducens, cū feris ac prædonibus barbaris habere cōmerciū quā cū eiusmodi Christianis. Hic annos quatuor ab hominū frequentia semotus, cum solo Christo, cumq; libris habebat commercium, &c. Primum erat studiū, adolescentiæ lapsus lachrymarum imbre diluere, & laborum asperitate ueluti nitri acrimonia, contractas per ætatis incogitantiam sordes detergere. Inedia, uigilijs, & incredibili rotius uitæ austeritate rebellantē carnem, & subinde repullulantem ætatis lasciuiam cohercebat, corpus spiritui seruire docens, ne quid obstreperent affectus cœlestem molienti uitam, ipse sibi rigidus exactor supplicij, & instantissimus pensarum efflagitator atq; *ἐργασίας* ut uocat alibi, &c. Tempus omne studijs & precibus partiebatur: bonam etiam noctium parrem his operis addens, minima portio dabatur somno, minor cibo, nulla ocyo. Studiij lassitudinem recreabat deprecatio, aut hymnus: mox uelut integer ad intermissam lectionem redibat. Relegebat uniuersam bibliothecā suam, ueterum studiorum memoriā sibi renouans, sacras literas ad uerbum ediscebat. Meditabatur in prophetis, in eruendis oraculorum myste-
rijs uigilantissimus. Ex Euangelicis & Apostolicis literis,

literis, ne lute ex purissimis fontibus. Christi philosophiam hauriebat. Lectioni miscebat scribendi studium, ceu iam tum uelutans ac præludens tractandis literis diuinis. In his sanctissimis laboribus, in hoc uitæ rigore, quum annos aliquot duraret, tamen fatetur nullum uitæ genus sibi fuisse iucundius, &c. Uisebatur nonnūquam ab amiculis, uicinos monachos inuisebat aliquoties, & literarum uicissitudine fruebatur amicis absentibus. Tandem concito gradu Bethlehem suam reuersus est, ubi adorauit præsepe & incunabula saluatoris: habuit comites Romanas matronas Melaniam & Paulam, Marcella tametsi & ipsa Bethlehemitico rure relicto, Romam se recepit metu Barbarorum omnia passim uastantium ac populantium, tamen in amicitia fidelissime perstitit, Hieronymianas partes acerrime defendens. Gregorium Nazianzenum præceptorem ipse suum appellat, & hoc interpretante, se sacras didicisse literas testatur. Verūm ubinam audierit hominem, aut quanto tempore, parum mihi compertum est. Nam is uitæ mutauit institutum, & sponte cedens episcopi locum, ruri abditus, monachi uitam exegit. Apollinarium Antiochenæ apud Syros ecclesiæ episcopum frequenter audiuit Antiochiæ, & domesticam cum illo consuetudinem egit, adhortante Paula, & sumptuum, ut conijcio, partē suppeditare. Alexandria item usus est præceptore Didymo. Demum ascito Barhanina Iudæo, quod in literis Hebraicis aut diminutū erat, aut exciderat, suppleuit & instaurauit. Cæterū non uno in loco declarat, se corpusculo imbecilli fuisse, crebrisq; morbis ac diutinis obnoxiiū, etiā antequam ueniret feneſtus. Nec dubitandū, quin pleraq; ualitudinis incommoda sibi conſarit austeritate uitæ perpetua, sed præcipua nocturno studio: super omnia uerō scribendorum uoluminum indefesso labore, quas ob res frequenter coactus est uti notariorū opera, & quemadmodū ipse loquitur, auribus tantū linguaq; studere.

Paulam discipulam & patronam suam præmisit in cælum, cui quamdiu fuerit superstes, nõ satis liquet. Tandem uitæ cursu felicissime peracto, ad immortalitatis lauream est euocatus, anno ætatis suæ nonagesimo primo. anno uerò salutis humanæ quadringentesimo x xii. sub Honorio & Constantio iam in Imperij consortium assumpto. Ferunt ossa postea Romam translata fuisse. Si quidem & hodie monumentum illius monstratur in Exquilijis apud ædem uirgini matri sacram, iuxta præsepe Christi.

S. DIONYSIVS EPISCOPUS ET
Areopagita. Ex Ambrosio
Chamalduenfi.

Nobilitatem generis, diuitiarumq; copiã magni Dionysij, Atheniensium Concilium, cuius per electionem particeps erat, ostendit aperte. Nam ut diuinus nos Lucas in scribendis Apostolorum actibus docuit, Areopagitarum fuerat unus. Cum enim Apostolus Paulus Athenas petijset, atq; cum philosophis tum Epicureis, tum Stoicis uerba fecisset, Christumq; ipsis Dominum nostrum, mortuorum resurrectionem, & generale iudicium prædicasset: captus atque ad Areopagitas ductus, prædicatione sua nonnullos etiam ibi confestim lucratus, ad ueritatis lucem reduxit, qui & recedentẽ secuti sunt. In his Dionysium quoq; Areopagitam fuisse, mulieremq; Damarim nomine, aliosq; cum ipsis nonnullos tradidit. Ego autem non arbitror absq; causa præter cæteros, qui tunc diuina Pauli prædicatione crediderunt, Dionysium à scriptore, qui spiritu dei mouebatur, tantummodo ipsa etiam addita dignitate nominatum fuisse. Areopagita enim (inquit) Dionysius fuit. Sed credo ita factum, quia & sapientia præcipuus fuit, & uitæ apud Athenienses sanctissimæ. Non enim quoslibet, sed genere, diuitijs, uitæq; sanctimonia primos atq; præclaros ad Concilium illud deli-

deligebant. Et antiquitus quidem, ut Androcio in secundo rerum Atticarum libro refert, ex nouem primis magistratibus, nouem primi deligebantur. Postea uerò Areopagitarum numerus usq; ad quinquaginta uirum concreuit: primarij tamen semper uiri (ut diximus) eligebantur, ut etiam Philochorus in tertio rerum Atticarum scripsit. Erat autem pagus Martius extra urbem Athenas, ubi Areopagitarum Concilium, leges contemnentium, causas cognoscebat, quas omnes Androcio in primo, & Philochorus in secundo & tertio rerum Atticarum enumerat. Ita & diuinus Paulus quasi nouos deos prædicans, à fatuata sapientiæ studiosis ad Martium, trahitur pagum. Sed præcipuus inter eos, ueritatisq; amator diuus hic Dionysius, integro suo Pauli prædicationem iudicio confirmauit, atq; ilico inani Areopagitarum grauitate relicta, lucem prædicationis Pauli dominum nostrum Iesum Christum secutus est. Nam & si Romani temporibus illis imperio suo domuerant omnia, Athenienses tamen atq; Lacedæmonios legibus, moribusq; suis liberè uiuere permiserunt: unde Martij pagi concilium dignitatem adhuc suam retinebat. Ita igitur ueritati iam adhærens Dionysius, primum à Paulo salutis dogmata percepit: deinde Maximo Hierotheo (ut ipse ait) secundo usus est præceptore, & demum (ut in septimo Apostolicarum institutionum libro scribitur) episcopus à Paulo Atheniensium, qui credebant, statuitur. Huius beati Dionysij, Dionysius alter antiquissimus Corinthiorum episcopus meminit: & Polycarpus in quadam eius ad Athenienses epistola. Sed rectam magnamq; sanctissimi huius uiri doctrinam mirari omnes maxime debent, ut qui traditiones ecclesiæ inculpabiles, & exquisitam disciplinam nouerit, nihil coinquinatum, nihil impurum ex adulteratis philosophorum dogmatibus immiscens. Et plerisq; ut miseris condolendum est, qui prop-

propter suam ignorantiam, acerbos se iudices atq̄
 censores præbuerunt, qui acuta cæterorum inuenta,
 prout ignorantia sua dicit, acerbe carpentes, quum
 legant, quæ non intelligunt, scriptorem statim con-
 demnant. Neq̄ eos pudet, quod necre darguere, nec
 emendare possunt, quæ male putant conscripta. Ad
 seipsos ergo iram suam conuertant, sibiipsis acerbis
 sint, qui per negligentiam altiora discere nequie-
 runt, quiq̄ à doctioribus petere dedignati, in dubijs
 suis contabuerunt. Hæc dixi, quia nonnulli beatum
 hunc Dionysium, quasi hæreticè multa conscripisset
 uituperant: qui mihi hæreticorum etiam peruersas
 opiniones ignorare uidentur. Nam si scirent, certe
 conferendo hæc illis uiderent tantum ab eis differre
 quantum lumen à tenebris distat. Quid enim dicent
 de theologia istius uiri, qui trinitatem solam adora-
 bilem prædicat? Quid dicent, quod animã, corpusq̄
 humanum (hoc est, totũ hominẽ) ab uno trinitatis Ie-
 su Christo unigenito dei uerbo absolute absumptũ
 fatetur? Quid dicent de intellectualium, intelligibili-
 um, sensibilibumq̄ ipsius doctrina? Aut in quo repre-
 hendere poterunt, quæcumq̄ de generali hominum
 resurrectione, de gloria iustorum, & impiorum sup-
 plicijs docuit? Hæc enim, ut summatim dicatur, salutẽ
 continent nostram, quæ latius exponere, modo tem-
 pus non est: præsertim cum oportune scholiorũ com-
 mentarij illa indicaturi sint. Sed non enumerauit li-
 bros ipsius (aiunt) Eusebius Pamphili, neque Orige-
 nes eius meminit. Nos autem multa fuisse ab Euse-
 bio prætermissa (quæ forte ad eum non peruenerãt)
 respondemus: imò uerò ille ipse respondet, qui se fa-
 tetur innumerabiles credere libros ad se non peruẽ-
 nisse. Nam uel nonnullorũ regionis suæ hominũ li-
 bros legisse, nullo modo uidetur, ut Hymenci & Nar-
 cisi Hierosolymitanæ presbyterorũ ecclesiæ, nec Pã-
 theni operũ meminit, nec Clemētis Romani, duabus
 solum

solum exceptis epistolis. Multos insuper ab eo præ-
 termissos numerare possem, si opus esse putarẽ. Ori-
 genes autẽ non omniũ, sed uix quatuor solummodo
 meminit uirorũ. Mihi uerò diaconus quidã Roma-
 nus, nomine Petrus, omnes diui Dionysij libros in
 Romana sacrorũ bibliotheca librorũ inueniri affir-
 mauit, quorũ plurimos ad beatum Timotheum Pau-
 li discipulũ, & Ephesinum episcopum scripsit. Is enim
 ab Ionicæ philosophiæ studiosis (qui tũc apud Ephe-
 sinus florebant) uehementer agitabatur: atq̄ ideo
 beati Dionysij omnis externæ philosophiæ doctissi-
 mi, patrocinium petebat. Ab Areopagita uerò Dio-
 nysio hos libros conscriptos fuisse, illud etiam testa-
 tur, quod multorum meminit, & nonnullorũ dicta
 proponit, qui temporibus illis floruerunt: quorum
 & Actuum liber, & Epistolæ Pauli meminerunt.

HYMNVS IN LAUDEM DECEM ET

octo martyrum Cæsaraugustanorum.

Ex Aurelio Prudentio.

BIs nouem noster populus sub uno
 Martyrum seruat cineres sepulchro,
 Cæsaraugustam uocitamus urbem,

Res cui tanta est.

Plena magnorum domus angelorum
 Non timet mundi fragilis ruinam,
 Tot sinu gestans simul offerenda
 Munera Christo.

Quum deus dextram quatiens coruscam
 Nube subnixus ueniet rubente,
 Gentibus iustam positurus æquo
 Pondere libram.

Orbẽ de magno caput excitata
 Obuiam Christo properante ibit,
 Ciuitas omnis pretiosa portans
 Dona canistris:

Afra

Afra Carthago tua promet ossa
 Ore facundo Cypriane doctor
 Corduba Acifclum dabit, & zoëllum,
 Tresq; coronas,
 Tu tribus gemmis diadema pulchrum
 Offeres Christo genitrix piorum
 Tarraco, intexit cui fructuosus
 Sutile uinclum.
 Nomen hoc gemme strophio illigatum est,
 Emicant iuxta lapides gemelli,
 Ardet & splendor parilis duorum
 Igne corusco.
 Parua Felicis decus exhibebit
 Artibus sanctis locuples Gerunda,
 Nostra præstabit Calagurris ambos
 Quos ueneramur.
 Barchinon charo Cucufate freta
 Surget, & Paulo speciosa Narbo
 Tecq; præpollens Arelas habebit
 Sancte Genesi.
 Lusitanorum caput oppidorum
 Vrbs, adorata cineres puellæ
 Obuiam Christo rapiens, ad aram
 Porriget ipsam.
 Sanguinem iusti cui pastor hæret,
 Ferculum duplex, geminumq; donum
 Ferre Complutum gremio iuuabit
 Membra duorum.
 Ingeret Tingis sua Cæsianum
 Festa, Massylum monumenta regum
 Qui cinis gentes domitascoëgit
 Ad iuga Christi.
 Singulis pauca tribus aut duobus
 Forsan & quinis aliquæ placebunt,
 Testibus Christi prius hostiarum
 Pignore functæ.

Tu

Tu decem sanctos reuehes & octo
 Cæsaraugusta studiosa Christi,
 Verticem flauis oleis reuincta
 Pacis honore.
 Sola in occursum numerosiores
 Martyrum turbas domino parasti,
 Sola prædiues pietate multa
 Luce fruëris.
 Vix parens orbis populosa Pœni,
 Ipsa uix Roma in folio locata,
 Te decus nostrum superare in isto
 Munere digna est.
 Omnibus portis sacer immolatus
 Sanguis excludit genus inuidorum
 Dæmonum, & nigras pepulit tenebras
 Vrbe piata.
 Nullus umbrarum latet intus horror,
 Pulsa nam pestis populum refugit,
 Christus in rotis habitat plateis
 Christus ubiq; est.
 Martyrum credas patriam coronis
 Debitam sacris chorus unde surgens
 Tendit in cælum niueus togatæ
 Nobilitatis.
 Inde Vincenti tua palma nata est,
 Clerus hinc tantum peperit triumphum,
 Hinc sacerdotum domus infulata
 Valeriorum.
 Sæuus antiquis quoties procellis
 Turba, uexatum tremefecit orbem,
 Tristior templum rabies in istud
 Intulit iras.
 Nec furor quisquam sine laude nostrum
 Cessit, aut clari uacuuus cruoris,
 Martyrum semper numerus sub omni
 Grandine creuit.

T

Nonne Vincenti peregre necandus
 Martyr, his terris tenui notasti
 Sanguinis rore speciem futuri
 Morte propinqua?
 Hoc colunt ciues, uelut ipsa membra
 Cespes includat suus, & paterno
 Seruet amplectens tumulo beati
 Martyris ossa.
 Noster est, quamuis procul hinc in urbe
 Passus ignota, dederit sepulchro
 Gloriam uictor, prope littus altæ
 Fortè Sagunti.
 Noster & nostra puer in palæstra
 Arte uirtutis, fideiq; oliuo
 Vinctus, horrendum didicit domare
 Viribus hostem.
 Nouerat templo celebres in isto
 Octies partas, deciesq; palmas
 Laureis doctus patrijs, eadem
 Laude cucurrit.
 Hic & Encrati recubant tuarum
 Ossa uirtutum, quibus efferati
 Spiritum mundi uiolenta uirgo
 Dedecorasti.
 Martyrum nulli remanente uita
 Contigit terris habitare nostris,
 Sola tu morti propriæ superstes
 Viuis in orbe.
 Viuis, ac pœnæ seriem retexis,
 Carnis & cæsæ spoliū retentans,
 Tetra quam sulcos habeant amaro
 Vulnera narras.
 Barbarus tortor latus omne carpsit,
 Sanguis impenſus, lacerata membra,
 Pectus abscissa patuit papilla
 Corde sub ipso.

Iam

Iam minus mortis pretium peractæ est,
 Quæ uenenatos abolens dolores,
 Concitam membris tribuit quietem
 Fine supremo.
 Cruda te longum tenuit cicatrix,
 Et diu uenis dolor hæsit ardens,
 Dum putrescentes tenuat medullas
 Tabidus humor.
 Inuidus quamuis obitum supremum
 Persecutoris gladius negarit,
 Plena te martyr tamen ut peremptam
 Pœna coronat.
 Vidimus partem iecoris reuulsam,
 Ungulis longe iacuisse pressis
 Mors habet pellens aliquid tuorum
 Te quoq; uiua.
 Hunc nouum nostræ titulum fruendum
 Cæsaraugustæ dedit ipse Christus,
 Iuge uiuentis domus ut dicata
 Martyris esset.
 Ergo tersenis sacra candidatis
 Diues oprato simul & Luperco
 Perge conscriptum tibi met senatum
 Pangere psalmis.
 Ede Successum, cane Martialem,
 Mors & Urbani tibi concinatur,
 Iuliam cantus resonet, simulq;
 Quintilianum.
 Publium pandat chorus, & reuoluat
 Quale Frontonis fuerit trophæum,
 Quid bonus Felix tulerit, quid acer
 Cæcilianus.
 Quantus Euenti tua bella sanguis
 Tinxerit, quantus tua Primitiue,
 Quum tuos uiuax recolat triumphos
 Laus Apodemi.

T 2

Quatuor posthinc superest uirorum
 Nomen extolli, reuente metro,
 Quos Saturninos memorat uocatos
 Prisca uetustas.
 Carminis leges amor aureorum
 Nominum paruifacit, & loquendi
 Cura de sanctis ociosa non est
 Nec rudis unquam.
 Plenus est artis modus, annotatas
 Nominum formas recitare Christo,
 Quas tenet cœli liber, explicandus
 Tempore iusto.
 Octo tunc sanctos recolet decemq;
 Angelus, coram patre, filioq;
 Urbis unius regimen tenentes
 Iure sepulchri.
 Quin ad antiquum numerum trahentur.
 Viua post pœnæ specimen puella,
 Morsq; Vincenti, cui sanguis hinc est
 Fons & honoris.
 Additis Gaio, nec enim silendi,
 Teq; Crementi, quibus incruentum
 Ferre prouenit decus, ex secundo
 Laudis agone.
 Ambo confessi Dominum, steterunt
 Acriter contra fremitum latronum,
 Ambo gustarunt leniter saporem
 Martyriorum.
 Hæc sub altari sita sempiterno,
 Lapibus nostris ueniam precatur
 Turba, quam seruat procerum creatrix
 Purpureorum.
 Nos pio fletu, date, perluamus
 Marmorum sulcos, quibus est operata
 Spes, ut absoluam retinaculorum
 Vincla meorum.

Sterne

Sterne te totam generosa sanctis
 Ciuitas mecum rumulis, deinde
 Mox resurgentes animas, & artus
 Tota sequeris.

S. LUCAS EVANGELISTA.
 Ex Eusebio nostro.

DE sancto Luca hæc fermè nobis reliquit Eusebiana historia. Ipse autè Lucas, genere quidem Antiochenus, arte medicus, comes uerò Pauli & cæterorū Apostolorum socius & necessarius fuit. Is ergo secundum hanc medicinam, quam ex Apostolorum uel societate uel traditione susceperat, duos nobis Medicinales libros, quibus non corpora, sed animæ curentur, explicuit: Euangelium scilicet, in quo etiam sic præfatur: Sicut tradiderunt nobis, inquit, hi qui ab initio ipsi uiderunt, & ministri fuerunt uerbi Dei, & quod ab initio secutus sum: Et Actus Apostolorum, quos non iam auditu perceperat, sed oculis inspexerat. Tradunt autem quòd Euangelium suum ex Pauli ore descripserit, & ipsum sit quòd Apostolus suum Euangelium soleat nominare, cum dicit: Secundum Euangelium meum. Sicut & Marcus quæ ex ore fuerant prædicata, conscripsit. Lib. iij. cap. iij. Idem de eodem lib. iij. cap. xxiiij. Lucas autem in initio Euangelij sui causam cur scriberet, indicauit: uidelicet, quoniam multi alij temerè præsumperant enarrare, quæ sibi magis eran ad liquidum cõperta, Volens ergo abstrahere nos à cæterorum narrationibus, fidem facit per se conscripæ ueritati, certus quòd eam uel Paulo exponente, uel alijs Apostolis, qui ab initio ipsi uiderant, ac sibi tradiderant, consecutus sit. Et hanc nobis per proprium Euangelium tradat. Hæc à nobis etiam de Luca breuiter dicta sint.

T

SIMON ET IVAS APOSTOLI.

Ex probatissimis Ecclesie scriptoribus.

Simon qui & Simeon Zelotes, zelo Domini feruens, accepit Ægypti principatum, & post Iacobum Iustum cathedram tenuit Hierosolymorum, cui ecclesie cum multis annis præsuisset, Atticus consularis Traiani tempore, cognito quod esset generis David & Christianus, multis eum supplicijs afficit. Quibus mira patientia toleratis ad crucem damnatur: iussus ut quæ uita coleret, eius exitum morte quoque imitaretur. Itaque cruci affixus est, cum cxx. annos natus esset, cunctis admirantibus, in corpore tam senili, tam robustum animum ad ferenda supplicia perstitisse.

Iudas Iacobi frater in Mesopotamia, ac interioribus Ponti euangelizans, feras & indomitas gentes sancto dogmate mitigauit, & fidei diuinitate subiugauit. Cuius extat parua una Epistola, quæ inter catholicas nominatur.

De Simeone Cleophæ filio, qui secundus Episcopus Hierosolymis fuit, & per martyrium carnis uinculis resolutus: hæc tradit historia Eccles. Lib. iij. cap. xxxij. Ex his igitur ipsis accusarunt quidam Simeonem Cleophæ filium, tanquam qui esset ex genere David, & Christianus. Et ita Martyr effectus est, cum esset annorum cxx. sub Traiano Cesare apud Atticum consularem. Addidit etiam hoc, quod accusatores eius, cum in illis temporibus perquireretur, si qui ex genere David & ex regia tribu descenderent, comprehensi sint inter ipsos. Quod autem Simeon unus fuerit ex ipsis auditoribus Domini, uel longæuitas eius indicio est, uel Euangeliorum fides, ubi etiam mater eius Maria, Cleophæ uxor refertur. Sed & alios quosdam idem scriptor refert, præter eos de quibus supra diximus, nepotes Iudæ unius ex fratribus Domini, per idem tempus superstites inuentos, & Domi-

Domitiani temporibus martyres factos, hoc modo scribens: Veniunt igitur hi, & præsumunt omni ecclesie tanquam martyres & propinqui Domini, & reddita pace ecclesie, permanserunt usque ad tempora Traiani Cæsaris, usquequo consobrinus Domini Simeon, de quo supra diximus, filius Cleophæ, calumniam pateretur ab hæreticis, Christianus Consulari delatus. Cumque multo tempore supplicijs fuisset affectus, martyrio consummatus est, omnibus qui aderant, & ipso iudice mirantibus, ut centum uiginti annorum senex crucis supplicium pertulisset. Post hæc idem scriptor addidit etiam hoc: quod usque ad illa tempora uirgo munda & immaculata permansit ecclesia, corruptoribus ueritatis & diuini uerbi temeratoribus, aut nusquam omnino extantibus, aut etiam si qui fortè fuerant, in occultis & abditis hiatibus terra delitescerentibus. Ut uero & Apostolorum chorus, & omnis illa ætas, quæ à Domino susceperat uiuæ uocis auditum, de hac luce discessit, tum uelut in uacuum domum, falsæ doctrine impius se error immerfit, & tanquam ubi nullus iam diuini census defensor existeret, nudato (ut aiunt) capite corripientes arma mendacij, oppugnare Apostolicam ueritatem nituntur. Sed istud bellum intrinsicus gerebatur. Persecutionem uero extrinsecus pondus urgebat Ecclesiam, & tam immensæ cateruæ martyrum quotidie iugulabantur, ut Plinius Secundus, qui tunc prouinciam administrabat, multitudine interemptorum permotus referret ad imperatorem, quod innumera hominum milia quotidie obruncarentur, in quibus nihil omnino sceleris deprehenderetur admissum, aut aliquid contrarium Romanis legibus gestum, nisi hoc solum, quod antelucanos hymnos Christo cuidam canerent Deo. Adulteria uero, uel cætera huiusmodi crimina apud eos & illicita haberi, & penitus arceri: cætera uero secundum leges eos agere communes.

De S. Iuda, sic Eusebius lib. iij. cap. xx. Adhuc autem uiuebant quidam de carnali genere Domini nostri, nepotes Iudæ, eius qui secundum carnem frater Domini dicebatur, quos quidam detulerunt, tanquam ex Dauid stirpe uenientes. Hos reuocatus quidam nomine, qui in hoc missus fuerat, perducit ad Domitianum Cæsarem, & ipse enim formidabat de aduentu Christi, sicut & initio Herodes. Interrogati ergo à Domitiano, si essent ex familia Dauid, confessi sunt. Tunc quæsiuit ab eis, quantis possessionibus, uel quantis essent facultatibus præditi. At illi responderunt, quod utriusque non amplius esset in bonis. non uem milibus denarijs, ex quibus singulis pars media pro portione deberetur. Nec hæc sibi in pecunia subsistere, sed in æstimatione terræ, quæ eis esset in quadraginta minus uno iugeribus constituta, quam suis manibus excolentes, uel ipsi alerentur, uel tributa dependerent. Simul & testes ruralis & diurni operis, manus labore rigidas & callis obduratas præferebat. Interrogati uero de Christo, quale sit regnum eius, uel quis ipse, aut unde, aut quando uenturus. Responderunt quod non huius mundi regnum, neque huius terræ ei designetur imperium: sed quia cælesti ei regnum per angelorum ministeria in consummatione sæculi præparetur: quando scilicet aduentans in gloria, de uiuis & mortuis iudicabit, & restituet unicuique pro factis ac meritis suis. Ad hæc Domitianus, cum neque in eis quicquam criminis inueniret, & utilitatem eorum quam maxime contemneret, abire eos libere iubet. Sed & persecutionem, quam aduersum ecclesias agitari iusserat, datis rursum compescit edictis. Illi uero dimissi ab eo, uel martyrii merito, uel propinquitatis prerogatiua pacis, iam tempore duces ecclesiæ effecti, usque ad Traiani tempora permanserunt.

Hym-

HYMNVS AVRELII PRVDENTII
in exequias defun-
ctorum.

DEUS ignee fons animarum,
Duo qui socians elementa
Viuum simul ac moribundum
Hominem pater effigiasti.

Tua sunt, tua recta utraq;
Tibi copula iungitur horum,
Tibi dum uegetata cohærent,
Spiritus simul & caro uiuit.

Rescissa sed ista seorsum,
Proprios reuocantur in ortus,
Petit alter æthera feruens,
Humus excipit arida corpus.

Rescissa sed ista seorsum
Soluunt hominem, perimuntque,
Humus excipit arida corpus,
Animæ rapit aura liquorem.

Qui cuncta creata necesse est
Tabefacta senescere tandem,
Compactaque dissociari,
Et diffracta texta retexi.

Hanc tu Deus optime mortem
Famulis abolere paratus,
Iter inuiolabile monstrans,
Quo perditæ membra resurgant.

Ut dum generosa caducis,
Ceum carcere clausa ligantur,
Pars illa potentior extet,
Quæ germen ab æthere traxit.

Si terrea fortè uoluntas
Luteum sapit, & graue captat,
Animus quoque pondere uictus,
Sequitur sua membra deorsum,

T 5

At si generis memor ignis
 Contagia nigra recuset,
 Vehit hospita uiscera secum,
 Periterq; reportat ad astra.
 Nam quod requiescere corpus
 Vacuum sine mente uidemus,
 Spacium breue restat, ut alti
 Repetat collegia sensus.
 Venient cito sæcula, cum iam
 Socius calor ossa reuifat,
 Animataq; sanguine uiuo
 Habitacula pristina gesser.
 Quæ pigra cadauera pridem
 Tumulis putrefacta iacebant,
 Volucres rapiuntur in auras,
 Animas comitata priores.
 Hinc maxima cura sepulchris
 Impenditur, hinc resolutos
 Honor ultimus accipit artus,
 Et funeris ambitus ornat.
 Candore nitentia claro
 Prætendere lintea mos est,
 Aspersaq; myrrha Sábæo
 Corpus medicamine seruat.
 Quid nam sibi saxa cauata?
 Quid pulchra uolunt monumenta?
 Res quod nisi creditur illis
 Non mortua, sed data somno?
 Hoc prouida Christicolârûm
 Pietas studet, utpote credens
 Fore protinus omnia uiua,
 Quæ nunc gelidus sopor urget,
 Qui iacta cadauera passim
 Miserans tegit aggere terræ
 Opus exhibet ille benignum
 Christo pius omnipotenti.

Quia

Quia lex eadem monet omnes
 Gemitum dare sorte sub una,
 Cognataq; funera nobis
 Aliena in morte dolere.
 Sancti fator ille Tobiaë,
 Sacer ac uenerabilis heros,
 Dapibus iam ritè paratis
 Ius prætulit exequiarum.
 Iam stantibus ille ministris,
 Cyathos & fercula liquit,
 Studioq; accinctus humani,
 Fletu dedit ossa sepulchro.
 Veniunt mox præmia cælo,
 Preciumq; rependitur ingens,
 Nam lumina nescia solis
 Deus inlita felle serenat.
 Iam tunc docuit pater orbis,
 Quàm sit rationis egena,
 Mordax, & amara medela,
 Cum lux animum noua uexat.
 Docuit quoq; non prius ullum
 Cælestia cernere regna,
 Quàm nocte & uulnere tristi
 Tolerauerit aspera mundi.
 Mors ipsa beatiôr inde est,
 Quòd per cruciamina lethi
 Via panditur ardua iustis,
 Et ad astra doloribus itur.
 Sic corpora mortificata
 Redeunt melioribus annis,
 Nec post obitum recalescens
 Campago fatiscere nouit.
 Hæc quæ modò pallida tabo
 Color albidus inficit ora,
 Tunc flore uenustior omni,
 Sanguis cute tinget amœna,

Nam

Nam nulla deinde senectus
Frontis decus inuida carpet,
Macies neq; sicca lacertos
Succo tenuabit adesto.

Morbus quoq; pestifer artus
Qui nunc populatur anhelos,
Sua tunc tormenta refudans
Lucet inter uincula mille.

Hunc eminus aëre ab alto
Victrix caro, iamq; perennis
Cernet sine fine gementem
Quos mouerat ipse dolores.

Quid turba superstes inepta
Clangens ululamina miscet?
Cur tam bene condita iura
Luctu dolor arguit amens?

Iam mœsta quiesce querela,
Lachrymas suspendite matres,
Nullus sua pignora plan gat,
Mors hæc reparatio uitæ est.

Sic semina sicca uirescunt
Iam mortua, iamq; sepulta,
Quæ reddita cespite ab imo
Veteres meditantur aristas.

Nunc suscipe terra fouendum,
Gremioq; hunc concipe molli,
Hominis tibi membra sequestro,
Generosa & fragmina credo.

Animæ fuit hæc domus olim
Factoris ab ore creatæ,
Feruens habitauit in istis
Sapientia principe Christo.

Tu depositum tege corpus,
Non immemor ille requiret
Sua munera fictor & autor,
Proprijq; anigmata uultus.

Veniant

Veniant modò tempora iusta,
Cum spem Deus impleat omnem,
Reddas patefacta necesse est,
Qualem tibi trado figuram.

Non si cariota uetustas
Dissoluerit ossa fauillis,
Fueritq; cinisculus arens,
Minimi mensura pugilli.

Nec si uaga flumina, & auræ
Vacuum per inane uolantes,
Tulerint cum puluere neruos,
Hominem perijisse licebit.

Sed dum resolubile corpus
Reuocas Deus, atq; reformas,
Qua nam regione iubebis
Animam requiescere puram?

Gremio senis abdita sancti
Recubabit, ut est Eleazar
Quem floribus undiq; septum
Diues procul aspicit ardens.

Sequimur tua dicta redemptor,
Quibus atra morte triumphans,
Tua per uestigia mandas
Socium crucis ire latronem.

Patet ecce fidelibus ampli
Via lucida iam paradisi,
Licet & nemus illud adire,
Homini quod ademerat anguis.

Illud precor optime ductor,
Famulam tibi præcipe mentem
Genitali in sede sacrari,
Quam liquerat exul, & errans.

Nos tecta fouebimus ossa
Violis, & fronde frequenti,
Tirulumq;, & frigida saxa
Liquido spargemus odore.

S. Heme-

S. HEMETERIVS ET CHELLEDONIVS
Martyres.

Scripta sunt cælo duorum
Martyrum uocabula,
Aureis datæ Christus illic
Annotauit literis.
Sanguinis notis eadem
Scripta terris tradidit.
Pollet hoc felix per orbem
Terra Hibera st emmate.
Hic locus dignus tenendis
Osibus uifus Deo,
Qui beatorum pudicus
Effet hospes corporum.
Hic colentes hausit undas
Cæde tinctus duplici,
Illitas cruore sancto
Nunc arenas in colæ
Confrequerant obsecrantes
Voce, uotis, munere,
Exteri nec non & orbis
Huc colonus aduenit.
Fama nam terras in omnes
Præcurrit proditrix,
Hic patronos esse mundi
Quos precantes ambiant.
Nemo puras hic rogando
Frustra congesit preces,
Lætus hinc terfens reuertit
Supplicator fletibus.
Omne quod iustum poposcit
Impetratum sentiens,
Tanta pro nostris periclis

Cura

Cura suffragantium est.
Non sinant, inane ut ullus
Voce murmur fuderit,
Audiunt, statimq; ad aurem
Regis æterni ferunt.
Inde larga fonte ab ipso
Dona terris influunt,
Supplicum causas petitis
Quæ medelis inrigant.
Nil suis bonus negauit
Christus unquam testibus,
Testibus quos nec catenæ,
Dira nec mors terruit.
Vnicum Deum fateri
Sanguinis dispendio,
Sanguinis sed tale damnum
Lux rependit longior.
Hoc genus mortis decorum est,
Hoc probis dignum uiris,
Membra morbis exedenda
Texta uenis languidis.
Hostico donare ferro,
Morte & hostem uincere,
Pulchra res ictum sub ense
Prosequutoris pati.
Nobilis per uulnus amplum
Porta iustis panditur,
Lota mens in fonte rubro
Sede cordis exilit.
Nec rudem crudi laboris
Ante uiam duxerant
Milites, quos ad perenne
Cingulum Christus uocat.
Sueta uirtus bello & armis
Militat sacrarijs,

Cæsaris

Cæsaris uexilla linquunt,
 Eligunt signum crucis,
 Proq; uentosis draconum
 Quod gerebant palijs,
 Præferunt insigne lignum,
 Quod draconem subdidit.
 Vile censent expeditis
 Ferre dextris spicula,
 Machinis murum ferire,
 Castra fossis cingere.
 Impias manus cruentis
 Inquinare stragibus
 Fortè tunc atrox secundos
 Israël posteros,
 Ductor aulae mundialis
 Ire ad aram iusserat,
 Idolis litare nigris,
 Esse Christi refugas.
 Liberam succincta ferro
 Pestis urgebat fidem,
 Illa uirgas, & secures
 Et bifulcas unguilas.
 Vtrò fortis expetebat,
 Christi amore interrita,
 Carcer inligata duris
 Colla baccis impedit,
 Barbaras forum per omne
 Tortor exercet manus,
 Veritas crimen putatur,
 Vox fidelis plectitur.
 Tunc & ense caesa uirrus
 Triste percussit solum,
 Et rogis ingesta mortis,
 Ore flammæ forbuit.
 Dulce tunc iustis cremari,
 Dulce ferrum perpeti,

Hic

Hic duorum chara fratrum
 Conualescunt pectora
 Fida, quos per omne tempus
 Iunxerat sodalitas,
 Stant parati ferre quicquid
 Sors tulisset ultima.
 Seu foret præbenda ceruix
 Ad bipennem publicam,
 Verberum post uim crepantum
 Post carastæ igneas,
 Siue pardis offerendum
 Pectus, aut leonibus,
 Nos ne Christo procreati
 Mammonæ dicamur?
 Et Dei formam gerentes
 Seruiemus sæculo?
 Absit, ut cœlestis ignis
 Se tenebris misceat.
 Sit satis, quod capta prima
 Vita sub chirographo,
 Debitum persoluit omne,
 Functæ rebus Cæsaris,
 Tempus est Deo rependi
 Quicquid est proprium Dei.
 Ite signorum magistri,
 Et uos tribuni abistite.
 Aureos auferte torques
 Sauciorum præmia
 Clara nos hinc angelorum
 Iam uocant stipendia.
 Christus illic candidatis
 Præfidet cohortibus,
 Et throno regnans ab alto,
 Damnat infames Deos.
 Vosq; qui ridenda uobis
 Monstra diuos fingitis,

V

Hæc loquentes obruuntur
 Mille pœnis martyres.
 Nexibus manus utraq;
 Flexus inuoluit rigor,
 Et chalybs attrita colla
 Grauibus ambit ciclis.
 O uetustatis silentis
 Obsoleta obliuio,
 Inuidentur ista nobis,
 Fama & ipsa extinguitur.
 Chartulas blasphemus olim
 Nam satelles abstulit,
 Ne tenacibus libellis
 Erudita sæcula
 Ordinem, tempus, modumq;
 Pasionis proditum
 Dulcibus linguis per aures
 Posterorum spargerent.
 Hoc tamen solum ætusta
 Subtrahunt silentia,
 Iugibus longum catenis
 An capillum pauerint,
 Quo uiros dolore tortor,
 Qua uè pœna ornauerit,
 Illa laus occulta non est,
 Nec fenescit tempore.
 Missa quod fursum per auras
 Euolarunt munera,
 Quæ uiam parere cœli
 Præmicando ostenderent.
 Illius fidem figurans,
 Nube fertur anulus,
 Hic sui dat pignus oris,
 Vt ferunt, orarium.
 Quæ superno rapta flatu
 Lucis intrant intimum,

Per

Per poli liquentis axem
 Fulgor auri absconditur.
 Ac diu uisum sequacem
 Textilis candor fugit.
 Subuehuntur usq; in astra,
 Nec uidentur amplius.
 Vidit hoc conuentus adstant,
 Ipse uidit carnifex,
 Et manum repressit hærens
 Ac stupore oppalluit.
 Sed tamen peregit ictum.
 Ne periret gloria.
 Iam ne credis bruta quondam
 Vasconum gentilitas,
 Quam sacrum crudelis error
 Immolarit sanguinem?
 Credis in deum relatos
 Hostiarum spiritus?
 Cerne quam palam feroces
 Hic domantur demones,
 Qui lupino capta ritu
 Deuorant præcordia.
 Strangulant mentes & ipsas,
 Seq; miscent sensibus,
 Tunc suo iam plenus hoste
 Siftitur furens homo.
 Spumeas efflans saliuas,
 Cruda torquens lumina,
 Expiandus quæstione
 Non suorum criminum.
 Audias, nec tortor adstat,
 Eiulatus flebiles.
 Sciinditur per flagra corpus,
 Nec flagellum cernitur,
 Crescit & suspensus ipse
 Vinculis latentibus,

V 3

His modis spurcum latronem
Martyrum uirtus quatit.

Hæc coërcet, torquet, urit,
Hæc catenas incutit,
Prædo uexatus relictis
Se medullis exuit.

Linqvit inlæsam rapinam,
Faucibus ficcis fugit,
Vngue ab imo usq; ad capillum
Salua reddit omnia.

Confitens ardere sese,
Nam gehennæ est incola,
Quid loquar, purgata longis
Alba morbis corpora?

Algidus cum decoloros
Horror artus concutit,
Hic tumor uultum relinquit,
Hic color uerus redit.

Hoc bonum Saluator ipse,
Quo fruamur, præstitit,
Martyrum cum membra nostro
Consecrauit oppido.

Sospitant quæ nunc colonos
Quos Hiberus alluit.
State nunc hymnistæ matres
Pro receptis paruulis.

Coniugum salute læta
Vox maritarum strepet,
Sit dies hæc festa nobis,
Sit sacratum gaudium.

Hymnus

HYMNVS BEATISSIMORVM MAR-
tyrum Fructuosi, episcopi eccle-
siæ Tarraconensis, & Augurij
& Eulogij diaconi.
Ex Prudentio.

Felix Tarraco Fructuose uestris
Artollit caput ignibus coruscum
Leuitis geminis procul relucens.
Hispanos Deus aspicit benignus
Arcem quandoquidem potens Hiberam
Trino martyre trinitas coronat.

Ardens Augurius capessit æthram
Necnon Eulogius simul supernum
Christi lucidus ad sedile tendit.

Dux & præuius, & magister illis
Ad tantum decus, ex Episcopali
Clarus nomine Fructuosus ibat.

Accitus quia præfidis repente
Iussu, uenerat ad forum sacerdos
Leuitis comitantibus duobus:

Inde ad carceream uiros catenam
Pastus sanguine carnifex trahebat,
Gaudet currere Fructuosus ultro.

Ac ne quis socios minor feriret,
Præceptor uehemens eundo firmat,
Incenditq; fidem calore Christi.
Mecum state uiri, uocat cruentus
Ad pœnam coluber Dei ministros,
Ne mors terreat, est parata palma
Carcer Christicolis gradus coronæ est,
Carcer prouehit ad superna cœli,
Carcer conciliat Deum beatis.

His distis, adeunt specum reorum,
Exercent tibi mysticum lauacrum
Et purgamina quæ stupent tenebræ.
Sex hic continuis latent diebus,

V 3

Tandem stant crucis ad tribunal hostis
Fratres ter geminos tremunt catastræ.

Iudex Æmilianus imminebat,
Atrox, turbidus, insolens, profanus,
Aras dæmonicas coli iubebat.

Tu qui doctor, ait, seris nouellum
Commenti genus, ut leues puellæ
Lucos destituant, Iouem relinquunt.

Damnes si sapias anile dogma,
Iussum est Cæsaris ore Gallieni
Quod princeps colit, hoc colamus omnes.

Hæc tanti placidus refert sacerdos
Æternum colo principem, dierum
Factorem, dominumq; Gallieni.

Et Christum patre profatum perenni
Cuius sum famulus, gregisq; pastor
Subridens ait ille, iam fuiti.

Nec differt furor, aut refrenat iram,
Sæuis destinat ignibus cremandos,
Exultant, prohibentq; flere uulgum,

Quosdam de populo uidet sacerdos
Libandum sibi poculum offerentes,
Ieiunamus, ait, recuso potum.

Nondum nona diem resignat hora
Nunquam conuiolabo ius dicatum,
Nec mors ipsa meum sacrum resoluet,

Sic Christus sitiens crucis sub hora
Oblatum sibi poculum recusans,
Neclibare uolens, sitim peregit.

Intrant interea locum rotunda
Conclusum cauea, mandens ferarum
Multo sanguine quem furor frequentat,

Quum specula perstrepunt cruenta
Ac uilis gladiator ense euro
Percussus cadit, & fremit uoluptas.

Hic flammante pyra, niger minister

Ardens

Ardens supplicium parare iussus,
Construxit facibus rogam supremis.
Qui dum corpora concremanda soluit

Feruentes animas amore lucis
Fracto carceris expeditiuit antro.

Certant officijs pij sodales,
Plantis calciamenta dissolutis,
Pronus detrahere studebat unus.

Sed sanctus uetat, ora Fructuosus
Inclinata premit, Facefsite, inquit,
Ne nostram grauet obsequela mortem.

At quin ipse meos pedes resoluam,
Ne uestigia præpedita uindictis
Tardis gressibus inruant in ignem.

Cur lamenta rigant genas madentes?
Cur uestri memor ut siem rogatis?
Cunctis pro populis rogabo Christum.

Vix hæc ædiderat, relaxat ipse
Indumenta pedum, uelut Moses
Quondam fecerat ad rubum propinquans.

Non calcare sacram cremationem,
Aut adstare Deo prius licebat,
Quam uestigia pura figerentur,

Strabat calce mera, resultat ecce
Cœlo spiritus, & serit loquelam
Quæ cunctos tremefecit audientes.

Non est credite pœna quam uidetis,
Quæ puncto tenui citata transit,
Nec uitam rapit illa, sed reformat.

Felices animæ, quibus per ignem
Celsa scanderè contigit Tonantis:
Quas olim fugiet perennis ignis.

Hæc inter, rapidis focos crepantes
Intrant passibus, & minantur ipsis
Flammarum trepidantibus caminis.

Nexus deniq; qui manus retrorsus

V 4

In tergum reuocauerant reuinctas,
Intacta cute decidunt adusti.

Non ausa est cohibere pœna palmas
In morem crucis ad patrem leuandas,
Soluunt brachia, quæ Deum precentur.

Friscorum specimen trium putares,
Quos olim Babylonicum per ignem
Cantantes stupuit tremens tyrannus.

Illis sed pia flamma dum pepercit,
Nondum tempore passionis apto,
Nec mortis decus inchoante Christo.

Hos quum defugeret uaporus ardor
Orant, ut celer ignis aduolaret,
Et finem daret anxij periculis.

Exorata suos obire tandem
Maiestas famulos iubet caducis
Missis corporibus, sibiq; reddi.

Vidit præsidis ex domo satelles
Cælum martyribus patere apertum,
Insignesq; uiros per astra ferri.

Quin & filiolæ monens herili
Ostendit sceleris notam paterni,
Cælo uiuere, quos forum peremit.

Hæc tum uirginitas palam uidere
Per sudum meruit, patente cælo,
Vt crimen Domini domus timeret.

Tum de corporibus sacris fauillæ,
Et perfusa mero leguntur ossa,
Quæ raptim sibi quisq; uindicabat.

Fratrum tantus amor domum referre
Sanctorum cinerum dicata dona,
Aut gestare sinu fidele pignus.

Sed ne reliquias resuscitandas,
Et mox cum Domino simul futuras,
Discretis loca diuidant sepulchris,

Cernuntur niuis stolis amicti,

Mandate

Mandant restitui, cauoq; claudi
Mixtim marmore, puluerem sacrandum.

O triplex honor, ô trifforme culmen,
Quo nostræ caput excitatur urbis,
Cunctis urbibus eminentis Hiberis.

Exultare tribus libet patronis,
Quorum præsidio fouentur omnes
Terrarum populi Pyrenearum.

Circumstet chorus ex utroq; sexu,
Heros, uirgo, puer, senex, anicla,
Vestrum psallite rite Fructuosum,

Laudans Augurium resultet hymnus,
Mistis Eulogium modis coæquans,
Reddamus paribus pares Camœnas.

Hinc aurata sonent in arce recta,
Blandum littoris extet inde murmur,
Et carmen freta feriata pangant.

Olim tempus erit ruente mundo,
Quum te Tarraco Fructuosus acri
Soluert supplicio tegens ab igni.

Fors dignabitur & meis medelam
Tormentis dare, prosperante Christo,
Dulces hendecasyllabos reuoluens.

CASSIANVS MARTYR.

Ex Prudentio.

Sylla forum statuit Cornelius, hoc Itali urbem
Vocant ab ipso conditoris nomine.

Hic mihi quum peterem te rerum maxima Roma,
Spes est oborta prosperum Christum fore,
Stratus humi tumulo aduoluebar, quem sacer ornas

Martyr, dicato Cassianus corpore.
Dum lachrymans mecum reputo mea uulnera, & omnes
Vitæ labores, ac dolorum acumina,

Erexi ad cælum faciem, stetit obuia contra
Fucis colorum picta imago martyris.
Plagas mille gerens, totos lacerata per artus,

V

Ruptam minutis præferens punctis cutem.
 Innumeri circum pueri, miserabile uisu,
 Confossa paruís membra figebant stilis.
 Vnde pugillares soliti percurrere ceras.
 Scholare murmur adnotantes scripserant,
 Ædituus consulus ait: quod prospicis hospes
 Non est inanis, aut anilis fabula,
 Historiam pictura refert, quæ tradita libris,
 Veram uetusti temporis monstrat fidem.
 Præfuerat studijs puerilibus, & grege multo
 Septus, magister literarum federat.
 Verba notis breuibus comprehendere cuncta peritus,
 Raptimq; punctis dicta præpetibus sequi.
 Aspera nonnunquam præcepta, & tristia uisa,
 Impube uulgus mouerant, ira & metu.
 Doctor amarus enim discenti semper ephebo,
 Nec dulcis ulli disciplina infantia: est.
 Ecce fidem quatiens tempestas seua, premebat
 Plebem dicatam Christianæ gloriæ.
 Extrahitur cætu è medio moderator alumni
 Gregis, quod aris supplicare spreuerat.
 Pœnarum artifici quærenti, quod genus artis
 Vir nosset, alto tam rebellis spiritu,
 Respondent, agmen tenerum, ac puerile gubernat,
 Fictis notare uerba signis imbuens.
 Ducite conclamat captiuum ducite, & ultro
 Donetur ipsis uerberator paruulis,
 Vt liber illudant, lacerent impunè, manusq;
 Tingant magistri feriatas sanguine.
 Ludum discipulis nolupe est ut præbeat ipse
 Doctor seuerus, quos minis coërcuit.
 Vincitur post terga manus, spoliatus amictu,
 Adest acutis agmen armatum stilis.
 Quantum quisq; odij tacita conceperat ira,
 Effudit ardens felle tandem libero.
 Coniungunt alij lapides, inq; ora tabellas

Fran-

Frangunt, relisa fronte lignum disilit.
 Buxa crepant cerata, genis impacta cruentis,
 Rubetq; ab ictu curua tumens pagina.
 Inde alij stimulos, & acumina ferrea uibrant,
 Qua parte aratis cera sulcis scribitur,
 Et qua secti apices abolentur, & æquoris hirri
 Rursus nitescens innouatur area.
 Hinc foditur Christi confessor, & inde secatur,
 Pars uiscus intrat molle, pars scindit cutem.
 Omnia membra manus pariter fixere cruentæ,
 Totidemq; guttæ uulnerum stillant simul.
 Maior tortor erat, qui summa pupugerat infans,
 Quàm qui profunda perforarat uiscera.
 Ille leuis, quoniam percussor morte negata
 Sæuire solis scit dolorum spiculis.
 Hic quanto interius uitalia condita pulsât,
 Plus dat medelæ dum necem prope applicat.
 Este precor fortes, & uincite uiribus annos,
 Quod desit æuo, suppleat crudelitas.
 Sed male conatus tener, infirmusq; laborat,
 Tormenta crescunt dum fatiscit carnifex.
 Quid gemis, exclamat quidam, tute ipse magister
 Istud dedisti ferrum, & armaisti manus.
 Reddimus ecce tibi iam millia multa notarum,
 Quæ stando, flendo, te docente excepimus.
 Non potes irasci quod scribimus, ipse iubebas:
 Nunquam quietum dextera ut ferret stilum;
 Non petimus toties te præceptore negatas
 Auare doctor, iam scholarum ferias.
 Pangere puncta liber, sulcisq; intexere fulcos,
 Flexas catenis impedire uirgulas,
 Emendes licet inspectos longo ordine uersus,
 Mendosa forte si quid errauit manus.
 Exerce imperium, ius est tibi plectere culpam,
 Si quis tuorum te notauit segnius.
 Talia ludebant pueri per membra magistri,

Nec

Nec longa fessum pœna soluebat uirum,
 Tandem luctantis miseratus ab æthere Christus,
 Iubet resolui pectoris ligamina
 Difficilescq; moras animæ, ac retinacula uitæ
 Relaxat artus, & latebras expedit.
 Sanguis ab interno uenarum fonte patentes,
 Vias sequutus, deserit præcordia.
 Tortq; foraminibus penetrati corporis exit,
 Fibrarum anhelans ille uitalis calor.
 Hæc sunt, quæ liquidus expressa coloribus hospes
 Miraris, ista est *Cassiani gloria*.
 Suggere si quod habas iustum, uel amabile uotum,
 Spes si qua tibi est, si quid intus æstuas.
 Audit crede preces martyr prosperrimus omnes,
 Ratasq; reddit, quas uidet probabiles.
 Pareo, complector tumultū, lachrymas quoq; fundo,
 Altar tepescit ore, saxum pectore.
 Tunc arcana mei percenseo cuncta laboris,
 Tunc quod petebam, quod timebam marmaro.
 Et post terga domum dubia sub sorte relictam,
 Et spem futuri forte nutantem boni,
 Audior, urbem adeo, dextris successibus utor:
 Domum reuertor, *Cassianum prædico*.

OSUALDVS REX, VIR ELEEMOSYNARIVS,
 Ex Paulo diacono.

Imperator Tyberio Christiano haud dissimilis
 rex Osualdus extitit. Paulus Diaconus de Tybe-
 rio sic scribit: Hic cum multa de thesauris, quos Iu-
 stinianus congregarat, pauperibus erogaret, Sophia
 Augusta frequentius inceptabat eum, quod rempu-
 blicā redegisset ad paupertatem, dicens: Quod ego
 multis annis congregaui, tu infra paucum tempus
 prodigè dispergis. Aiebat autē ille: Confido in Do-
 mino, quia non deerit pecunia fisco nostro, tantum
 ut pauperes eleemosynam accipiant, aut captiui redi-
 mantur

mantur: hoc est magnus thesaurus, &c. Hæc Paulus
 Diaconus. Porro Sophia ista uxor fuerat præcessoris
 imperatoris Iustiniani amentis, mulier longè nequif-
 sima, pio Tyberio insidians.

S. WALTBURGA VIRGO ANGLICA.
 Per G. Vicel.

Tempore, quo prædicatores Euangelij Ecclesia
 stici Augustinus quidam & Mellitus à Romano
 pontifice Gregorio in Britanniam, seu Angli-
 am, uocante deo, missi, populum eius terræ, operan-
 te spiritu, à paganismo ad Christianismum per disse-
 minarum uerbum conuerterunt, accidit, ut ex con-
 uersis quidam præcipui, Christi fide ac dilectione ple-
 ni, temporalem patriam relinquerent, & peregrina-
 tiones longinquas atq; diutinas susciperent, quo ma-
 iorem æderent uerbi fructum. Inter horum numero
 fuit Bonifacius, Willibrordus, Wigbertus, Leboi-
 nus, duo Euualdi præterea Willibaldus, Wunebal-
 dus, & istorum duorum soror Walburga. Venerūt
 uerò homines isti Dei in Germaniam, & contigit di-
 uina dispositione, ut Willibaldus Eichstadij creare-
 tur episcopus, ac Wunebaldus unā cū sorore Wualt-
 burga in loco Heidenheim dicto monasterium con-
 strueret, ubi monasticam uitam egerunt, seruientes
 deo, quem per Christum filium cognorant in omni
 pietate & honestate. Prior uitam morte commuta-
 uit, Wunebaldus, post in eodem monasterio è sacu-
 lo transiit ad adamatum sponsum, seruatorem su-
 um Christū, Walburga, bonis operibus abundās.
 Dein florente Otgario archiepiscopo translatus fu-
 it eius diuæ corpus Eichstadium, ubi temporibus
 Eckenbaldi Eichstetenensis episcopi, & Arnulphi re-
 gis, anno nimirum humanæ salutis 893. multa mira-
 cula diuinitus apud S. Walburgæ sarcophagum fa-
 cta esse legimus. Optamus quotquot Christum ac
 eius apparitionem diligimus, ut hanc sanctimoniam
 lem

Iem nostræ imitentur. O casta sanctaꝝ monasteria, tam à mūdo femora, quàm cœlo uicina. Sed eheu quæ & qualia hodie fert terra.

QVINGVE FRATRES PROPTER EVANGELIUM à paganis occisi. Noua quidem, sed uera historia.

ANno dominicæ incarnationis MCCXIX. misit sanctus ille uir Franciscus non sine instinctu dei ex sodalitiis suis sex fratres in regnum Marrochiorum, ad euangelizandum incredulis populis. Nomina fratrum sunt, Vitalis, Beraldus, Otto, Accursius, Petrus & Adutus. Horum antesignanus Vitalis erat. Verum cum peragrarent Aragoniam, Vitalis morbo graui correptus, diem suum obiit, reliquis quinq; cœpto itinere pergentibus, inq; Portugalliam uenientibus, ubi apud reginam suæ pietatis specimen ediderunt. Post hæc attigerunt Sarracenorum ciuitatem Sibiliam, mutato monastico cultu: sic enim expediebat, iuxta consilium reginæ. Ibi uerò cum mesquitam, seu templum Sarracenicum pararent ingredi, prohibiti sunt à Sarracenis, ceu prophani: neq; enim de Christianis nobis pagani secus iudicant. At illi, ut erant uiri fide fortes, sumptis animis, ad palatium regis accedebant, hæcꝝ dicta dabant: rex misit nos à rege regum sumus euangelizare gratiam, pacem & misericordiam dei patris in Christo Iesu unigenito. Hæc ac similia ubi audisset rex, uersus in furorem est, & iniecta manu iussit, prædicatores Christi in uincula duci. Ferre enim non potuit mentionem fidei & baptismi, nec uituperationem Mahometici Alcorani, atq; uniuersæ istius damnatissimæ legis. Caterum carcere liberati, quando ita deo libuit, Marrochium uenerunt: qua in prouincia uerbum dei libere seminarunt. Nec omnino destituti fuerunt Christianorum principum, maxime Hispanorum, ope ac subleuamine. Sarraceni non admittentes Euangelium, huius

huius professores uarijs pœnis affecerunt. Tandem rex Marrochiorum Miramamolus dictus, siue, ut alij Miramolinus, succensus ira, tres simul gladios stringens propria manu & ferali crudelitate Christi confessores decollauit. Idq; factū est tempore Honorij in septē ferme annis ante obitū diui Francisci: qui cū audisset martyriū istud, exultans spiritu dixit: Nūc uere dicere possū, me quinq; habere fratres. Ab eo tēpore se Franciscus cōtulit in Syriā, assumptis aliquot fratrib. & illic Soltano Christi fidē cōstantissimē prædicauit.

S. QVINTINVS MARTYR
Romanus, Per G. Vicel.

Vir ille senatoria familia Romę prognatus, generis nobilitatem fidei claritate obscurauit. Nam ingenti Christi ardore patriam deserens, in Gallias peruenit, egitq; cum beato Luciano Ambianis aliquandiu: & Christi nomen passim manifestauit tam uerbo, quàm miraculo. Eo tempore autem non ferens religionem nostram tyrannus Diocletianus, scuire in pios uiros cœpit, ardescende etiam paganorum omnium inuidia. Verum nihilo minus succrenit religio, quantumlibet & quibuscunq; modis afflicta. Igitur præfectus Ritionarus commissionem sui regis exequens, sanctos complures Basileā usq; insectatur, atq; inquisitos in Rheni fluuenta demergit: Fœlix sanctorum corporū tumultus Rhenus, in Germania, sicut & Rhodanus in Gallia. Post multas cædes oblarus est satrapæ Quintinus, qui id temporis Ambianis Christo Iesu plurimas animas lucrificet. Hic uaria Tragœdia luditur. Primum carcere recluditur ouis innoxia, deinde uir dei sistitur ad tribunal examinandus. Postremo, non uno supplicij genere torquetur, ad ultimum usq; spiritum. Iucundum uerò lectu, quanto sermonis planè diuino artificio refutarit Morosophi huius blateramenta, in confessione ueræ fidei Ecclesiasticæ perfititur dura filex.

Atrociter

Atrociter minanti tandem respondit: Et ego tibi per dominum meum confirmo, nolle me quod iubes facere, nec quod minaris, metuere. Solebat item ad deum has eiaculari preces: Domine eripe me de manu peccatoris, &c. Habebat hoc quoque dictum in ore: Dominus mihi adiutor, non timebo, quid faciat mihi homo. Immane, quantis & quot cruciatibus uirum Euangelicum laniarit tyrannus. Neque tamem potuit efficere, quo minus præco diuinus medio in foro Christianæ fidei symbolum ad populum recitaret, nisi sine magna fruge Christiani regni. Ultimo capite detruncatus, cum piissimas preces dixisset, obdormiuit in Christo. Mox mortuum quidem corpus crudelissima bestia in fluuium Somenam proijci curauit: sed uetare non potuit, quin illud post multos annos integrum inde erueret Eusebia Romana femina, non sine Dei instinctu. Factum id uero est apud Augustam Viromandorum in Gallijs, ibique humauit sanctum corpus, tot mortibus excruciatum: uictorice tamen anima, quæ non moritur.

MARTINVS EPISCOPVS TYRONENSIS.
Per Georg. Vicel.

IN Pannonia quidem uir ille natus, sed in Italia educatus. Parentes habuit ethnicos. Et quia pater militaris, fit, ut ipse quoque filius militiam sequeretur, quippe adolescens, & sub signis Constantini ac Iuliani, quibus Imperatoribus fecit stipendia. Porro decennis etiam dum tangebatur diuinitus, ut adlucesceret illi Christiana religio, cuius sese catechumenum discipulumque fieri concupiscens, rebus Christianorum unice delectabatur: sed annorum xy. cum esset, à patre ut militaret adactus, triennium antequam sacrum Baptisma susciperet, miles quidem erat, sed inuitus, sed innocuus, sed integer, adeo ut

nihil

nihil minus, quam miles esse uideretur. Quo tempore chlamyde sua ferro per medium dissecta mendicum hyeme media nudum texit, non absque insequente per quietem uisione diuina. Post annorum iam xvij accepto Baptismate, insitus est ecclesiae, in posterum uidelicet non Iuliani, aut alterius Cosmophagi, sed Christi miles. Mox ab Hilario Episcopo minore cleri gradu Pictaue donatus, per fidem ac precationem & item prædicationem euangelij, pro gloria Dei uui stupenda quædam peregit. A Satana quidem subinde tentatus, sed uictor è pugna discessit semper. Quoniam autem ea tempestate Arianismus totum penè terrarum orbem exitiabiliter occupabat, nemo presbyterorum illo fortius errori restitit, & hoc ipsum usque ad uerba, post quæ Mediolano in exilium pulsus, superbiam Auxentij hæresiarchæ magnanimitè pertulit. Illis annis catechumenum quendam, contubernalem suum, morte præreptum precatione fide plena, uitæ restituisse fertur. Quod idem factitasse per potentiam Dei in seruo quodam, qui ipse sibi mortem conscuerat, eadem historia proditur. Cum uero uiri uirtus perspecta omnibus atque explorata esset, & dignissimus episcopatu iudicaretur, è monasterio, cui assueuerat, ueluti protactus, populi Christiani suffragijs præsul ecclesiae Turonicæ uel in uitis nonnullis ex clero, præsertim Defensore illo pertinaciter reluctante. Is Defensor Pseudepiscopus, impiè martinomastix, ignominia non longè post affectus, designatus est, uidit in quem transfixerat. Cæterum episcopus iam Martinus ille nofter huc direxit uitæ cursum, ut qui antehac se religiose per omnia gesserat, nunc religiosissime uiueret, hoc est Euangelio dignè. Neque enim adeptus honores mutauit mores. Monachum uidisses, non principem. Proinde constructis cellis collegium piorum hominum aliquot in Monastica quadam disciplina, ad co-

X

re in sanctissimam Beati Martini animam: quæ erar, ur dicitur, Gemma Sacerdotum: quam felicem animã præsentibus Angelis euntem in cælum curabat impedire. Quomodo timendum est tibi Peccatori, & trementer præmeditandum, quàm horribiliter occurreret animæ tuæ ille deli artifex, ille filius iniquitatis, ille animarum hostis amarissimus. Habes Martinum, quem imitando uenerari, & laudando honorare catholicos decet. Interim pseudocatholici Martinalia seu saturnalia concelebrant, Cælio Deo sacrum facientes, & Aphroditen deam colentes, maximo dedecore Martiniani nominis, ac manifestissimè contra historiam abstinentissimi atq; castissimi uiri. Sobriolibatur ebrietate, litatur uomitu, & agitur feriæ bestialiter. *Christe per te ipsum, perq; intercessionem diui Martini & totius tui mystici corporis tam in paradiso, quàm in hac ualle flentium, respice, emenda & emunda, cui soli honor & gloria.*

S. BRIXIUS EPISC. TVRONENSIS. Per G. Vicel.

Brixius diui Martini diaconus fuit, postea successit illi in episcopali cathedra, homo primis quidem uitæ suæ temporibus parùm laudatus, sed episcopus factus, multis uirtutibus clarescere cœpit. Hoc iuene exercita fuit Martini patientia, & probata longaminitas. Nam crebris conuitijs sanctum uirum discerpfit, delirum ac stolidum caput appellans, indignisq; irridens modis. Atq; hoc scilicet præmij præstitit ei, à quo fuerat tot officijs ab ipsa statim pueritia subleuatus. Nostræ hic ecclesiæ Socrates quidã, quippe qui domi pati didicit, ut foris pati possit. Ad eum propè modum exercuit S. Paulus, Ioannes Marcus & Demas, ac Hilarionem Adriani discipulus, domestica hæc nostri Adæ flagella. Verùm progeffu temporis multum aduersitatis illum pertulisse, & de afflictato Martino pœnas dedisse tradit. Subscribã de Brixio nonnihil ex Seuero Sulpitio. Quodã itidẽ die, dum
Martinus

Martinus in area, quæ parua admodum tabernaculum illius ambiebat, in illo suo, quod nostis omnes, sedili ligneo resedisset, uidit duos demones in excelsa illa quæ monasterio supereminet, rupe consistere, inde alacres, ac lætos uocẽ istiusmodi adhortationis emittere. *Eia te Brixii, eia te Brixii.* Credo, cernebant miserum eminus propinquantem, conscij quantã illi rabiem spiritus suscitassent. Nec mora Brixius furibundus irrupit, ibi plenus insania euomuit in Martinum mille conuitia. Obiurgatus enim pridie ab eo fuerat cur, qui nihil unquam ante clericatum, quippe qui in monasterio ab ipso Martino nutritus, habuisset, equos aleret, mancipia compararet. Nam illo tempore arguebatur à multis, quod non solum pueros, sed etiam puellas scitis uultibus coemisset. Quibus rebus infelicissimus, insano felle commotus, & (ut credo) præcipue demonum illorum agiratus instinctu, Martinum ita aggressus est, ut uix manibus temperaret. Cum quidẽ sanctus uultu placido, mente tranquilla infelicis amentiam per mitia uerba cohiberet. Sed ita in eo nequam spiritus redundabat, ut ne sua quidẽ illi quãuis uana aomodum mens subesset, tremantibus labijs, incertoq; uultu decolor præ furore rotabat uerba peccati, se asserens sanctiorem, quippe qui à primis annis in monasterio inter sacras ecclesiæ disciplinas, ipso Martino educatè creuisset, Martinum uerò à principio, quod ipse diffiteri non posset, militiæ artibus sortuisse, & nunc per inanes superstitiones, & phantastica uisionum ridicula prorsus inter delirameta senuisse. Hæc cum multa, atque alia etiã, quæ reticere melius est, acerbiora uomuisset, egressus tandem furore fatiatio, quasi qui se penitus uindicasset, rapidus ea parte, qua uenerat, recurrebat. Cum interea (credo per Martini orationes, fugatis ab illius corde demonibus) redactus in poenitentiam mox reuertitur, atq; ad Martini se genua prosternit: ueniam poscens fatetur errorem, nec sine

lo liberata legitur, dum, inquit Sulp. diœceses circumiret. Inter alia huius familiariter dicta refertur, hoc: oue, nimirum recens tonsa fortè Martino inspecta Euangelicum præceptum, inquit, ouis ista implet, duas enim tunicas habuit, alteram harum largita est nõ habenti. Ita uos quoq; faciatis. Quod ad communia dogmata attinet, prætulit semper uirginitatem coniugio, contra hæreticos tonans, qui uel coniugium fornicationi comparant, uel uirginitati adæquant. Quod in literas Seuerus misit de diuarũ apparitione, apud me quidẽ ueri dissimile haudquaquã fuerit. Agnes, Tecla & Maria mecum fuerunt, dixerat Martinus, & uideri à se sæpius Petrum etiam atq; Paulũ &c. & si non defuturos arbitror, qui nobis hæc in fabulam Numæ & Numeriæ parent peruertere. Sunt quoq; credibilia ijs, qui à cõtentione alieni sunt, oleo sanctificato linguam mutæ puellæ tactam, solutam fuisse. De quo oleo sic Sulp. Oleum, quod ad diuersas morborum causas, sicut est consuetudo, benedixit cum Exorcismi præfatione &c. testes miraculorum oculatos subinde uominat author Historiæ, & memorandus est omnibus sæculis exorcismus ille, quo Energumenos ad conspectum suum rugientes restituit Martinus, sed cilicio circumtectus, cinere aspersus, solo stratus, in fide orans, &c. Qua molem idolo latricam quoq; in uico Ambiacensi deiecit. Ea erat potissima, lapidibus in altum constructa, quo opere penè uisitur Egilis ille lapis apud Maguntiacum, Est item memorabile, quod serpentem immanem fluuio, per inuocationem diuini nominis dispulit: quo facto dixisse cum gemitu fertur: Serpentes me audiunt, & homines non audiunt. Est in sequentibus etiã mentio Martini sacrificium offerentis in altario, quo tempore, diem Paschæ festum pisce miraculosè capto celebrarat. Cur autem illi minus conuenerit cum præfulibus Cosmodulis, quibus cordatorum intelli-

git

git. Eximię uirtutis est, quod hæc uox nauigatorum coorta tempestate, cumq; omnia omnibus intentarent mortem, salutẽ attulit: deus Martini, eripe nos. Quo turpius errant, qui, omisso deo, Martinum ipsum aut Nicolaum in extremis uitæ necessitatibus implorant. Quid uerò incorruptius & Euangelicoteron cogitari queat, quã quod centũ argenti librã, à Lycontio, cuius domui cœlitus subuentum fuerat, Martino donatã, statim redimendis captiuis totum pondus deputarit? Cuius apophthegma tum erat: Ecclesia nos & pascat & uestiat, dummodo nihil uisibus nostris quæsisse uideamur. O uerbũ nostris ignotum Clerarchis, quemadmodum & mores nostrorum seculorum ab antiquis illis multo dissimillimos. De Bricio seu Brixio consecratore quidem Martini, sed eiusdem persecutore, obstupescendam metanœan narrant. Istam inusitatam malignitatem hominis, Satanæ authori rectè tribuunt, neq; tamen non pertulit uir Deo plenus, ac omnium mansuetissimus, omnis generis probra & contumelias. Quid? dixerat ad suos, Si Christus Iudã passus est, cur ego Brixium non patiar? Sic fert Catholicus pseudocatholicum, sed in spem insecuturæ respicientiæ, quæ salutem parit animæ iam perituræ. Tandem cum esset annoiũ. lxxxj. & præfuisset episcopæ xxvj. annos, Imperat. Arcadio & Honorio (quo tempore & Ambrosius ipse Mediolani uixit) in quodã uico suæ diœceses, in Christo feliciter obdormiuit. Et corpus quidem ad oppidum Turonicum cum celeberrimis psallentium laudibus nauigio uectum est, sed Pictauiis reclamantibus. Felix illa lis inter geminos istos populos de uendicato Sancto Sancti uiri corpore, ne quis hîc de Homero sepeliẽdo certari putet. S. Augustinus in Speculo peccatoris, de S. Martino scribit in hunc modum: Si ille serpens uenenosus diabolus & sathanas ausus fuit cum furore impetum face-

X 3

lendum Deum, & ad operas literarias instituit, de quo collegio postea permultos Episcopos assumpsit Ecclesia. Iam inter alia aliquot gesta episcopalia haudquaquam infimum erat, quod populum superstitione liberauit, submoto nimirum altari pseudo martyris cuiusdam, & passim destructis Idolorum fanis. Quanta uero magnitudo diuini spiritus hoc in homine, dum signo salutis operatur uirtutes tantas in Gallia, praesertim in sistendo pagani cuiusdam caduere, in auersa ruina pini arboris, quam pro numine gens caeca coluerat. Praeterea in auerso incendio, in diruto rusticorum repugnantium delubro, & quoties efficacia praedicationis uerbi Dei corda gentiliu a mutis simulacris ad Deum uiuum deflexit: postremo in curata paralyti puellae Treuerensis, in restituto Daemonizomeno Tetradij seruo: in irriso, exufflatoque & reiecto diabolo, in mundato apud Lutetiam leproso, in profligata feбри per epistolam in aedibus Arborij, in sanato Paulini oculo &c. Illud quoque uehementer in hoc uiro Dei collaudandum, quod principibus adulari nesciret: atque eam ob rem illorum fugeret conuiuia, maximè iniquorum. In deuincendo Satana, technisque huius patefaciendis, nulli Sanctorum unquam secundus erat. Nec uidit Episcopum Gallia, qui pseudoprophetas (quorum alius se Heliam, alius se Baptistam esse mentiretur) pari autoritate conuicerit atque pudefecerit. Sermo eius familiaris fuisse scribitur, de hoc saeculo contemnendo, & relinquendis, quae mundus habet amataque, impedimentis, ne quid obsistat sequenti Christum. Breuiter rota Sanctis, uiri uita Euangelio Christi conformis erat, siue uerba loquentis, siue facta conuersationis uniuersae consideres. Ibi ieiunia crebra, ibi precatio creberrima, ibi ad cultum diuinum semper uigiliae, ibi lectio sacrae scripturae assidua, ibi concio uerbi dei, ibi parochiae uisitatio, seruitus proximi, pacis amor, odium

peccati,

peccati, Ecclesiarum sollicitudo, sui ipsius suaeque rei abiecta cura, otium nullum, nulla uoluptas, & ne suspicio quidem criminis unius, sicuti conuersari sanctos decet uictores nimirum ac triumphatores huius saeculi nequam: summatim ita uita Martinus egit, ut non solum cum eremitis ac anachoretis Aegypti conferri, uerum etiam praeferi illis possit, seu spectes aedita per se de signa, seu omnem in charitate conuersationem, seu oeconomiam Christianam in recto zelo administrationem. Sed plura sigillatim de gestis episcopi uere sancti, ad aedificandum auditorum animos, si libet, ex Seueri Sulpitij dialogis referemus. In ecclesia non cathedra, sed rusticana quadam sella, uocant tripodas, usus est, ut eo exemplo arrogantiam fastumque quorundam Praefulum pudefaceret. Et cum alium quendam mendicum nudum tunica sua intima uestisset, & ab opere illo charitatis ad altare oblarurus sacrificium (sic enim Sulpitius) processisset, uisus fuit globus ignis de capite eius emicare. Verum tetatio consequuta, cum diocesanes uisitaret (utor uerbo Sulpitiano) & fustibus flagrisque in uia caesus, ac cruore respersus in asellum suum impositus esset, patientiam atque constantiam uiri arguit. Mira hominis sanctitudo. Mira fides, qua nondum episcopus duos mortuos uitae restituit, episcopus uero unum tantum, nempe puerum in uico quodam Paganorum. Quo uiso miraculo, popellus ille Christum a S. Martino Euangelizatum, deum esse confessus, sese nostris coniunxit. Et tales ipse, imposita manu omnibus catechumenos fecit. Quam piam autem colloquium ipsius cum Imperatore Valentiniano & maximo fuerit, oportet, in quo omnia de deo deque regno dei tractata sunt, ubi Regina conuiuio apparato, tam Martham se praebuit ministrando, quam Mariam audiendo. Quid ibi non pietatis, quid non honestatis plenum? Quin memoratu per dignum quoque est, quod de efficacia stramenti, in quo uir ille sanctissimus conqueuerat, & quod de bucula diabo-

X 2

dæmone se fuisse tandem sanior confitetur. Non erant apud Martinum labor iste difficilis, ut ignosceret supplicanti. Tum & ipsi, & nobis omnibus exposuit, qualiter illum uidisset à dæmonibus agitari, se conuictis non moueri, quæ magis illi, à quo essent effusa, noeuissent. Exinde cum idem Brixius multis apud eum magnisque criminibus persæpe premeretur, cogi non potuit, ut eum à presbyterio summoueret, ne suam persequi uideretur iniuriam: illud sæpe commemorans, Si Christus Iudam passus est, cur ego non patiar Brixium? Raphaël Volater. lib. xiiij. Anthropolog. Frontinus Britius, inquit, præsul Turonensis, Martino successit, cui aliquando aduersarius fuit diaconus: deinde sanctitate emicuit, &c. Anto. Sabellic. lib. x. hoc exempli de Brixio describit: Pari infamia perfusus Brixius Turonensis antistes, primo pueri nondum menstrui usus est testimonio, qui Christi nomine rogatus, negauit Brixium esse patrem, ascribere prodigiosum astatu æmuli magicæ arti, ardentem prunam pius antistes in sinum collectam per populum impune circumtulit, neque id miraculum obstitit, quo minus dignitate priuaretur, &c.

S. ELISABETH REGINULA.

Per G. Vicel.

Hoc optimum spoliū ex Hungaria retulit ecclesia nostra Christoque sponso grata reddidit. Atque, o Hungariam uel hoc uno nomine celebrissimam, quæ Germanis nobis talem thesaurum protulit. Hæc demum erat materia, de qua sibi spiritus Domini tam sanctum templum fabricaret. Fuit hæc Elisabetha filia regis Hungarici Andree, filij Beleg Tertij. Mater huius Gertrudis, natione Germana. Mirum uero dictu, quam intra ipsos pueritiæ annos præclarum pietatis specimen dederit. Quinquennis etiamdum præludit ad illud disciplinæ fastigium, in quo

quo iam adulta clarissimis operibus emicuit. A ludis nugisque puerilibus abstinuit: & nix quoquam aulico animaduertente, paulatim rebus serijs affuevit, præter ætatis morem. Inerant in puellulæ pectusculo scintillæ quædam cælestis spiritus, quibus accensa, nullis aulæ regis uoluptatibus capiebatur. Septennis cæpit esse religiosula, quotidie penè templi limina terrens, humi prostrata Deo supplicans ad nocturnam obsecrationem uigilans, & delicatis illis manusculis donariola mendicis obtrudens. Nec sat habuit, quod ipsa religiose Deum coleret, nisi coætaneas etiam ac socias puellas hortaretur eò. Inter illas cum esset aliquando ducenda chorea, non potuit induci, ut uno plures circuitus faceret. Vnum, inquiens, mundo placando dedi, reliquos honorando Deo intermittam. Quo suo exemplo compluscultas à lasciuæ saltationis consuetudine auocauit. Iam adultior, quippe nubilis, & principi Duringie Germanorum Ludouico in uxorem data, morem gerit parentibus, ac demigrat ad nos Teutonas, principis futura coniunx, ut Christo, quem habebat sponso chariorem, prolem legitimam gigneret. Et o sacrum coniugium, in quo probæ matrona mentis omni orbi tot uirtutibus innotuit. Vitæ statum mutauit, non affectum. Hungarica uirgo Dei Opt. Max. seruitio mirum in modum antehac addicta fuit, nunc scæmina Duringica, ultero quam credi queat, eidem Deo nostro, qui est benedictus super omnia, totis uiribus, tota anima, totoque corde seruiuit: nec quid omnium prius habuit, quam maiestati tanti regis placere. Saluo matrimonij iure, atque adeo consentiente marito, de nocte ad preces surgere consuevit, quam obrè sæpenumero secubuit. Precibus addebat lachrymas, quo penetrantiores essent earum diuinis digniores auribus. In publicis rogationibus incedebat discalciata, in stationibus inter pauperculos ambiebat locum. Et ipsa sibi multam indixerat,

autem, qui ei tales res nitebantur prohibere, dicebatur Aurum distribuere opus imperij est: ego autem pro ipso imperio hoc opus offero, bona mihi omnia cōferenti. Nam uiro suo sæpe dicebat: Oportet te semper marite cogitare, quid pridem fueris, quid modo sis. Hæc si semper cogitaueris, ingratus benefactori non eris: sed imperium, quod suscepisti, legitime gubernabis, & harum rerum placabis autorem, &c. An non hæc Flacilla & nostra Isabelilla eodem spiritu induta fuerunt? Talis per omnia Radegundis regina fuisse, in Mariano codice legitur. Quibus rectissime adiunxeris Marcellam uiduam, de qua Hieronymus noster ad Principiã uirginem in hunc modum scribit: Neque uero Marcellam tuam, imò meam, & ut uerius loquar, nostram, omniumque sanctorum, & prius Romanæ urbis inclytum decus institutis Rhetorū prædicabo, ut exponam illustrẽ familiam, alti sanguinis decus & stemmata per proconsules & præfectos prætorio decurrentia. Nihil in illa laudabo, nisi quod proprium est, & eo nobilius, quod opibus & nobilitate contempta, facta est paupertate & humilitate nobilior. Orba patris morte, uiro quoque post nuptias septimo mense priuata est, &c. De parentibus huius nostræ multa leguntur egregia in chronicis Hungaricis, & Io. Tritemio teste, descripsit signa diuinitus edita ad sepulchri, huius Gerhardus quidam cœnobita S. Quintini in Insula, sub Rodulpho Imp. anno 1270.

Nec prætercurrere debeo Pulcheriam imperatricem, de qua Nicephorus Græcus historiographus sic prodidit: Pulcheria beata & pia dormiuit in Christo, quæ multa bona fecit, & omnia sua pauperibus dereliquit, quæ Martianus cum multa essent, alacriter dedit. Construxit autem eadem & multa oratoria, domosque pauperibus ac hospitibus, nec non sepulchra peregrinis ædificauit, inter quæ S. Laurentij

martyris

martyris templum construxit. Hæc Nicephorus.

Erat & alia Elisabeth, dicta Saxonica, ordinis monachici, sanctitatis opinione decantata, quæ scriptos quoque libros post se reliquisse fertur. Ni fallor, est hæc illa Elisabeth, cuius librum de arcanis uisionibus D. Iacobus Stapulensis, Hermæ apostolici reuelationi adiunctum, in publicum edidit curauit, quibus etiam additæ sunt Apocalypses Vguetini, Roberti, Hildegardis, Mechtildis, &c.

Præter has prima omnium Elisabeth Iudæa uxor sancti sacerdotis, & Ioannis Baptistæ mater, uerbis amplissimis prædicanda est in omnibus ecclesijs. Huius sanctissimæ matris familias uitam pauculis depinxit S. Lucas Euangelista. Imò prima omnium Elisabeth est, quæ Aaronis uxor erat, Hebræis appellata Eliseba aut Eliseban, Exod. 6. Mulieres opulentæ auditæ, & facite secundum has tres, unaquæque pro mensura gratiæ sibi datæ diuinitus.

S. CHRYSOGONVS MARTYR,
Ex annalibus ueterum.

Chrysofonus, Diocletiani Imperatoris iussu, propterea quod esset Christianus, Romæ iam biennium unculis premebatur, sancta Anastasia ipsi, & multis alijs Christianis alimenta suggerente: quum Diocletianus ex Aquileia Romam scripsit, ut cæteris Christianis, qui uincti custodiebantur interfectis, Chrysofonus ad se remitteretur. Aquileiam igitur delatus, Cæsari præfecturas & magnos honores sibi (si deos adoraret) pollicenti, respondit: Vnum deum mente colo, ueneror & adoro: ista deorum simulachra, tãquam malorum demonum thecas execror &

sicut Apostolus inquit. Tandem cōsultente pio Thra-
sybulo, relictis ingratis ciuibus, & liberis suis neces-
sario cuidam ad alendum commissis, Marpurgum
Helsiæ petijt, ubi, si unquam aliàs, pauperum curam
cupidissimè suscepit, constructis in hoc prochodo-
chijs, ut de magnifico templo nihil dicā. Hic quotidie
magis ac magis seipsam uicit humilitate, contemptu
mundi, amore Dei. Quicquid supererat tam de regia
dote, quàm de residuo aulae Duringicæ, id omne dis-
perfit inter egenos. Deo tota delita noctu diuicq̃ ui-
gilabat ad obsequium maiestatis eius, iam altera Ma-
ria contemplando, iam altera Martha operando. Ipsa
suis manibus nunc nebat, nunc suebat, non tam pa-
randi uictus, quàm uitandi ocij causa. Nihil erat tam
abiectum, exiguumq̃ & uulgare, cuius faciēdi ipsam
puduerit, si modò non inhonestum erat. Recusabat
audire ab ancillis domina, ut quæ superbam istā usur-
pationem dominij illicitam putaret Christo sacratis
hominibus. Precationes energiticas ac operantes ef-
fundere, seu taculari potius ad altissimum saepe sole-
bat, necnon uisiones uidere. Breuiter sic se gessit Eli-
sabetha, ut uihil in ea uel uirgine, uel coniuge, uel ui-
ua desyderare possis, nimirum homo Dei existens
omnibus numeris absoluta. Postremo uita ad finem
piè ducta, febre corripitur, qua & mortua est in Do-
mino, anno MCCXXVI.

Facit huius Elisabethæ mentionē, & Platina Cre-
monēsis in Gregorio nono. Legi meretur etiā, quod
de hac diua carmine scripsit H. Eobanus Hessus, in
epist. sanctarum Heroidum. Anton. Sabellicus sic de
hac heroide scribit: Helisabeth regia domo orta, post
uiri interitum, opibusq̃ bene consumptis, quum pal-
liolo penè lacerò amiceretur, omnibusq̃ despiciatissi-
ma occurreret, temerariæ mulieris occursum, quam
integra fortuna, benignè iuuerat, foueratq̃ multa
benignitate, ad terram deiecta, cœnoq̃ resperfa, non
modò

modò non grauter tulit, sed subridens statuit se leni-
ter in pedes: & quòd contemptui fuisset spectanti-
bus, tacite gauisa est. Idem Sabellicus de eadem: Heli-
sabeth, quæ tam humiliter uixit, quàm clara est inter
homines & illustres, regia fortuna, in qua orta fuerat,
aut lanam carpere ab oratione, aut texere, aut certè
aliud serio operari, ne per ocium & quietem ullum
sibi tempus elaberetur, nullam (ut credere æquū est)
maiores iacturam arbitrata, quàm temporis, in quo
sita est uillicatiois ratio, quàm Euangelica celebrat
historia. Item: Vix meretur hæc quæ fando audierit,
aut legerit aliquando ab Elisabethæ regis filia abdu-
ci solitas in secretum domesticas ancillas. hisq̃ heri-
le corpus atrociter uerberandum præbuisse, fuitq̃ il-
lud haud uno modo proficere, nam & castitatem per
hæc tueri, & patientiæ assuescere.

Elisabethæ huic sociam par est Flacillam Augu-
stam, Græcis *φιλάνθρωπον* dictam, adiungere: eo quòd
mendicos tam enixè foueret. Adnectam de hac uer-
ba Ecclesiasticæ historiæ, lib. ix. cap. xxxj. Habebat igi-
tur imperator & aliam utilitatis occasionē, per quā
de bonis operibus triumpharet. Cōiunx enim eius
de diuinis legibus eum sapius admonerat, seipsam
tamen perfectè prius erudiens. Non enim regni fa-
stigijs eleuata est, sed potius diuino amore succensa.
Beneficij nanque magnitudo, maiorem ei amorem
benefactoris excitabat. Repentè ergo ut uenit ad pur-
puram, claudorum atq̃ debilium, maximam habebat
curam, non seruis, non alijs ministris utens, sed per
seipsam agens, & ad eorum habitacula ueniens, &
unicuiq̃ quod opus haberet, præbens. Sic etiam per
Ecclesiarum xenodochia discurrens, suis manibus
ministrabat infirmis, ollas eorum tergens, ius gu-
stans, offerens coclearia, panem frangens, cibosq̃
ministrans, calices abluens, & alia cuncta faciens,
quæ seruis & ancillis mos est solenniter operari. Illis
autem,

scubi foret in quotidiano Dei cultu segnior. Ceterum quod ad mundū muliebre artinet, nulla conditionis etiam infimæ scemina uilius uestita fuit: maxime à uiri obitu. Et illo tam abiecto uestitu, non hypocriticè, sed euangelicè usà, hoc sæculū nequam pudefecit. Nullus in hoc gynæcio fastui aut ornatui ille cerebroso locus, nulla hic pompæ cura, cessarant aulæ leges, exularat amor spectaculorum. In esu ac potu hac principe scemina nihil frugalius, nihil moderatius. Quin studiosè etiam uitauit lautiores cibos, interim plebeis edulijs uescens. Tum uerò magis abhorrebat à conuiujs opiparis, quoties secum reputauit, principes subditorum laniatu ditescere, & pinguescere sudore alieno. Nec tulit, ut gynæcium ulla afortiæ & popinationis istius aulicæ, non enim dicam diabolicæ macula infamaretur, nimirum disciplinæ à Thra sybulo monacho suo traditæ retinentissima. Maluit enim mendico monacho, quàm diuiti episcopo, pietatis magistro, ac ergo diocta præstrenuo in lubricitate uitæ huius uti. Inedia corpus macerare, egregium semper fuit in ecclesia. Iam si quæras, quomodo se erga proximum suum gesserit, in confesso est, non uixisse mulierem, quæ in benefaciendo præcellentior extiterit. Neq; enim temerè mater pauperum uocata est. Nudos quoscunq; uspiam conspexit, textit: atq; id se suis interdum uestibus, quoties ad manum non erat, unde daret dilectione feruentissima mulier. Exhaustit aliquoties granarium, dum prospicit famelicis, dum curat, ne egeant pauperum infantes, desolata uiduæ, ægroti mercenarij. His colligendis extruxit ptochodochium Isennachi in decliui montis cuiusdam, ubi arx sita est, à specula nomen ducens. Nā eo in castro cum Lodouico principe coniuge suo uitam egit. Quo loco paucis ante annis uetus monumentum, uidelicet fontem bonitate celebrem uidi-mus, quo Elisabethā languidorum capita lauuisse ho-

die

die cōstans ac perpetua fama est apud incolas eius prouinciæ. Nunc in uersa illic religione, templū eo loco memoriae tã piæ principisq; sacri, in dedecorosum bouile uersum est. Huc autem sōlebat frequentissimè descendere, pauperes suos reuifere, & quod maius est in tanta scemina, ulcerosos Lazaritas lauare, tergere, fouere, ijs insuper ministrare, quando ad mensam accumberent. Nec sine dei peculiari dispensatione factum est, quod maritus huic tam raro uitæ generi, hoc est, tam firmæ atq; admiradæ uxoris pietati, neq; sermone, neq; ullo facto restitit: sed reliquit illā suo ingenio, nolens in ea spiritū extinguere. Annis aliquot exactis profectus est princeps Lodouicus in Palæstinam, siue ut illic oraret ad sepulchrum Dominicum, siue ut aduersus Sarracenos pugnaret, pro fo-cis arisq; Christiani populi. Verum accidit, ut peregrè moreretur. Cuius rei fama simul atq; peruasisset ad Warteburgensem aulam, ingens luctus obortus est. Quo completo, cœpit innouari tota regionis administratio. Illicò cooriuntur in Elisabetham inimici proceres, qui uiuo principe amicorum imaginē præ se tulerant. Ab his infelix uidua castro pellitur, non aliter ac si fuisset ancillarū contemptissima. Sic, sic inquam uerum fit, quod ait Apostolus: Omnes qui in Christo uiuere uolunt, afflictionem pati oportere. Tum uerò quid esse poterat calamitosius sancta illa matrona? orba uiro, spoliata domo, terrenis exuta bonis passim exulabat: & quæ in omnes fuerat munificentissima, à nemine tecto etiā recipiebatur. Nec est in hunc usq; diē è uulgi sermone obliteratedū, quanta cū inhumanitate miserā tractarint Duringi. Quo factū, ut eā quasi illinc profigatam aliò concedere oportuerit. Accessit ad calamitatem hoc quoq; quod præsul Brandenburgensis auunculus illi renubendū suaderet, qucum nollet alteri misceri uiro, dum uiueret, utpote potestatem habens propriæ uoluntatis, sicut

& abominor. Tum imperatoris iussu ad locum, cui nomen erat Aquægradatæ, ductus. Ibidem decollatus est viij. Calend. Decembris. Cuius corpus in mare proiectum, & postea in possessione, quæ dicitur ad Saltum, à Zoilo presbytero inuentum, in domo sua sepultum est.

De alio quodam Chryfogono legimus etiam, Aquileiæ monacho uidelicet, ad quem S. Hieronymus Epistolium scripsit.

ANASTASIA CVM SORORIBVS.
Per G. Vicel.

Anastasia Romanæ familiæ, patre ethnico, matre uerò Christiana, catechista seu institutore Chryfogono fidem Euangelicam bellè edocta, & agendo & patièdo declarauit, se timere deum cœli. Verùm ut nonnullis alijs, ita huic quoq; Anastasiæ connubium impar, nec ita stabile, supplicij occasio fuit. Nam Publio gentili homini, iubente patre, coniuncta, & nihilo minus officijs Christianæ religionis functa, sanctiss. ac honestissima mulier, summū mariti odium incurrit. Bonum opus operata est Anastasia, ob id malè tractatur à uiro. Quæris, quidnam operis? Solebat Chryfogonum suum, cumq; hoc plures Christianos carceratos inuifere & pascere. Pudit Publum impium pijsimi facinoris huius, nec ferre potuit beneficam uxorem. Coniicit ergo in carcerem, quæ carceratis ministrat. Eam uerò in uinculis immanissimis, cœlestis pater haudquaquam dereliquit, nec deseruit. Leguntur epistolia Chryfogoni ad Anastasiam, & huius ad illam, quibus alterutrum cum consolantur in eadem afflictione carceris, tum exhortantur ad patiendum grauiora. Interea sorores eius Agapa, Theia, Irena, capite plectuntur, propter confessionē Christi Iesu. Felices ter, & amplius animulas

animulas, quæ obdurare potuerunt in tanto agone. Publio tandem mortuo, liberatur Anastasia carcere, & uictrix iam uehementius solito incumbit in bene operandi studium. Crux repetitur, scœmina constans est. Dynastes iubet adorare, iubet sacrificare, Anastasia non facit. Alius tyrannus iubet sibi dari opes, utpote quas habere uetuisset Christus. Illa respondente: Ergo ne tibi opulento, & non potius egenis dederim? Commotus ira, Christianam mulierem continua inedia cruciadam in uincula protrusit. Dein ad palum religatæ ignem admouit, & corpus occidit, animam occidere non potuit. Eodem temporis spacio alij complusculi è Christianorum numero uarijs supplicijs perimuntur. Inter quos unus alacrior quum uidisset opes sibi omnes eripi, elata uoce dixisse scribitur: Heus uiri, quod unum potestis auferte hinc, licet hoc quidem per me: tantummodo Christum Iesum à me ne auferatis. Facta hæc sunt tempore Diocletiani.

Apud Nicephorum legitur de corpore sanctæ Anastasiæ, à Sirmio Constantinopolim delato, & reposito in templum eius in porticibus domini. De eodem ibidem habentur hæc uerba: Vasto incēdio Constantinopoli facto, Marcianus œconomus ascendens super tegulas sanctæ Anastasiæ, tenens Euangelium orationibus & lachrymis illam domum seruauit. Historiæ Tripart. lib. ix. cap. viij. & ix. scribit Sozomenus de templo Anastasiæ apud Constantinopolim:

Nimirum, quòd ab Anastasi, hoc est, à resurrectione isto nomine uociterur. Eo enim loco Orthodoxia tanquam à mortuis resurrexerat. Arianismo deuicto, præter quàm quòd ibi mortua puerpera, ui catholicæ precationis, reuixit.

CECILIA VIRGO ET MARTYR.

Per G. Vicel.

ROmana hæc & benenata Cecilia Christi Iesu discipula, sanctum Euangelium in corde gestans, ad confessionem oris semper gestit inter medios idololarras patriæ suæ. Hæc desponsata Valeriano generoso iuueni, anxie cauit sibi, ne cum illo commixta inquinaretur, atq; id tuendæ uirginitatis proposito, præterquam quod à consortio ethnici coniugis abhorruit, cui haud dubie præter uoluntatē suam à parentibus dicata, seu uerius adacta fuit, ut dextræ dextram iungeret. Fidem quidē conjugale serua uit sponsa sponso, & est ueteri de more domum ducta, sed à congressu atq; contactu mariti pertinaciter abstinuit: atq; hoc non sine exorato consensu mariti. Existimes renouatum Iosephi ac Mariæ, quantumuis rarum exemplum. Nec dissimile est, quod de Henrico imper. & Cunegundi apud Babenbergenses & dicitur, & creditur. Talis inquam connubij uirginici occasione primum innotuit Romæ, Ceciliam Christianam non esse modo, sed pridem etiam fuisse, tametsi dissimulatus. Etenim apparatis perquam splendide nuptijs, ac amicis undiq; gratulantibus, lætoq; clamore omnia implentibus, nubes spargentibus, ipsa Cecilia Christum cogitat. Et ne uideretur in ciuilior, uestitur holosericis, callide regens cilicinum indusium, noua Esther. Atq; ita sponsa sæculi, cultu exteriori præ se fert, interiore discipulam Christi. Illi enim soli consecrarat cor, quippe potiorem sui partem. Alia alijs agentibus, cecinit Cecilia apud animum suum illud ex octonarijs Dauidicis: Fiat cor meum immaculatum in iustificationibus tuis, ut nō confundar. Hanc uerō pietatem crebris precibus, ieiunijsq; restabatur, & munita talibus armis, spōsum sub primam statim noctem efficaci persuasione flexit in assensum, inq; dei metū. Iuuenis arcano audito, repēte fit

te fit alius. Restabat, ut plenius edoceret Christianæ fidei negociū, dein Ecclesiæ lauacro purgaretur. Mittit ergo nympha nymphū in Christo nunc amantissimū ad Urbanum, eo tempore Romanæ urbis episcopū, huius nominis primū, ut is euangelizaret iuueni, simul & credentē baptizaret. Quo factō redijt Valerianus Christianus iam, & Cecilie non tam coniunx, quā frater: Nec ea res sine uisionibus mysticis transacta est, quibus neophitū confirmari conueniebat. Non procul absunt angelici spiritus, ubi ad spiritalē Ecclesiæ structurā uiui lapides adduntur. Cæterum Valeriano germanus erat, nomine Tiburtius: hunc protinus cœlestium beneficiorū ac gaudiorum participem facere cupiens, non quieuit, quoad usq; ille eidem Christo nomē daret. Negocium dei, urgente spiritu, leui opera transigitur. Adest properē Tiburtius, audit admirabiles sermones, iam ex Valeriano fratre, iam ex affine Cecilia. Hic uelut è suggesto prædicabatur in scelestissimam Romanorum idololatriam, & huius pedissequam, totius uitæ turpitudinē. Quo lolo ex mente Tiburtij catechumeni reuulso, plantatur unius dei cognitio, inseritur Euāgelij. De ter sacra Triade docet Cecilia tanta dextera te, ut à radiusculo percontatore omnes scrupos eximeret. Quē admodum, inquit, in una hominis sapientia tria sunt, uidelicet, ingenium, memoria, intellectus: sic quoq; in una diuinitatis essentia tria hæc, pater, filius, spiritus. Post hæc speciatim differit de incarnatione, natiuitate, conuersatione, passione, resurrectione dominica, his quidem uerbis: Unigenitus Dei Hierosolymis hostiliter uinctus est, ut genus humanum peccatis obuinctum liberē dimittatur. Benedictus maledicebatur, ut homo maledictus benedicatur, &c. In hanc sententiā multa cōcionatrix uirgo hinc perorabat: illinc neophytus frater fratrem subdubitātē adhuc & metuētē uerbis idoneis fulciebat.

Nam id temporis sæuebatur passim per Italiam in Christianorum corpora. Quapropter Urbanus episcopus fugitare sæuitiam, & latitare in cæmeterijs semet nimirum seruans publicis fratrum ac sororum commodis. Verbum Dei capit in auditore. E' cælis incrementum datur, adeo, ut catechumenus de causa longe certissimus in eiusmodi uocem erumperet: Hæc qui non credit, pecus sit oportet. Qua uoce maiorem in modum delectata Cecilia, osculum libauit dulcissimo leuiro. Quid multis? Ducitur Tiburtius à Valeriano ad Urbanum, à quo inicitur baptismi mysterijs. En tibi igitur par Christianorum haud uulgare. Reliquum erat, ut zelotæ bonorum operum, cognito redemptori Christo Iesu toto uitæ tempore deseruirent, ne gratiam in uacuum accepisse uiderentur. Quare cum deo ambulant, sæcularia desyderia à se coercent, concupiscentijs iuuenilibus non indulgent, ieiunant, uigilant, orant, dispensant, uisitāt, & nihil horum omittunt, quibus fides ostendi, & Christiana professio ornari solet. Vis audire, seruis dei quid acciderit? Persecutio est in foribus, ut semper post se pietas crucem trahit. Allomachus præfectus fratres in ius uocat. Ipse & accusator & iudex, pro sui animi libidine, ethnismi seu paganismi causam agit. Odium Christiani nominis maligno homini calumniandi & blasphemandi materiam abunde suggerit, Accusantur pij fratres de cura mortuorum. Crimen est: Sepelierunt interfectorum Christianorum corpora. Hos falsus iudex propter flagitia damnatos fuisse pronunciat. Fratres respondent pro fratribus, ut se decuit, & os impudens Allomachi oportune redarguunt: confutatis omnibus, quæcunq; tuandis idolis in medium afferret. In summa proponitur, ut aut ad aram eant, aut ad custodiam. Itur ad custodiã, tanquam ad mensam regaliter instructam. Qua fortitudine complures, Tragœdiæ istius spectatores,

tores, permoti, cooperante spiritu dei, consenserunt Euangelio. Postea fortissimi cæli milites Valerianus & Tiburtius, tanquam homicidæ ac fures educti ad aliquot lapides ab urbe, pro euangelica atq; catholica fide cõscelerato carnificis ense decollantur. Nec hoc solũ, uerumetiam bona eorũ cõuasata diripiuntur. Cui tyrãnidi quidnam addi possit? Superest Cecilia, quæ castissimũ sponsum sequi nihil timuit: illius enim apophthegma erat: Melius est fœliciter mori, quàm infœliciter uiuere. Cũ ea præfectus ob id aliquanto cūctatus egit, suppliciumq; destinatum prorogauit, ut uel metu mortis, uel amore uitæ reducta, Christi nomen pernegaret. Sed spe inani luditur. Subornat Allomachus, qui uario sermonis genere cõstantem deiciant, inq; diuersũ sensum retrahãt. Sed hac quoque ratione nihil agitur. Virgo prudens & eadẽ magnanima egregijs sermonibus aduersarios deuicit, docens omnia esse posthabenda cœlesti hereditari. Qua exhortatione aliquot boni homines attracti spiritu, fidẽ nostrã professi sunt, & ab Urbano episcopo. Ro. Baptismate donati. Videbatur præfecto superbiuscula Cecilia, quod confidenter pro se responderet: sed eã cõfidentiã illi peperit cõscientia bona, & fides minime ficta. Nec superbiã, sed cõstantiã esse, quod tam fortiter resisteret blasphemati, ipsa quoq; affirmabat Et tã falsum quàm uerũ est, quod Imperatoris potestatis titulo turgens Allomachus à Cecilia uelut extusum audit: Potestas tua est quasi uter nento repletus, quẽ si quis acu pũgat, protinus flaccescit. Verũ uerbis ultro citroq; iactatis, succedũt uerbera. Sancta puella mergitur feruentibus aquis, atq; in his detrũcatur, nõ sine crebris ictibus, Hic pietatis honos hoc in mũdo. Passa est anno Domini. cxxxiiij. Tenellum succulẽtũ corpus uirginis humatũ ab Urbano, opes in egenorũ manus reconditæ. Diuus Ambrosius sic refert in libro Præfat. Sancta Cecilia cœlesti dono re-

pleta, ut martyrii palmam assumeret, ipsum mundum est cum thalamis execrata. Testis est Valeriani coniugis & Tiburtii prouocata confessio, quos domine angelica manu odoriferis floribus coronasti. Viros uirgo duxit ad gloriam. Mundus cognouit, quantum ualeat deuotio castitatis. Herman. Contractus de his ad eum modum annotat: Aurelij Imper. tempore coronantur Romæ Calistus & Urbanus Papæ, Cecilia uirgo, Tiburtius & Valerianus, Calepodius presbyter, Palmarius consul cum uxore & filijs, & Simplicius senator. Anthonius Sabellicus de S. Cecilia sic scriptum reliquit: Magnum & Cecilie uirginis exemplum in hac relatione, quæ Valeriano desponsa, ne in nuptiali quidem ornatu cilicium deposuit, sic duobus sponis placitura, celesti interiore, hoc alteri, qui in terris erat cultu exteriori.

CLEMENS ROM. PONTIFEX.
Ex certo authore.

Clemens patria Romanus de regione Cælij montis, patre Faustino, Domitiani temporibus fuit. Clemens autem quartus (ut dixi) tum erat Romæ post Petrum episcopus. Nam Linus secundus est habitus, tertius Cletus, tametsi plerique Latinorum secundum post Petrum putauerint Clementem fuisse: quod etiam Epistola ad Iacobum Hierosolymitanum episcopum planè significat: Simon Petrus ubi finem uitæ suæ adesse sensit, in corona fratrum positus, apprehensa manu mea, Hunc (inquit) urbis episcopum constituo, qui mihi in rebus omnibus posteaquam Romam ueni, comes fuit. Subterfugiebam ego tantum onus: tum ille, sibi tantummodo consules, populum Dei in fluctibus ambulanti deserens, cum periclitanti subuenire possis: Verum hic omnium modestissimus (ut dixi) Linum & Cletum sponte sibi in rã-

to

to honore prætulit. Scripsit item Romanæ ecclesiæ nomine ad Corinthios epistolam quidem perutile, nec characteri epistolæ differentē, quæ sub Pauli nomine ad Hebræos fertur. Clemens autem pietate, religione, doctrina multos ad fidem Christi quotidie traducebat. Quam ob rem P. Tarquinius sacrorum princeps cum Mamertino urbis præfecto Traianum in Christianos concitat. Cuius imperio in insulam Clemens deportatur, ubi ad duo milia Christianorum ad secunda marmora damnatorum inuenit. Dum ibi uerò aquæ penuria laboraretur, quam sexto miliario repetebant, Clemens collē haud longe positum conscēdens, agnum uidit, sub cuius dextro pede fons diuinitus abundantem aquam scaturiebat, qua quidem & recreati omnes sunt, & multi ad fidem Christi conuersi. Hanc ob rem motus Traianus, ex satellitibus suis quosdam mittit, qui Clementem in mare proijcerent, alligata ad collum ancora, cuius sacratissimum corpus non ita multo post ad littus delatum est, atque eo loci sepultum extructo templo, unde fons diuinitus emanauerat. Hoc autem factum narrat xix. calēdas Decembris, anno tertio Traiani principis. Sedem uerò Petri retinens annis nouem, mensibus duobus, diebus decem, & regiones septem notarijs diuisit, qui diligenter res gestas martyrum scriberent: & habitis quoque de more sacris ordinibus, decembri mense presbyteros decē, diaconos duos, episcopos quindecim creat.

CATHARINA VIRGO ET
martyr. Ex annalib.
ueterum.

Catharina uirgo Alexandrina claris natalibus orta, liberalibus disciplinis ab ineunte ætate, & sanctis moribus instituta, in eam sanctitatis & doctrinæ

Y 4

magnitudinem euasit, ut annos nata decem & octo doctissimos etiam uiros & grauissimos superaret: tanto studio flagrans Christianæ pietatis, ut quum Maxentij sæuitia multos Christianorum ad supplicia & necē abstrahi animaduerneret, non dubitauerit ipsum adire, eidemq; immanitatem impietatemq; grauissimis & doctissimis uerbis improperare. Cuius sapientiam & constantiam demiratus Maxentius asseruari eam iubet, & ex uarijs regionibus uiros doctissimos conuocari, magno præmio proposito, si quis Catharinam conuicisset, & à religione Christianorum auertisset. Quod longe secus euenit. Habita enim longa cum quinquaginta, qui conuenerant, doctissimis philosophis disputatione, omnes superatos ad Christi fidem conuertit, & sic in fide confirmauit, ut pro ea mori non dubitauerint. Tunc Maxentius ad blanditias conuersus, magnis pollicitationibus Catharinam aggreditur. Quas cum uirgo repudiasset, plumbatis scuticis crudelissime cæsa in carcerem obscurissimum detruditur, & undecim diebus continuis fame & siti cruciata, ad gladiatorum rotam extrahitur excarnificanda. Rota autem continuo ad ipsius preces fracta & comminuta est. Quo miraculo multi sunt ad Christi fidem conuersi. Sed quum hæc omnia supplicia magno animo diuina ope superasset, iubente Maxentio, cuius erat obstinatus animus, capite plectitur ad vij. Calend. Decembris. Eius autem corpus in Sina monte Arabiæ ministerio angelorum conditum est.

S. BURCHARDVS EPISCOPVS

Wirceburgensis.

Per G. Vicel.

Britannus is natus, in Germaniam se contulit, simulac comperisset, hanc nostram nationem Euangelio Christi passim dare manus. Eo tempore præfuit Moguntinensi ecclesiæ S. Bonifacius maximus

ximum totius Germaniæ iubar. Ad hunc Burchardus adolescens adhuc, tam uidentum quam audientum uenit. Mox ille Burchardum diuinat episcopum Franciæ futurum, Kiliani seu Chilianum successorem. Proinde non grauat Bonifacius cum Burchardo Romam adire, ut illic à pontifice Zacharia confirmationem episcopatus huius noui impetraret, & hoc quidem gratis. Pontifex de rudimentis Christianæ religionis in Germania pro sollicitudine pastorali accuratè disquiri, diuus Bonifacius responderet: Euangelij quidem sementem passim inter Barbaros populos germinare, sed deesse operarios aliquot, quorum opera Francia orientalis, in uerbo Dei per Kilianum adnunciato, retineretur. Cæterum nonnullis sermonibus ultro citroq; habitis de cura episcopali, deq; pauperum necessitate subleuanda, creatur simul & confirmatur Burchardus in Episco. Herbipolitanum, ut qui ea cathedra sit tam dignus, quam aptus obeundæ sanctæ functioni. Abeuntes à se Zacharias pontifex religiosissimus, his uerbis prosequitur: Ite fratres charissimi, cooperatores diuini seminis, Crescat fructus uestri laboris, nec ualeat inimicus uobis torpētibus in agro dominico serere, quod tempore messis debeat incendio tradi. Et comitetur uos auxilium diuinæ protectionis, qua ianitor cælestis aulae defensus est, ne à satana ueluti triticum cribaretur. Iam Wirceburgum ingressi sic excipiuntur à pijs ciuibus: Venite patres, uenite serui Dei excelsi, uenite liberatores animarum nostrarum: augete diuini uerbi semina, à beato Chiliano nobis olim præbita &c. Quibus auditis uterq; præful præ gaudio lachrymas fudisse memoratur. Ab illo die cæpit Burchardus sedula meditatione perquirere, qua ratione commissas sibi oues bene pascere, inq; extremo examine superni Iudicis, dominicum Euge promereri posset. Historia subiungit nonnihil de S. Chilianis &

fociorum eius corporibus refofsis, & digniore loco conditis à Burchardo bono pastore, uero præfule, honorando heroë.

S. VVICBERTVS CONFESSOR.

Per G. Vicel.

HVnc haud incelebrem religionis nostræ uirum Anglofaxonem natione fuisse lego, uenisse uero in Germaniam, beneficentissimi Bonificij fama attractum. Quem is, ut rectæ rum fidei, tum uitæ uirum, primum in oppidum, cui Friteslar nomē, dein in Ordorff amandauit, non docendi tantum, uerum etiam cœnobitas piè instruendi corrigendue gratia. Verum mortui in Domino corpus (qua nimirum tempestate Saxones passim uagabantur, omnia depopulantes) nunc huc, nunc illuc transportatum est. Resedisse dicunt in pago Geismar, antequam curante Lullo Moguntinensi præfule, & Albino suffraganeo, transferretur in ciuitatem Heresfeld. Quo tempore in monasterio illo celeberr. nixerunt monachi Ernestus, Batericus & Wolfus. Multa miracula, hoc est, beneficia Dei in ægrotos ferunt apud diu huius Wiberti cineres in Heresfeldensi monasterio facta fuisse.

S. BENEDICTVS CHRISTIANIS-

simus Abbas. Ex lib. S.

Gregorij.

FVit uir uitę uenerabilis, gratia benedictus & nomine, ab ipso suæ pueritiæ tempore cor gerens senile. Ætatem quippe moribus transiens, nulli uoluptati animum dedit: sed dum in hac terra adhuc esset, quo temporaliter liberè uti potuisset, despexit iam quasi aridum mundum cum flore. Qui liberiori genere ex prouincia Mirsiæ exortus, Romę liberalibus literarum studijs traditus fuerat. Sed cum in eis multos ire per abrupta uitiorum cerneret, eū quem quasi

quasi in ingressu mundi posuerat, retraxit pedem, ne si quid de scientia eius attingeret, ipse quoq; in immane præcipitium totus iret. Despectis itaq; literarum studijs, relicta domo rebusq; patris, soli Deo place-re desiderans, sanctæ conuersationis habitum quasi uit. Reuersit igitur scienter nesciens & sapienter indoctus. Huius ergo omnia gesta non didici: sed pauca quæ narro, quatuor discipulis illius referentibus agnouit: Constantino scilicet reuerendissimo ualde uiro, qui ei in monasterij regimine successit. Valentiniano quoq;, qui annis multis Lateranensi monasterio præfuit. Simplicia, qui congregationem illius post eū tertius rexit. Honorato etiam, qui nunc adhuc cellæ eius in qua prius conuersatus fuerat, præest.

Hic itaq; cum iam relictis literarum studijs petere deserta decreuisset: nutrix quæ hunc arctius amabat, sola secuta est. Cumq; ad locum uenisset qui dicitur Enside, multisq; honestioribus uiris pro charitate se illic detinentibus in beati Petri ecclesia demorentur: prædicta nutrix illius ad purgandū triticum à uicinis mulieribus præstari sibi capisterium petijt, quod super mensam incautè derelictum, casu accidere fractum est, sic ut in duabus partibus inueniretur diuisum. Quod mox rediens nutrix illius, ut ita inuenit, uehementissime flere cœpit: quia uas quod præstitum acceperat, fractum uidebat. Benedictus autē religiosus & pius puer cū nutricē suam flere conspiceret, eius dolore cōpassus ablatis secū utrisq; fracti capisterij partibus, sese cū lachrymis in orationē dedit: qui ab oratione surgēs, ira iuxta se uas sanū reperit, ut in eo inueniri fracturæ nulla uestigia potuisset: moxq; nutricē suā blandè consolatus, ei sanum capisteriū reddidit, quod fractū tulerat. Quæ res in eodē loco à cunctis est agnita, atque in tanta admiratione habita, ut hoc ipsum capisteriū eius loci incolæ in Ecclesiæ ingressu suspenderent, quatenus præsentēs &

& secuturi omnes agnoscerent, à quanta Benedictus puer conuersationis gratia perfectione cœpisset, quod annis multis illic ante omnium oculos fuit, & usq; ad hæc Longobardorum tempora super fores ecclesiæ pependit. Sed Benedictus plus appetens mala mundi perpeti, quàm laudes: & pro deo laborib. fatigari, quàm uitæ huius fauore extolli, nutricem suam occultè fugiens, deserti loci secessum petijt, cui Sublacus uocabulum est, qui ab Romana urbe. xl. ferè milibus distans, frigidas atq; perspicuas emanat aquas. Quæ illic uidelicet aquarū abundantia in extenso prius loco colligitur: ad extremum uerò in anem deriuantur. Quò dum fugiens pergeret, monachus quidam Romanus nomine, hunc euntem reperit: quò tenderet, requisit. Cuius cum desiderium cognouisset, & secretum tenuit, & adiutorium impendit, eiq; sanctæ conuersationis habitum tradidit, & in quârū licuit, ministravit. Vir autem dei ad eundem locum perueniens, in arctissimum specū se tradidit, & triuus annis, excepto Romano monacho, hominibus ibi incognitus mansit: qui uidelicet Romanus non longe in monasterio sub Theodaci patris regula degebat. Sed piè eiusdem patris sui oculis furabatur horas, & quem sibi ad manducandum surripere poterat, diebus certis Benedicto panem ferebat. Ad eundem uerò specum à Romani cella iter non erat, quia excelsa desuper rupes eminebat: sed ex eadem rupe in longissimo fune ligatum Romanus deponere panē consueuerat, in qua etiam resti paruū tintinabulum inseruit, ut ad eius sonum uir dei cognosceret, quando sibi Romanus panem præberet, quem exigens acciperet. Sed antiquus hostis unius charitati inuidens, alterius refectio, cum quadam die submitti panem conspiceret, iactauit lapidem, & tintinabulum fregit. Romanus ramen modis cōgruentibus ministrare non desijt. Cum uerò iam Deus omni

omnipotens & Romanum uellet à labore quiescere, & Benedicti uitam in exemplum hominibus demonstrare, ut posita supra candelabrum lucerna clarescere, quatenus omnibus qui in domo dei sunt, luceret: cuidam presbytero longius manenti, qui refectio, sibi in paschali festiuitate parauerat, per uisum domini apparere dignatus est, dicens: Tu tibi delicias præparas, & seruus meus illo in loco fame cruciatur. Qui protinus surrexit, atq; in ipsa solemnitate paschali cum alimentis, quæ sibi parauerat, ad locum tetendit, & uirum dei per abrupta montium, per concaua uallium, per defossa terrarum quæsiuit, cumq; latere in specu reperit. Cumq; oratione facta, benedicentes Dominum omnipotentem consedisent, post dulcia uitæ colloquia, is qui aduenerat presbyter dixit: Surge sumamus cibū, quia hodie pascha est. Cui uir dei respondit, dicens: Scio quia pascha est, quia hodie uidere te merui. Longè quippe ab hominibus positus, quia die eodē paschalis solennitas esset, ignorabat. Venerabilis autem presbyter rursus asseruit, dicens: Veraciter hodie resurrectionis Dominicę paschalis dies est, abstinere tibi minimè congruit, quia & ego ad hoc missus sum. ut omnipotentis dona Dei pariter sumamus. Benedicentes igitur Dominum sumferunt cibum. Expleta itaq; refectioe & colloquio, ad ecclesiam suam presbyter recessit. Eodem quoq; tempore hunc in specu latitantem etiam pastores inuenerunt: quem dum uestitum pellibus inter frutera cernerent, aliquam bestiam esse crediderunt: sed cognoscentes Dei famulum, eorum multi ad pietatis gratiam à bestiali mente mutati sunt. Nomen itaq; eius per uicina loca innotuit cunctis. Factumq; est, ut ex illo iam tēpore à multis frequentari cœpisset, qui cum ei cibum afferrent corporis, ab eius ore in suo pectore alimenta referrebant uitæ,

Reliquæ

Reliqua legat pius presbyter apud ipsum Gregorium in libro secundo Dialogorum.

S. CANTVS, CANTIANVS, ET CANTIANILLA martyres Christi Iesu.
Ex. S. Ambrosio.

Hodie beatissimorum Canti, Cantiani, & Cantianilla natalis est: quam bene & iucunde tres martyres uno penè uocabulo nuncupantur. Nec mirū, si similes sunt nomine, qui sunt similes passionis: Si una est illis apud homines appellatio, quibus apud deum est una uocatio. Vniter enim uocati sunt à domino, non interposito tempore aliter & aliter passi, sed omnes eodē ictu pariter martyriū pertulerunt. Quod quidem illis parentiuā quadam à Christo affectione concessum est, ut congruerent meritis, qui uocabulis cōcordabāt: & qui erant consanguinitate fratres, fierent etiā sanctitate germani: & quorū membra unius corporis substantia uegetabat, eorū animas eiusedē fidei confessio coronaret. Refert autē de beatis supradictis historia, quod tempore passionis, cū eos persecutor inquireret, ascensō uehiculō iunctis mulabus eos secedere uoluisse: & cū nō longe ab urbis mœnibus iter agerēt, unū animal de sub iunctis subito corruisse. atq; ita illos à persecutoribus cōprehensos tentos ad pœnā. Quod factū quā gloriosum sit, & à diuinitate dispositū, debemus aduertere. Semper enim deus quos eligit, hos uictores subuectione sublimi in aulam regni cœlestis inducit. Nam sicut Helias curru applicato quasi ascendit ad cœlum, ita & isti uehiculo admoto ad martyriū perueniunt: & quadriga sicut illum euexit ad requiem, ita hos portauit ad gloriam. Et quamuis illa ignea quadriga fuerit, hæc tamē inferior non habenda est: quia illa unum gestauit prophetam, hæc tres martyres

res sustentauit. Sed dicit aliquis: Gloriosius est gestari quadriga ignea, quām terrena. Nec hoc planè defuit sanctis uiris. Nam sicut Heliam ignea quadriga portabat, ita & martyres fides ignea iam ferebat. Ferebat, inquam, illos Christus, qui lumē est, qui ignis est, de quo scriptum est: Dominus noster ignis consumens est. Ergo cū beatos, de quibus loquimur, persecutor urgeret, uehiculum conscenderunt. Qua causa: Vt fugerent? Absit. Non ut fugerent, sed ut ad martyrium citius peruenirent: non ut latitarent, sed ut Christianos se cunctis transeuntibus manifestius approbarent. Cæterum occultius inter plures in ciuitate latere potuerant, tutius per diuersa singuli fugæ præsidium commendare. At uerò ubi quis congregatione habita stratis uehiculis, apparatu disposito, per aggerem publicum egreditur, illic non fuga dicenda est, sed profectus est. Sancti enim uiri, hoc facto uelut in triumphali curru positi contestabantur, dicentes: Ecce persecutor, ecce proficiscimur, ecce præcedimus, quid refides? quid moraris? Subsequere nostra uestigia. Nolumus enim uideri inuiti ducti ad pœnam, qui præcedere nos profitemur ad gloriam.

NATALIS SANCTORVM MARTYRVM,
Octauij, Aduentitij & Solutoris
Tauricorum. Ex S. Ambrosio
episcopo.

Cum omnium sanctorum martyrum, fratres, deuotissime natalē celebrare debemus, tū præcipue eorum solennitas tota nobis ueneratione curanda est, qui in nostris domicilijs propriū sanguinē profuderunt. Nam licet uniuersi sancti ubiq; sint, & omnibus profint, specialiter illi tamen pro nobis interueniunt, qui & supplicia pertulere pro nobis. Martyr enim cū patitur, nō sibi tantū patitur, sed & ciuibus.

Sibi

Sibi enim patitur ad præmiū, ciuibus ad exemplum. Sibi patitur ad requiem, ciuibus ad salutem. Exemplo enim eorum didicimus, Christo credere, didicimus contumelijs uitam æternam quærere, mortem didicimus non timere. Videte ergo, quid martyribus debeamus, in quo alter tortus est, ut alius saluaretur: alter carnificem pertulit, ut Christum alter agnosceret: alter morti addictus est, ut alius uita potiretur æterna: & ad postremum sanctus occisus est, ut peccator euaderet. Beati igitur martyres nec sibi uixerūt, nec sibi sunt mortui. Exemplum enim nobis reliquerunt bene uiuendo conuersationis, tolerando fortiter passionis. Nam ideo Dominus per totum mundum diuersis in locis pati martyres uoluit, ut tanquam idonei testes nos præsentī quodam fidei exemplo suæ confessionis urgerent, ut humana fragilitas quæ prædicationis dominicæ aditu longiore uix credit, uel præsentī oculorum testimonio martyrio crederet beatorum. Cuncti igitur martyres deuotissime percolendi sunt: sed specialiter ij uenerandi sunt à nobis, quorum reliquias possidemus. Illi enim nos orationibus adiuuant: isti etiam adiuuant passione. Cum his autem nobis familiaritas est: semper enim nobiscum sunt, nobiscum morantur: hoc est, & in corpore nos uiuentes custodiunt, & de corpore recedentes excipiunt. Hic ne peccatorum nos labes assumat, ibi ne inferni horror inuadat. Nam ideo hoc à maioribus prouisum est, ut sanctorum ossibus nostra corpora sociemus, ut dum illos tartarus metuit, nos pœna non tangat: dum illis Christus illuminat, nobis tenebrarum caligo diffugiat. Cum sanctis ergo martyribus quiescentes, euadimus inferi tenebrarum proprijs meritis, attramen cōsocij sanctitate. Ait enim dominus Petro: Tu es Petrus, & super hanc petram ædificabo ecclesiam meam, & portæ inferi non præualebunt ei. Si ergo apostolo & martyri Petro inferni porta

ni porta non præualet, quisquis sociatur martyri, tartaro non tenetur. Martyres enim inferni porta non possidet, quoniam eos paradisi regna suscipiūt. Nam uidemus eos utiq; iam regnare. Cernimus enim ab ijs frequenter obfessos immundissimis dæmonibus: homines liberari, ita ut cœlesti medicina & captiua anima de diaboli laqueis eruatur, & ipse diabolus uinculis igneis alligatus producat de sua captiuitate captiuus, ut qui prædam paulò antè cœperat, ipse subdatur in prædam. Hæc & alia potiora mirabilia per sanctos fieri omnibus notum est. Et ideo fratres ueneremur eos in sæculo, quos defensores habere possumus in futuro. Et sicut eis ossibus parentū nostrorum iungimur, ita & eis fidei imitatione iungamur. In nullo enim ab ipsis separari poterimus, si sociemur illis tam religione, quam corpore.

INNOCENS MULIER SEPTIES A
carnifice percussa. Ex lib. S.
Hieronymi.

Sæpe à me, Innocenti charissime, postulasti, ut de eius rei miraculo, quæ nostra ætate acciderat, nõ tacerem. Cumq; ego id uerecunde & uere, ut nũc experior, negarem, meq; assequi posse diffiderem: siue quia omnis sermo humanus inferior esset laude cœlesti, siue quia ocium quasi quædam ingenij rubigo, paruulam licet facultatem, pristini siccaffet eloquij. Tu è contrario afferebas, in Dei rebus non possibilitatem inspicere debere, sed animum: neq; posse eũ uerba deficere, qui credidisset in uerbo. Quid igitur faciam? Quod implere non possum, negare non audeo. Super onerariam nauẽ rudis uector imponor. Et homo qui necdum scalmum in lacu rexi, Euxini maris credor fragoribus. Nunc mihi euanescantibus terris, cœlum undiq; & undiq; pontus: nunc unda te

nebris inhorrescens, & cæca nocte nimborum spur-
mei fluctus canescunt. Hortaris, ut tumida malo ue-
la suspendam, rudentes explicæ, clauum regâ. Pareo
iam iubenti: & quia charitas omnia potest, spiritu san-
cto cursum prosequente confidâ, habiturus in urrag
parte solatium. Si me ad optatos portus æstus appu-
lerit, gubernator putabor. Si inter asperos orationis
anfractus impolitus sermo substiterit, facultatem for-
sitan requires, uoluntatem certe flagitare nõ poteris.

Igitur Vercellæ, Ligurû ciuitas, haud procul à radi-
cibus alpium sita, olim potens, nunc raro est habitato-
re semiruta. Hanc cum ex more consularis inuiferet,
oblatam sibi quandam mulierculam unâ cum adulte-
ro, nam hoc crimen maritus impeggerat, pœnali car-
ceris horrore circumdedit. Neq; multo post, cum liui-
das carnes ungula cruëta pulsaret, & sulcatis lateri-
bus dolor quæreret ueritatē, infelicissimus iuuenis
uolens compendio mortis longos cruciatus uitare,
dum in suum mentitur sanguinem, accusauit alienû:
solusq; omnium miser, merito iussus est percuti, qui
non reliquit innoxia, unde posset negare. At uerò
mulier sexu fortior suo, cum eculeus corpus exten-
deret, & fordidas fœtore carceris manus post tergû
uincula cohiberent, oculis quos tantum tortor alli-
gare non poterat, suspexit ad cœlum, & uolutis per
ora lachrymis. Tu, inquit, testis es domine Iesu, cui
occultum nihil est, qui es scrutator renis & cordis:
non ideo me negare uelle, ne peream, sed ideo men-
tiri nolle, ne peccem. At tu miser homo, si interire fe-
stinas, cur duos interimis innocentes? Equidem & ip-
sa cupio mori, cupio inuisum hoc corpus exuere, sed
non quasi adultera. Præsto iugulum, micantem intre-
pida excipio mucronē, innocentiam tamē mecum fe-
ram. Non moritur, quisquis uicturus occiditur. Igi-
tur cōsularis partis cruore luminibus, ut fera, quæ gu-
statū semel sanguinē semper sitit, duplicari tormenta
iubet, & fœuum dentibus frendens, similem carnifici

minatus est pœnam, nisi confiteretur sexus infirmior
quod non poterat robur uirile reticere. Succurre do-
mine Iesu, ad unum hominem tuum complura sunt
inuenta supplicia. Crines ligantur ad stipitem, & to-
to corpore ad eculeum fortius alligato, uicinus pedi-
bas ignis apponitur, utrunq; latus carnifex fodit,
nec papillis dantur induciæ: immota mulier manet,
& à dolore corporis spiritu separato, dum conscien-
tiæ bono fruitur, uetuit circa se fœuire tormenta, iu-
dex crudelis, quasi superatus attollitur: illa deum de-
precatur: soluuntur membra compagibus: illa ocu-
los ad cœlum tendit, quasi de communi scelere alius
confitetur: illa pro confitente negat, & periclitans
ipsa, alium uendicat periclitantem. Vna interim uox
est: Cede, ure, lacera, non feci. Si dictis tollitur fides,
ueniet dies, quæ hoc crimen diligenter discutiat: ha-
beo iudicem meū. Iam lassus tortor suspirabat, inge-
mit: nec erat nouo uulnere locus. Iam uicta fœuitia,
corpus quod laniarat, horrebat. Extemplo ira exci-
tus consularis: Quid miramini, inquit, circumstantes
si torqueri mulier mauult, quàm perire? Adulterium
certè sine duobus committi non potuit: & esse credi-
bilis reor, noxiam ream negare de scelere, quàm in-
nocentem iuuenem confiteri. Pari igitur prolata in
utrunq; sententia, damnatos carnifex trahit, totus ad
spectaculum populus effunditur, ut prorsus quasi mi-
grare ciuitas putaretur, stipatis proruens portis tur-
ba densatur. Et quidem miserrimi iuuenis ad primū
statim ictum amputatur gladio caput, truncumq; in
suo sanguine uolutatur cadauer. Postquàm uerò ad
fœminâ uentum est, & flexis in terrâ poplitibus, su-
per trementē ceruicē micans eleuatus est gladius, &
exertâ carnifex dexterâ totis uiribus cōcitauit, ad pri-
mū corporis tactū stetit mucro letalis, & leuiter per-
stringēs cutē, rasurq; modicę sâguinē aspersit, imbellē
manū pe: cussor expauit, & uictâ dexterâ gladio mar-

cescente miratus, in secundos impetus torquet. Languidus rursus in fœminam mucro delabitur, & quasi ferrum eam timeret attingere, circa ceruicem torpet innoxiam. Itaq; furens & anhelans licitor, paludamẽto in ceruicem retorto, dum totas expedit uires, sibilam quæ chlamydis mordebat oras, in humum excussit, ignarusq; rei, ensẽ librabat in uulnus. En tibi, ait mulier, ex humero aurum ruit: collige multo quæsitum labore, ne pereat. Proh rogo, quæ est ista securitas? Impendentem non timet mortem: lætatur percussa, carnifex palleat: oculi gladium non uidentes, sibilam uident. Et ne parum esset, quod non formidabat interitum, præstat beneficium sequenti. Iam igitur & tertius ictus sacramentum frustratus erat trinitatis. Iam spiculator exterritus & nõ credens ferro, mucronem aptabat in iugulum, ut qui secare non poterat, saltem premente manu corpori conderetur. Omnibus res inaudita sæculis. Ad capulum gladius reflectitur, & uelut dominum suũ uictus aspiciens, confessus est se ferire non posse. Huc huc mihi trium exempla puerorum, qui inter frigidos flammarum globos hymnos ædidere pro fletibus, circa quorum saraballa sanctamq; cæsariem, innoxium lufit incendium. Huc beati Danielis reuocetur historia, iuxta quem adulantibus cãudis, prædam suam leonum ora timuerunt. Nunc Susanna uobilis fide, omnium subeat mentibus, quæ iniquo damnata iudicio, spiritu sancto puerum replente saluata est. Ecce non dispar in utraq; misericordia Domini. Illa liberata per iudicem, ne iret ad gladiũ: hæc à iudice damnata, absoluita per gladium est. Tandem ergo ad fœminam uindicandam populus armatur. Omnis ætas, omnis sexus carnificem fugat, & cœtu in circulum coeunte exclamat. Non credit penè unusquisq; quod uidet. Turbatur tali nuncio urbs propinqua, & tota licitorum turma glomeratur. E quibus medius, ad quem damna-

damnatorum cura pertinebat, erumpens, & caniciem immundam perfuso puluere turpans: Quin meum, inquit, õ ciues petitis caput? me illi uicarium datis? Si estis misericordes, si clementes estis, si uultis seruare damnatam, innocens certe perire non debeo. Quo fletu uulgi cõcussus est animus, mœstusq; se per omnes torpor insinuat, & mirum in modum uoluntate mutata, cum pietatis fuisset quod ante defenderant, pietatis uisum est genus ut paterentur occidi. Nouus igitur ensis, nouus percussor appõitur. Stat uictima, Christo tantum fauente munita. Semel percussa concutitur, iterum repetita quassatur, tertio uulnerata prosternitur. O diuinæ potentia sublimanda maiestas: quæ prius fuerat quartõ percussa, nec læsa, ideo post paulũ uisa est mori, ne pro ea periret innoxius. Clerici quibus id officij erat cruentum linteo cadauer obuoluunt, & fossam humum lapidibus construentes, ex more tumulum parant. Festinato sol cursu occasum petit, & misericordia Domini, celeriore cursu naturæ nox aduenit. Subitõ fœminæ palpitat pectus, & oculis quærentibus lumen, corpus animatur ad uitam. Iam spirat, iam uidet, iam subleuatur, & loquitur. Iam in illam potest uocem erumpere: Dominus auxiliator meus, non timebo quid faciat mihi homo. Anus interim quædam, quæ ecclesiæ sustentabatur opibus debitum cœlo spiritum reddidit, & qua si de industria ordine currente rerum, uicarium tumulo corpus operitur. Dubia adhucluce, in littore diabolus occurrit, quærit cadauer occisæ, sepulchrũ sibi mōstrari petit: uiuere putat, quam mori potuisse miratur. Recens à clericis cespes ostẽditur, & dudum superiecta humus, cum his uocibus ingeritur flagitanti: Erue scilicet ossa iam condita: Infer nouum sepulchro bellum: & si hoc parum est, auibus ferisq; la nianda membra discerpe. Septies percussa, debet aliquid plus morte perpeti. Tali ergo inuidia carnifice

confuso, clam domi mulier refocillatur. Et ne forte creber medici ad Ecclesiam commeatus suspicionis panderet viam, cum quibusdam uirginibus ad secretiorem uillulam secto crine transmittitur. Ibi paulatim uirili habitu ueste mutata, in cicatricem uulnus obducitur. Et o uere ius summum, summa malicia: post tanta miracula adhuc fauunt leges. En quo me gestorum ordo pertraxit. Iam enim ad Euagrii nostri nomen peruenimus: cuius ego pro Christo laborem, si arbitrer a me dici posse, non sapiam: si penitus iacere uelim, uoce in gaudium erumpente non possum. Quis enim ualeat digno canere praeconio, Auxentium Mediolanis incubantem, huius excubijs sepultum, penè antequam mortuum? Romanura episcopum iam penè factionis laqueis irretitum, & uicisse aduersarios, & non nocuisse suoperatis? Verum hac ipse equidem spacijs exclusus iniquis praetereo, atq; alijs post me memoranda relinquo. Praesentis tantum rei sine contentus sum. Imperatorem de industria adit, precibus fatigat, merito lenit, sollicitudine promeretur, ut redditam uitae redderet libertati.

FINIS.

 TVBA
EVANGELICAE
GRATIÆ, PER CHRIS-
tum filium Dei, factæ.

PER GEORGIUM
VVICELIVM.

Z 4

P R A E C O N I V M
EVANGELICÆ GRATIÆ, PER
Christum Filium Dei, factæ.



Redimus & confitemur Catho-
lici, adeoq; huius gratia cū prif-
cis martyribus, quorum memo-
ria nobis sacra est, uinciri, omne
tormentorū genus perpeti, ac
mori deniq; nō recusamus. Nē-
pe Siloh. Gene. xlix. Prophetam
magnum. Deut. xviij. Messiah & filiū dominicū. Psa. ij.
Daniel, ix. Verū Solomonē. ij. Reg. viij. Verū Davidē.
Hier. xxij. Hofe. iij. Immanuel. Esa. vij. Mirificū, Cōsi-
liariū, Deū, gigantē, Patrem in æternū, Principem pa-
cis. Esa. ix. Maher Salal. Esa. viij. Virgā de stirpe Isai.
Esa. xj. Seruū dominicū. Esa. lxj. Adonai Iustum no-
strū. Hier. xxij. xxxij. Germē iustitiæ, Pastorē unū &
principē, Ezech. xxxiiij. Lapidē in montē factum, qui
impleuit uniuersam terrā. Danielis ij. Antiquū die-
rum Danielis vij. Lapidē Zionis in summo angulo
positū. Esa. xxvij. Psal. cxvij. Lapidē in quo septē illi
oculi. Zachar. iij. Puerū dominicū Zemah. Zachar. iij.
Regē Zion, iustū & seruatorē. Zachar. ix. Dominato-
rem Israël. Mich. v. Desyderiū gentiū Hagg. ij. Do-
ctorē iustitiæ. Iohelis. ij. Solem iustitiæ. Mala. iij. Hoc
est, Iesum Nazarenū, Mariæ filiū Bethlehemiticū, uer-
bum Dei carnē factū. Primogenitū uniuersæ creatu-
ræ, corporale domiciliū omnis plenitudinis deitatis,
hæredē uniuersorū, splendorem gloriæ Dei, expref-
sam imaginē substantiæ diuine, Deū uerū de deo ne-
ro. Genitū impasibiliter generatione incogitabili.
hoc est, deū decēte, ante secula, ante uisibilia, inuisibi-
lia, atq; adeo intelligibilia, Non factū, Eiusdē, non al-
terius

terius seiunctioris siue remotioris, cū patre substan-
tiæ subsistentiæq; Opificē archangelorū. Ministran-
tē patri ad creationem uniuersorum, iuxta assumptum
hominem in tempore prædefinito, è cælo in mundū
uenisse, ut peccatores saluos faceret. j. Timot. j. Et
ut quæreret seruaretq; quod perierat, Luc. ix. xix. Pe-
rierat humanum genus, non tam è Paradiso, quàm fa-
uore creatoris eiectū, creatura ualde bona turpissi-
mè degenerarat. Plasma angelicè constitutum eò pro-
lapsum fuerat, ut id fecisse factorem pœnituerit. Ma-
nus optimi ac sapientis, opificis in culpa summi ma-
li huius esse, minimè omnium potest. Hæc enim fecit
hominem rectum, è quo prauum fecit inuidia diabo-
li, idq; adeo ut nihil sani in tota natura reliquum fie-
ret. Hinc Caro, hinc Mundus, hoc est peccati semina-
rium. Tali deprauationi debemus conscientiæ surda
uerbera, pœnam uehementem ac multo. feueriorem
illis, quas & Cæditus grauis inuenit aut Rhadaman-
tus. Præterea perturbationes atq; affectiones illas ac
ægritudines animi, dein mille curas. Postremò quod
ad corpus attinet, omne laborum morborumq; ge-
nus, calamitatem & contritionem uiarum nostrarū,
infœlicitatem deniq; totam, senium, fatum. Proinde
homo cælo conditus in Auernum iniicitur, uas ig-
nominæ, organum iræ, instrumentum mortis. Gehē-
næ titio. Tantum malum nobis à diabolo est. Cæte-
rum huic malo tollendo, nemo mortalium ab orbe
cōdito par erat. Immerfus cæno zabuli, homo semet
hinc euoluere qui poterat? Mansit lex naturæ integra
Nihil poterat. Successit lex scripta. Nihil poterat. Per-
ditius fuit miserum genus, quàm ut ab ullo creato re-
stitui quiuerit. Accessit igitur Creator ipse, ad
efficiendum in ipsa statim præuaricatione protopla-
sti, animū ineffabili consilio adiecerat. Creatoris e-
rat, creaturam suam ab hoste asserere. Ipse demū po-
tis erat, seruare quod perierat. Effecit autem hoc ip-

sum, non per angelicos principatus, non per homines Enoch aut Heliam ē superis redditos, multo minus per Abraham patrem Iudaicæ gentis, aut per Mosē Synagogæ principem, aut per Dauid uirum secundum cor Dei, in quo multa signa diuinitatis præ ostensa, omnium minime per Nehemiam redeuntis ē Chaldæa populi ducem, sed per seipsum. O factum, cui efferendo impares etiam archangeli sunt. Nos homunculi nihil nisi stupere, mirari, adorare. Porro negotium omne, quo nihil sacratius ac augustius esse potest, in literas miserunt mirabili cōsentu ac consensu Prophetæ & Euangelistæ. Illi quum nondum factū esset, hi uerò cum factū esset. Iam ille reparandi atq; conseruandi modus constitit in patiēdo. At pati in Deū Opt. Max. non cadit, quare filium (de quo nūc dissero) Deū homine missū, pati uolentē, pati uoluit, ut patiēdo elueretur, quod agendo commissum fuerat. Nemo hic humanitus ratiocineretur. Neq; enim quod ueris dixit Lactātius, Veritas ac arcā Dei summi, qui fecit omnia, ingenio proprijsq; sensibus comprehendere potest. Nec aliud deterius est, ut scribit Ioan. Chrysoſtomus, quā uelle diuinas res humana ratione discernere atq; metiri. Fides quemadmodum idem ait, sensibilia omnia supergre ditur, & infirmitatem ratiocinationum humanarum transit. Ea demum fide, quæ nihil disputat, tanta in re opus fuerit. Filius igitur patri obediens usq; ad mortem crucis, perditionem nostri miseratus est, & uerus ille Samarita sauciatus Adam benignè curauit, qui est eius erga hominē amor. Portauit lignum uerus Isaac, holocausto destinatus. Venundatus est à fratri bus uerus Ioseph. Occubuit magno incredulorum malo uerus Samson. Derisus ac consputus est uerus Dauid, & è regno ab ijs eiectus, qui noluerunt eum super se regnare, uerus Melchizedeck, uerus & plusquam Aaron ille noster Iesus Christus obtulit hostiam

am pacificam in odorem fragrantis. Imò idem ipse sacrificium, qui & sacerdos. Ipse agnus, aries, uirtulus. Adductus est ad occisionem, unica ovis, non aperiens os suum. Non fuit patienti species neq; decor. Factus est despicabilis, & nouissimus uirorum, uir doctorum ac sciens infirmitatum. Repertus est in forma serui, adeoq; uermis & non homo, opprobrium hominum & despectio plebis. Mortem uerò crucis pertulit amator hominis, ut mortem inobedientiæ humanæ debitam exigeret, & amissam uitam reuocaret. Mori unum oportuit, ut multi uiueremus. Mors utraq; propter peccatum in mundum introierat, cuius mortis (à qua eum teneri impossibile erat) mors factus est pontifex ille noster, quamq; per mortem aboleuit, & cum ea diabolus, qui mortis habebat imperium. Peccatum expiari non potuit, nisi sacrificio humani corporis, non cuiuslibet, sed huius nostri in æternum Melchizedechici pontificis. Quare peccato expiato, mors, cuius aculeus peccatum, extincta est. Iam morte extincta nos liberati sumus, quotquot metu mortis per omnem uitam obnoxij eramus seruituti. Atque inde redemptio prædicatur in toto orbe terrarum, & libertas & salus & gaudium, quod nemo tollet à nobis. Inde fatur agnus Dei, Heus sitiētes uenite ad aquas. Venite ad me omnes qui laboratis & onerati estis, & ego reficiam uos. In me pacem habebitis. Nam ego missus unus sum, ut euangelizem mansuetis, ut medear contritis corde, ut nunciem captiuis indulgentiam & clausis apertionem. Ego sum resurrectio & uita. Ego uobis factus à Deo sapientia, iustitia, sanctificatio & redemptio. Ego redemi uos de execratione legis, dum pro uobis factus sum execratio. Ego finis legis. Ego uia ad patrem quæ recōciliaui uobis, quem amicū dulcem reddidi uobis per meā carnē & sanguinē, quæ propiciūm feci

feci uobis, tollens peccata uestra super lignū, quem pacificauit ego uerus Salomon. Ad hunc aditus per me est uobis liberrimus. Per me ad illum penetrabitis. Ego Mediator, ego aduocatus, ego thronus gratiæ & lætitiæ. Caporeth, & pretiosiss. *ἀντίλυτρον*. Nam non solum crucifixus sum propter peccata uestra, uerumetiam exurrexi propter iustificationem uestram, non moriturus iterum. Ego languores uestros portauit, Ego uulneratus fui propter iniquitates uestras & attritus propter scelera uestra. Ego dependi, quod admisit Adam. Quod ille perdidit, ego inueni. Veni in mundum, uidi mundum, uici mundum. Occidi diabolum Goliath, communem hostem humani, maxime Israëlitici generis. Triumphans compescui antiquum draconem, trucem Behemoth, immanem Leuiathan, serpentem uestem, qui uocatur Satanas. Propter me recipit & exosculatur pater perditum filiū. Propter me remittit peccata: & ita remittit, ut illorū in posterum immemor esse uelit. Ego fundamentum, ego lapis angularis, ego caput uestrum. Ego bonus pastor, ego Episcopus animarum uestrarum. Ego unicus magister uester. Dicite pusillanimes, Confortamini, Confidite, nolite timere. Ego uere dominus Deusq; uester. Quapropter consolamini cōsolamini. Venit lumen uobis. Gaudete & exultate, nam deleui ut nubē iniquitates uestras, & quasi nebulā peccata uestra. En uobis pro cinere coronā, oleū gaudij pro fletu, palliū laudis pro mœrore. Inclinate aure uestrā & uenire ad me, audite & uiuet anima uestra. Nihil à uobis in præsentiarum exigo. Vos me non amatis, ego uos amaui prior, & amor ille siue ignis potius, quo maiorē nemo habet, de cœlo in terrā me detraxit. Gratuito ueni. Gratuito uobis natus, uobisq; datus sum. Gratuito docui ac benefeci. Gratuito tuli opprobria opprobantiū. Gratuito mortis supplicij subij innocētissimus. Quō beneficio cœlos peccato uestro

uestro oculos uobis aperui. Vos credite in me & baptizemini, ecce uestra omnia sunt, quæ ego habeo, à patre tradita. Baptizatis dabo de spiritu meo, regeneratore humanorū cordium, ut discipuli me doctorem, utq; milites me imperatorem per omnia sequamini. Hinc eritis noui ciues cœlestis Hierosolymæ, noui domestici Dei, populus meus, omnes iusti in perpetuū, germen plantationis meæ, persuasum si bi habentes regnum Dei non esse in uerbo, sed in uirtute, quiq; gratiam Dei salutiferam, cunctis hominibus apparentem, in uacuum non recipiant. Filij Dei, addo dii ipsi sunt, hæredes Dei, cohæredes mei, fratres mei, matres meæ, sorores meæ sunt qui me integri sectantur. Quid obsecro possit esse magnificentius, quid amplius, quid opulentius, quid illustrius, quid optatius, quid lætius? Tantum bonum nobis à Christo est. At te cum ista superbia tua procul hinc in caluariam aliquam proripe Israëlitica, qui & tibi & gentili populo donatam ex æquo uniuerfis salutem inuidens, obturbare negocio Dei & obstrepere adorandæ uoluntati quàm obsequi maluisti. Vos peculium domini, fateor. Neq; enim tale fecit omni nationi. Nec fuit tam grandis gens, quæ haberet deos appropinquantes sibi, sicuti uos. Vobis credita erant eloquia Dei. Uestra fuit adoprio, testamenta, cultus, promissiones. Salus ex Iudæis est. Maximè. Contra nos præputium uocabamur. Sine deo eramus, & extranei à testamentis promissionis & à Repub. Israelitica alieni. Eramus canes, sed tamen micis triticis mensæ uestræ aliquando insidiantes. Erant nostri dii dæmonia. Simulachra nostra argentum & aurū. Etiam. At ideo ne in uanum creati sumus filij hominum. Vos Abraham, nos Adæ pueri, sed utriq; ex Deo. Nam Adam fuit Dei. Dicite, an non & nobis promissa salus? Profectò nos quoq; complectitur Abraham benedictio. De nobis quoq; læta cecinit Esaias non uno

in

in loco. An non nos sumus, de quibus uaticinatus est Hieremias: Ad te gentes uenient ab extremis terrarum, dicentes: Vere mendacium possiderunt patres nostri, uanitatem quae eis non profuit. De nobis Encomiastis Dei praedixit Dauid. De nobis Malachias: reliquos omitto, dixit nomen Dei magnum fore in gentibus. Proinde rem aequi considerate. Vobis apparuit salutare Dei, ut confirmarentur promissiones patrum. Nos uero pro misericordia glorificamus Deum, ut sit non Iudaeorum tantum, sed & Gentium Deus. Sed sine legalibus Mosiacis nos ad Euangelij societatem admittere dedignamini, aut ipsi mauultis uos ab ea abstinere, o prodigiose caninam inuidentiam. Ducitis nos uiltiores quam qui aequari uestrae excellentiae in religione queamus. Indignum, atque absurdum iudicatis, praepuatiatos inter recutitos sacrificare, orare, psallere: semen Chanaan admisceri femini Abrahamico, grande piaculum arbitramini. Gens generosa stirpis nobilitate elata despicitis Samaritas sed eo fastu, ea inuidia exitium uobis ipsi accersitis. Na eo pacto, uerbum Dei, quod oportebat primum uobis praedicari, repulistis, & uos aeterna uita indignos reddidistis. Igitur Apostoli praordinati testes ad nos conuersi iuxta mandatum. Quo fit, ut Messias uester a nobis nunquam quaesitus aut expetitus, nobis inueniatur, & nos non populus Dei, populus Dei reddamur, eorum non dilectis dilecti. Adhuc ex oleastro olea, Summatim ad eam dignitatem euehamur, a qua uos uolentes decidistis. Verum nunc uobis omisissis, qui superbia sanguinis Abrahamici, & inuidia malignitateque obcaecati, in uniuersum repulistis a uobis euangelium, illos conueniamus, qui circūcisi Euangelium quidem receperunt, posteaquam huic scriptura testimoniū fert, sed ita receperunt, ut inueteratum Moysen non relinquerent. Nam cum isto Iudaeorum genere. Paulus gentium, hoc est noster doctor, potius bellum gerit. Alterum

rum genus, nempe illorum qui Christi Nazareni nomen fidemque prorsus auersabantur, modice nonnullis in locis atrectat. Quid enim ad nos qui foris sunt deplorat alicubi reiectionem obduratae gentis, causis est scriptura collatis. Reliquum consumit in refutando. Siquidem illi quorum opinionem refutat, in Ecclesiae consortio inueniri amabant, quantumuis a puro Christianismo alieni. Ea propter adeste, quos dubito Christianos ne, an Iudaeos appellitem, dicite quam ob rem irati Petro Apostolo obstrepitis: Ad uiros praepuatiatos habentes introisti, & edisti cum eis? Quare obstupescitis, quod & in gentes donum spiritus sancti effusum est? Quare inuidetis gentibus ostium fidei apertum? Quare murmuratis, quia deus & gentibus poenitentiam concessit ad uitam? Respondetis: Immundae gentes sunt, & indigni noui Testamenti gratia. Atqui Deus illas mundauit, id quod aliquanto inferius testabor. Vos igitur, illas immundas ne dixeritis. Sunt iniustae, prophanae, demoniacae, procul arcendae a contubernio sanctorum Dei. Audio. Dicite uero uos, quid tandem sit, cur tales esse a uobis iudicentur? Sunt praepuatiati, & contemnescentes, non ignorant tantum, nostri Mosi. Audio. At quid illud est? Vnde ex iniustis iustae, ex prophanis sanctae, ex idololatri Theolatrae, ex impuris purae, breuiter ex gentibus reddi possint uestri similes, & dignae nouo foedere? Exigitis enim ut ante Iudaei quam Christiani fiamus, seu potius neutri. Ipsi uos pro talibus habetis quales uultis gentes fieri. Circūcidatur ex illis omne masculinum. Dies obseruent & menses & tempora & annos. Ne tetigerint, ne gustarint, ne contrectarint &c. Audio. Igitur elementa mundi puras, iustas, ac sanctas facient gentes? Et has ipsas obseruationes respiciet Deus, & ob eas recludet illis ostium fidei, citra has nihil factururus? Maxime. Nisi enim circūcidantur secundum morem Mosi, non poterunt esse salui, Agnoscite

Agnosco uerba uestra & intelligo, quò spectetis. Ni mirum ut iugum super ceruices discipulorum imponatur, ne contingat, ut illi liberi, grati ac alacres ad regnum cœlorum irrumpant. Sic colligitis: Nos unà cum patribus nostris in lege Domini tot sæculis defudauimus, & soli præ omnibus terræ familijs portauimus pondus diei & æstum, ut non immeritò nunc, nobis promissi in propheta fœderis, nos præ cæteris adeoq; soli participes fiamus. Nam soli laborantes, soli iure optimo mercedem accipimus. At Ethnici, Deo uacui, imò Dei osores unà cum patribus suis, Baal, Bel, Dagon, Iouem, Apim, Repphan, Berecynthiam, pallorem, porrum & cepe proni adorant. Et iisdem per solis radios, Tarpeia fulmina, Martis frameam & Cyrrhaei spicula uatis iurarunt, hostes populi Dei, excisores templi, qui uitam omnem in omni rursipitudine triuerunt, repleti omni iniustitia, pleni impietate, sacrilegi, uenefici, arsenocæta, parricidæ, adeoq; in peccatis planè mortui. Quales cum sint, immeritò admittuntur ad fœdus, nobis pares facti. Ob hæc si uolent illi nobiscum esse in fœdere, nobiscum obseruent decreta, ut per hæc uelut lustrati, puriores ac digniores ad nouam religionem accedant, præsertim cum hæc decreta diuinitus disposita sint. Vnde nec nos ea in æternum abdicabimus, tametsi posthac cultores noui fœderis huius. Præcepta illa sunt in generationem & generationem, Cur igitur nos relinquamus ea, aut relinquendi contemnendi uel alijs autores simus? Ita uos. Sed hoc pacto spiritui sancto resistitis, ô Mosaisæ. Placuit Deo, ad cognitionem ueritatis & promissum fœdus omnes homines admittere, non uos solos, idq; citra respectum uitæ anteaçtæ, ne quis gloriaretur. Placuit gratis admittere, adeoq; gratis apponere animas quæ saluæ fiant. Clamat enim: Venite, emite absq; argento & ulla cõmutatione uinum & lac. In ocu-

lis Maiest. in excelsis non tam malæ sunt gentes, nec uos tam boni, quemadmodum uobis uidetur. Malæ illæ sunt, sicuti uos, & quo maior utrorumq; malitia, hoc maius opus fuit adueniente Christo. Summus amor est, inenarrabilis munificencia est, imperuestigabilis bonitas est, altiss. miseratio est, immensa gratia est, partim quòd in terras deuenit Dei filius, partim quòd fœdus instituit, & ad hoc humanum genus inuitauit. Non uenit propter iustitiam uestram ad uos, nec uenire superfedit propter iniustitiam gentium. Non hunc attraxit cultus Moses, nec repulit adoratum idolon. Venit ut omnes æquè seruaret, quãdoquidem omnes æquè perierant. Siue Iudæus, siue Græcus, siue Scirha. Non est enim distinctio. Verùm iustas recutite. Ais: Nō est æqua uia Domini, nisi nos in circumcisus præferamus, Et nisi illi legem ante Euãgelium aut simul cum Euangelio seruandam recipiant, & nobis aliquo modo pares fiant, non poterimus illos non uitare: tantum abest, ut in societatem Christianã putemus admittendos. Nos meruimus, illi nihil, & nulla est distinctio? Nulla. Nam omnes peccauimus, & destituimur glõria Dei. Fallimini si putetis uos ideo non peccatores esse, quandoquidẽ natura Iudæi & non ex gentibus peccatores estis. Si igitur gentes ad Euangeliũ admittendæ non sunt, quia peccatores sunt, ergo uos quoq; ab eodem repellendi, quoniam & ipsi estis peccatores, id quod præter scripturam, conscientia uestra uobis certò testificatur. Nec est, quòd merita uenditeris, quæ ego rudera uoco, & gentilium criminibus ferè paria, si pergatis eiusmodi iactare, quasi ob ea uocarit uos Deus ad communionem fœderis. Gratiam salutiferam Dei amatoris nostri, quæ omnibus apparuit, negare non potestis. Iam quomodo gratia est, si uobis ad Euangelicum fœdus per merita legis aditus patere debet? Vobis ne debitum sit, gentibus uerò gra-

tia: Vesterne debitor erat Deus, ut eum oportuerit & mittere Messiam & ad hunc uos admittere? Talia ne opera uestra sunt, ut Deum horū bonitate obstringere uobis potueritis? Apagesis infelicissime hominum cum operibus istis, ob quæ neq; prædefiniri, neq; uocari, neq; iustificari, neq; glorificari merueras sed præstitit hoc propositum, electio, gratia. Nam si ob opera obq; propriā iustitiam tuam debuisset te ad salutem oblatam uocare, gentes, quia nihil habebāt aut operum aut iustitiæ, reiectas esse omnes oportuit. Quoniam uero gentes sine operibus iustitiæ uocauit, consentaneum est, uos propter opera iustitiæ non uocatos fuisse, imò uocandos aut certe ex uobis reliquias, etiamsi nihil habuissetis operum. Etenim ut in uobis non respexit opera iustitiæ legalis, ita ea in gentibus non desyderauit. Hem, inquis, excludendæ gentes: Minime. Aut enim admitte gentes, aut cōuelle uaticinia prophetica de admittendis gentibus. Hic quid facies? Deus est & gentiū Deus, & illæ uolenter rapiunt regnum Dei, & quia pauperes spiritu Euangelizantur. Idcirco tibi persuasiss. sit, saluari eripiç è mundo nequam & diabolo, gratis, per precii sanguinis Melsiæ, & te circumcise & incircumcisas gentes. Deinde utriusq; gratis donari spiritum sanctum, utriusq; gratis remissa peccata, postremo utroque gratis purificari atq; iustificari per gratiam Domini Iesu Christi, in quem credunt. Indigebas enim & tu circumcise ut iustificareris. Nam tu quoq; iniustus eras, & omnis iustitia tua præcedens, non erat iustitia coram Deo. Requirebatur à uobis identidem iustitia per fidem Iesu, quæ requirebatur à gentibus. Conueniebat parem esse iustitiam utriusq; populi. Gentes non aliam habere poterant, quàm uel imputatam uel donatam dicas, ex fide sua. Allatam à se iustitiam non habebant, sic uos quoq; eam quam attuleratis è Synagoga ponere, & imputatam à Deo propter

pter fidem filij accipere debebatis, ut esset æquabilitas. Nihil fuit impurius gentili populo, fateor, sed eā impuritatem sustulit gratia misericordis Dei propter fidē illorum, qua Christo crucifixo uere crediderūt. Eratis impuri uos quoq; tametsi id cernere propria iustitia non finit. Quod uero nunc puri à priore inquinamento effecti estis, acceptum ferre gratiæ debetis, uti gentes. Nam una eademq; fide uestra beneficiū salutis uobis contigit, quandoquidem inter uos & gentes Deus nihil discreuit. Sed rem contractius eloquar: Voluisti Iudaice frater, ut prophanae gentes ab Euangelico testamento, imò à uestro templo & commercio prohiberentur, aut iustificatæ admitterentur. Nam omnino non conueniret ut regnum cælorum quæ est Ecclesia Christianorū tam iniustis ac imundis bestijs pateat. Quod uoluisti, factum scito. Admittuntur iustificatæ & eadem purgatæ. Quæris, quo tandem modo? Operibus Mosaicis? Nequaquam, sed fide, qua receperunt uerbum Dei carnem humanam factum. Ea fide reputatæ fuerunt iustæ apud Deum, & ea fidei iustitia fretæ, ad communionē sanctorum accesserunt, atq; hinc ad thronum gratiæ, clamantes ad Deum propitium: Abba. Contemnis hanc iustitiam? Certe aliam non habuerunt gentes, & ea suffecit Deo uocanti gentes. Quid, quod tu nec aliam habuisti Iudæe frater, quando Synagogam desereres? Quod si hanc iustitiam (quæ Christus est) habere dedignaris, nullam uel hodie habere potes, quantumuis iustus in omni bono opere. Circumcisio Iudæum facit, non Christianum, ob id à Christiano non exigitur, nisi sentias spiritalem, quæ fit in occulto cordis. Imò si quis è gentibus à te effascinat us circumcidatur, huic Christus nihil proderit. Nam is eo facto resilit à libertate, qua nos donauit Christus, & semet debitorem totius legis seruandæ facit. Decipis igitur pseudapostole incautas gē

tes, in eo quod opera synagogæ Ecclesiæ necessari ad salutem esse uociferaris. Agnoscimus opera legemq; à Deo præceptam, sed ijdem cognoscimus filium, qui nos liberauit à Mosis iugo, & qui maledictionem eiusdem legislatoris prorsus abstulit. Falsi fratres facitis Iudaica prædicatione, ut Christus frustrum mortuus esse uideatur. Nam quod Christi promissioni ac gratiæ acceptū ferri debuit, hoc uos Mosaicæ iustitiæ attribuitis, repellentes à Christo, quot quor ad eum per legem non ueniunt. Portabitis iudicium uestrum, quia conturbastis nos Mosaico Euangelio: nos gentes, inquam, fidem non legē edocta: à nostro Apostolo. Vestrainuidia facit nobis ex dono debitum, ex gratia mercedem, & conamini feruos electorum infirmis, reddere, qui precio magno empti sumus. Stultissimum uerò sit, uos à nobis ad iustitiæ opinionem circumcisionis opus exigere, quod uobis ipsis nihil profuit, Et si uerum fateri fas est, obfuit magis, quando à Gratia cognitione, & promissionis benedicendarum familiarum intelligentia, animos uestros maiorem in modum impediuit. Recte fit, uos uocamini filij Abrahæ, nos sumus.

FINIS.

SERMO GEORGII

VVICELII SVPER VERBIS

Dominicis: Venite ad me omnes,
&c. Matth. xj.



IESVS respondens, dixit: Confitebor tibi Pater, Domine caeli & terre, quia abscondisti hæc à sapientibus & prudentibus, & reuelasti ea paruulis. Certe Pater, sic fuit bona uoluntas apud te. Omnia mihi tradita sunt à Patre meo, & nemo nouit Filium nisi Pater, neq; Patrem quisquam nouit, nisi Filius, & cuiuscunq; uoluerit Filius reuelare. Venite ad me, omnes qui laboratis & onerati estis: & ego refocillabo uos. Tollite iugum meum super uos: & discite à me, quod mitis sim, & humilis corde: & inuenietis requiẽ animabus uestris. Iugum enim meum, commodum est: & onus meum, leue est.

Respondens Iesus, dixit: Confitebor tibi Pater, Domine caeli & terre, quia abscondisti hæc à sapientibus, &c. Euangelista Lucas describit, qua occasione Dominus in hæc uerba eruperit. Nimirum reuertis septuaginta discipulis, & cum gaudio ingenti gloriantibus de miris factis, quæ per ipsorum manus fides Christi Iesu fuerat operata. Tum enim contemplans dominus uirorum illorum simplicitatem, præterea summam integritatem, admirari incipit patris dulciss. eudocian, qua mortalium sapientiss. administrat. Itaq; spiritu exultauisse eum ait, ut congaudentem paternæ dispositioni, atq; subindicantem, quàm sibi cordi sit, quicquid per omnia operetur pater. Nam non potest filio non placere, quodcunq; pa-

tri placuerit. Sed nos uerba domini consideremus: Confitebor tibi, &c. Hebraico tropo dicitur confiteri, pro gratias agere siue gloriam dare, item laudem dicere, hoc est, confiteri ore, ipsorum gestu ac opere, soli Deo deberi omnes gratiarum actiones, omnem gloriam, omnem laudem, quippe soli rerum conditori, & suæ illius uniuersæ conditionis uni gubernatori. Quod ipsum quoque Christus exprimit, quum post elatum ore gratiarum actionis uerbum patrem Dominumque cæli & terræ esse subiungit eum, cui confitetur: quasi dicat, Non sine causa Deo uiuo confiteor, quandoquidem unus est super omnia. Verum hic deficit humanus sermo, nam maiestatem omnipotentis quis enarrabit? Admonemur interim nos quoque, ut hoc secuti exemplum hominis Christi, confiteamur sine intermissione, Nimirum te o pater, a quo omnis paternitas, dominator creaturarum, decet hymnus, te decet laus, tibi conuenit gloria, imperium, honor. Huiusmodi confessio ualde placebit Deo in altissimis, atque hoc non solum, uerum etiam sæpe eundem placabit. Auribus uestris charissimi nouum non est, quantoties Apostolus Paulus omnes quotquot credimus ad talem confessionem inhortetur, ipse solet intelligibilius gratiarum actionem dicere, quod nos hic ex Euangelistis duobus confessionem uocamus. Qui triplicem faciunt confessionem in sacris literis, iheremem rectissime perspexerunt. Confitemur enim deo, utpote in agendis gratiis, in benedicendo, in magnificando, exaltando, &c. quemadmodum hoc Matthæi loco accipitur. Deinde confitemur tam Deo quam homini fratri peccata nostra, uidelicet quibus offendimus tam ipsum Deum quam homines. Quod confessionis genus nihil ferè aliud est, nisi accusatio nostri, & iustificatio Dei. Postremò confitemur ore, quod credimus corde, nimirum articulos sanctissimæ religionis nostræ. Confitemur Euangelium Dei creaturæ

ræ

ræ uniuersæ prædicatum, coram creatura uniuersa. Optimis meliora opera hæc sunt. In his nos ipsos exercere, & per hæc fieri meliores, & pro his tuendis aduersus hæresim dimicare omnes debemus, qui Christo regi iurauimus. Porro quid tandem est illud de quo confitetur patri filius? Quia, inquit, absconditi hæc à sapientibus & prudentibus, & reuelasti ea paruulis. Duo scilicet sunt, quorum gratia patri agitur gratiæ: Alterum, quia abscondit mysterium regni sui: Alterum, quia reuelat idem mysterium. Opera Dei hæc duo sunt, abscondere & reuelare. Sed inter quos qualesque homines isthuc facit pater? Inter sapientes & paruulos, hoc est, insipientes. Græci iucundissime illos sophos, hos uocant Nepios. Sophos cælat Euangelium, Nepios retegunt. Num extant huius iudicij Dei exempla? Multa quidem, sed non ea sunt gratissima mundo. Iosepho puerorum contemptissimo reuelauit deus olim scientiam sui, & eandem à cæteris fratribus abscondit. Ægyptijs hierophantis superbis, non dignabatur reuelare, quæ reuelauit Mosi humilimo pascenti oues soceri sui. Abscondit multa à magnis quibusdam in eremo, quæ reuelauit ipsi Eldad & Medad priuatis hominibus. Forfan nonnulla nescire uoluit nominatim. Eli pontificem, quæ ut sciret Samueli dedit. Dauid adolescentulus & contemptus, plus quam senes intellexit, & ipsis doctior doctoribus suis extitit. Michæ prophetæ, uiro simplicis, reuelatum est, quod magnates isti, quadringenti prophetæ turpiter nesciuerunt. Nam absconditum erat uerbum Dei ab eis. Exul Helias & uagus uates, quo non despectior alter, uere nepios, id est, ab eloquentia & sapientia sæculari alienissimus, in uno digtuli articulo plus habuit diuinæ sapientiæ, quam octingenti mūdani prophetæ. Hieremia meo, cui omnes maledicebāt, reuelauit suā ueritatē deus, quæ à Pachur & Hanania speciosis doctoribus prorsum abscondit.

Aa 4

Ab Amazia fastuoso sacerdote abscondit sermonem propheticum, & reuelauit eum Amos pastoreculo. Puer Daniel quid nesciuit in Chaldaea? At quid sciuerunt accersiti diuini, Magi, & reliqua sopherum fortunatorum turba? In tempore reuelandi mysterij totius, reuelare negocij sacrosanctis, consilium uoluit rusticis piscatoribus & promiscuo populo in Iudaea, abscondere uero hoc a sapientibus, Caipha, Anna, Ioanne, Alexandro, &c. summis pontificibus, & item a prudentibus, Herode, Pilato, Gallione, Felice, Agrippa, &c. Imo ipsis puerulis reuelarat sese Dominus, qui Hosanna cecinere, atq; pax in caelo, & gloria in altis, sed res maxima a Phariseis celeberr. a scribis doctis, atq; senioribus & sacerdotib. uenerandis abscondita erat. Sic accidit inter gentes. Reuelatum fuit Euangelium nescio quibus carcerarijs & purpurarijs, Apostolis praedicantibus, at uero absconditum a philosophis Atheniensibus. Iis uidelicet sapientibus, stultitia erat Euangelij praedicatio: illis contra stultis sapientia erat, & ea summa. Dices: fuerunt certe e nostris multi sapientissimi pariter ac prudentis, priusquam iuri ecclesiae accederent, Nec non hodie talium magna est multitudo. Quorsum igitur haec gloriari uincula Domini? Respondeo: Tamen si pharisei aliquando dixerunt: Num quis ex principibus credidit in eum, aut ex phariseis? Sed turba haec, quae non nouit legem &c. Attamen aliqui horum electi, & tracti a patre discere & intelligere & credere potuerunt Euangelium. Ex sapientibus Nicodemus, Gamaliel, Saulus, &c. Ex prudentibus, Ioseph Arimathensis, Mattheus, Zachaeus, Sergius, & nonnulli alij. Sed rali-um quantula portio, si eos cum tot milibus compares, quos & habuit diabolica sapientia, & retinuit: Sic pauculi aliquot ex gentilitate philosophi extiterunt, quibus ademptra falsa sapientia, ueram inspirauit pater. Talis Iustinus philosophus, post Christianorum

optimus

optimus & martyr. Item Areopagita ille grauis, sectator Platonis, & Aristides, & alij. Ex prudentibus uero Philippus Imp. & Constantinus, & Ambrosius senator &c. Reuelauit & talibus mysterium, sed horum paucitas facit, ut contra haec uerba Domini non computentur. Videtis, inquit Apostolus, uocationem uestram, quod non multi sapientes secundum carnem, non multi potentes, non multi claro genere nati, uerum quae stulta erant secundum mundum, delegit Deus, &c. Videmus Apostolum uerba Domini sui scholio luculentis, enarrauisse, cui quid addi potest? Nescio si hodie sapientes multi, reuelatum habeant Euangelium. Video fere hoc rudiores in Theologia multos esse, quo secundum se sapientiores sunt. Perstinet uero istud uerbum Domini ad eruditionem nostri. Adeoque antidotus quaedam est contra satanicas suggestiones. Nam dubitatur de doctrina Christiana propter tot doctis, uirorum refutationes, succurrit quod dixit Dominus, nempe doctissimis secundum carnem non esse reuelatum, unde calleat doctrinam istam. Quid igitur mirum, si oppugnet, si refutare conentur, si derideant, si execrentur, si denique insectentur, quod absconditum est a cordibus suis, quod non intelligunt, quod capere non possunt? Iudaeus Euangelium nostrum non probat, quia uelamē cordi suo impositum circumfert, & obcaecatos habet sensus. Non est de numero paruulorum, quibus solis reuelare pater non dedignatur secretum suum. Mahometistae sapientissimi omnium sunt, ut quorum cyclopaedia deest nihil. Sed tanta ista sapientia ac doctrina, Nazareni nostri sapientiae uiam intercludit, nec locum mysticae doctrinae huius cedit. Illi quid poterunt aliud, nisi detrahare Christianismo? Abscondit ab eis pater, idcirco scire, quod nos, nequeunt. Praeterea hoc loco qui est nobis extiterunt, haereticos? Hos sane, si quid aliud, carnalis sapientia ab initio impediuit, & auocauit

Aa 5

humana prudentia, ne simplicitatem semel receptæ fi dei sedulo tuerentur. Hæretici homines semper doctissimi fuere, quiq; philosophia gentili ceu insuperabili arce confisi, nihil ferè in ecclesia illabefactum reliquerunt. Hodie N. inualuit, ceu diluuium inclementis. si ea duntaxat spectes, quæ bona pro malis aboleuit ac merfit. Ea uerò secta, iunctis propemodum ex æquo copijs, unà cum Iudæorum & Mahometistarum gente, Apostolicam, catholicam, ueterè, inuictam, sanctam ecclesiam, præterea doctrinam Euangelicam, uerbum propheticum, disciplinã Christianam, ordinẽ honestis. conuellere hætenus (non dico durioris aliquid) summis, hoc est, suis uiribus adnisa est. Id quod cum manifestum sit, non equadem offendemur, si ipsam nobis maledicere, si insidiari, si malum machinari senserimus. Non potest aliud, nisi quod facit, ecclesiam persequi, sed triumphatricem, calamitosa futura. Sapientia humana est, in qua fiduciam illa suam ponit. Vendicat sibi artium omnium palmam, uult adorari magistra, despicit quicquid est humile, & à suis diuersum moribus. Atqui tale Dei patris non est operatio, sed heu uereor, illius ne sit, quem deposuit de sede sua superbia. Solet certe superbis spiritibus resistere dominus, & humilibus dare gratiam, Solet exaltatos deijcere, & deiectos exaltare. Hoc nouimus, hoc sine dubio facere perget, siquidem immutabilis Deus est. Quare isti sapientes cum sint secundum carnem, & sibi uideantur hominum, quotquot uiuunt, doctissimi, non credibile est, ipsi tanquam paruulis simplicibusq; præ ueteribus Ecclesiæ theologis, patefactum esse genuinum scripturæ sensum. Quod si etiam nunc de uita istorum fiat cognitio atq; examen, proh pudor, quis nel semifarum credere queat, Schismaticos illos uniuersitatis Christianissimæ contemptores superbissimos, paruulos hosce Christi, & germanos esse discipulos, quib.

reuelet

reuelet uelatum Euangelium, quibus aperiat thesauros à mille annis & supra reconditos? Stulti uerò fi-
ant, ut reddantur sapientes, & in humilitate Christi
quærant, fortasse erit spes suæ salutis, nunc propemodum desperatæ. Vos qui discitis Euangelium in
pressura hac nolite deficere, cum audieritis omnes sa-
pientes, omnes prudentes, doctos, peritos, atq; totũ
mundum philosophicum sectæ huic dare animum.
Hoc nullum signum ueritatis est. Imò nota magna
erroris est, dicente Christo, Abscondisti hæc à sapien-
tibus. Et Paulo: non multi sapientes. Tanta doctissi-
morum hominum turba in principio Euangelij non
irruit eo pacto in Ecclesiam. Sed quid hic immoror?
Sapientia mundana, mundanam sectam, suam uideli-
cet cito agnouit. Habemus itaq; contra scandalum
humanæ eruditionis munimen uerbi Christi. Iam si
quis curiosior causam disquirat huius iudicij Dei, re-
spondet Dominus: Ita pater, quoniam sic placitum
fuit apud te. Hac responsione pius facile erit conten-
tus, nec ultra inquiret, ut qui non est temerarius ma-
iestatis perscrutator. Quid sciscitaris, cur abscondat
mysterium suum à sapientibus sæculi, & illud simpli-
cibus, humilibus, modestis, inglorijs, indoctis reue-
let? Sic bona uoluntas est patris. Audin' isthuc? Tu ue-
rò quis es, ô homo, qui ex aduerso Deo respõdeas?
Nam dicit figmentum ei qui finxit: Cur me finxisti ad
hunc modum? An non habet potestatem figulis lutu,
ut ex eadem massa fingat aliud quidem uas in hono-
rem, aliud uerò in ignominiam? En Paulum enarra-
torẽ & huius uerbi dominici. Astipulatur Iob: Quis,
inquiens, dicere Deo potest: Cur ita facis? Præter huc
Salomon: Nec dicere ei quisquam potest: Quare ita
facis? Quin apud Esaiam quoq; acerbius loquitur
Dominus, Væ dicenti patri, quid gignis: & mulieri,
quid paries? Quod si quis ita temerariè dicat, nihil sit
prorsus auditurus aliud, nisi: Sic placitũ fuit ante me.

Item:

Item: Annon licet mihi quod uolo, facere in rebus meis: Poterat omnipotens humano generi alia ratio succurrere, quàm sanguine unigeniti; sed ita placitum fuit coram eo. Poterat electos suos uel citra naturam mortem clarificatos, sursum ad se subducere, sed ita bona uoluntas eius est. Poterat sic gubernare omnia, ut ne Iſcariotis quidem anima gehennę flammis traderetur, sed sic uoluit. Nos hic obmutescimus, nihil amplius rimantes, at potius fleſtimus genua, suppliciter adorantes eudocian illam sapientis, iuxta ac optimi patris, qui nemini facit iniuriam. Cæterum ne autoritas tam præcellentia, cœlestia & merè diuina uerba loquentis Nazareni minor æquo putaretur, subiungit diuinitatis suæ magnificam manifestationem, ac si ita diceret: Quem nam opinamini nunc loqui uobiscum? Iesum Nazarenum duntaxat, qui uel uel excellentissimo propheta nõ sim maior? Loquor homo quidem, sed talis homo, cuius non potuit uiuere similis, nec poterit: Homo, inquam, nõ Dei modò, sed deus ipse in homine. Tale ferè sentit, cum arcannũ magnũ adaperiens, Omnia, inquit, tradita mihi sunt à patre meo. Sic loquitur apud eundẽ Euangelistã: Data est mihi omnis potestas in cœlo & in terra. Quod arcanum diu ante propheticus psaltes præcinuit: Omnia subiecisti sub pedibus eius. Nã carmẽ illud de Christo Domino intelligi debere, docet Apostolus, tam in Epistola Corinthiorũ, quàm Hebræorum. Tantus uerò, non solum Nazarenæ uirginis filius, sed Dei etiã unius unigenitus, nõ mirũ est, si solus non patrem modò perfectè norit, uerum etia mea omnia, quæ nouit pater. At nobis, qui nisi homines, nihil sumus, quid magnopere proſit filium nosse patrem, & contrã, si ipsi à tanta cognitione remoueamur? Cupimus & nos nosse patrem, & ea quæ patris sunt, id est, ea quæ nisi nouerimus, uidere faciem patris olim nequeamus. Quis summa hæc nosse nos faciet? Respondet filius: Ego, cuiuscunq; reuelo hæc, is nouit.

nouit. Paternæ & supercœlestis rei doctor ego sum, nemo alius. Nam quid doceas, si ipse nihil didiceris? Ego uerò, quia solus scio supercœlestia, solus ea docere possum. Vobis discipuli mei, Nepij existentes, si ue (ut uos uernacula lingua compellẽ) Pethaim, nũc reuelo paterna, idq; uoce uiua: sed ubi à uobis sublatus fuero, reuelabo ea animis uestris consummatius, in hys statu uiuo, ita ut ex paruulis atque insipientibus, omnium mortalium multo sapientissimi futuri sitis. Nam uos nunc malitia pueri, & sensu pueri ita reformabimini, ut posthac malitia solum pueri perseuerãtes, sensu uerò perfectissimi sitis. Quo sermone apparet, ea quæ patris sunt, hoc est salutis nostræ, ab humanis mentibus percipi non posse, nisi notificante Christo filio. Animales sumus secundum carnem & carnalem generationem, terreni etiam, & bruti prope modum homines: quomodo igitur capiamus supernaturalia ac supermundana, nisi doceamur ab eo qui ipse est & supernaturalis & supermundanus? Discere Deum non potest homo, nisi Deus semet doceat in homine. Quam ad rem concessit nobis literas suas. Legimus, scribimus, audimus, & quidem diligenter, quas concessit literas. At quid promouemus? Parum sanè, si tamẽ parum promouemus. Sed quid ita? Literæ mutæ non sufficiunt erudiendis nobis. Literæ mortuæ non efficiunt, quò minus simus animales, & quo minus pueri sensu atq; imperiti maneamus. Igitur datis literis, promittit se daturum quoq; spiritum, qui cœlestia è literis, ultrò credentibus reuelet. Reuelatio literæ unius, in hominum tam tenebrosis cordibus, quæ obsecro possit esse? Habet itaque pater duas scholas: alteram literæ, alterã spiritus. Huic præest Christus, illi Moses. Tametsi neuter horum quicquam ferè docet, sine alterutrius adminiculo. Pharisæici scribæ uersabantur olim in schola literæ duntaxat, sed quia spiritum non curabant, nihil illis de

de patre deo reuelauit filius. Videbantur sibi quidē de Deo nihil ignorare, litera freti uidelicet, sed nā sciendo, nihil sciuerunt de Deo, quemadmodum sciri debet: eo quod illis non reuelasset filius, qui est ē finu patris. Schola literæ sola, non reddit scribam doctum ad regnum cælorum: sed tunc demum reddet, ubi in scholam spiritus, quem literarium habuit aluitq̄, remiserit. Spiritus, magister est in Christianismo, hoc docete, doctissimi erimus. Atq̄ hoc illud est, quod ex Esaia Dominus ait: Et erunt omnes theodidacti. Quod docendi genus, ad scholam spiritus sancti pertinet. Tota igitur uia errant literarij huius tempestatis. Errant item spiritalij huius tempestatis. Illos uo co literarios, eo quod literā scripturæ duntaxat uersent, non suspirantes sursum, ut diuinitus edoceantur. Imò reperiatis literarios adeò execrabiles, ut rideant etiam magisterium spiritus: tantum ab est, ut inde studio suo aliquid accedere postulent. Piget commemorare, quibus blasphemijs onerari aliquando soleant, qui uel mentionem faciunt spiritus, atq̄ hoc in rebus spiritalibus. Volunt discipulos Christi literæ scriptę sic esse affixos, quasi sufficiat in Ecclesia, legere, & non intelligere. Quod posterius absq̄ operatione spiritus (qui mitti à patre in nomine filij nondum destitit) tam impossibile est, ut fiat, quàm impossibile est, ut ager fructus proferat è solo semine, absq̄ irrigatione aquarum. Porro spiritalios uoco eos, qui in dexteram partem peccant, attendentes soli spiritui, nec arbitantes opus esse alio, ad cognitionem Euangelij perfectam, præterquam spiritui, de litera perperam sentientes, quemadmodum literarij de spiritu non magnificè admodum. Horum occasione sacra Biblia pedetentim occiderent, nisi curante Christo hic quidam uigilarēt. Profecto utraq̄ factio rebus Christianis æque magnum dat damnus, dum cuiq̄ sua placet sententia. Ecclesiastici qui toto pecto

re

re esse curant, utraq̄ scholam. quod gymnasium uerius dicerem, adeant, utrobicq̄ exerceantur, utrobicq̄ sudent, utrobicq̄ ex equo nauent piam operam, si proficere uelint. Litera spiritum non respuit, uti nec litera despicit spiritus. Alterum alteri libens adest, in ædificationem Christi corporis, adeoq̄ gaudent mutuis operis uere doctos scribas facere. Non potest litera sine spiritu docere Christum: at spiritus isthuc potest sine litera, sed non facit. Olim forrasse fecit, nō dum uidelicet extante litera. Nunc uisibili hoc instrumento utitur ipse inuisibilis, & docere uult per literam, qui docere possit sine litera. Reuelat itaq̄ filius quis sit pater cælestis, & quicquid pertinet ad scientiam diuinæ uoluntatis, non tam uoce calamoq̄, quàm spiritu. Verum manifestata diuinitate, uocauit ad se omnes homines, ut nimirum se utendum præberet, qui tantus erat. Venite, dicens, ad me omnes qui laboratis & onerati estis, & ego reficiam uos. Tollite iugum meum super uos, & discite à me, quod mitis sim, & humilis corde, & inuenietis requiem animabus uestris. Iugum enim meum suauis est, & onus meum leue est. Nulla præcedunt merita, & tamen tam suauis est dominus, tam bonus, tam benignus, tam comis, tam humanus, tam iucundus, tam beneuolus, tam gratiosus, tam commodus, & omnia. Cui erat obstrictus ob ulla opera, obq̄ seruitutem ullam? Quis prior dedit illi? Nemo, plane nemo. Tā bonus igitur Dominus, qui uenerat saluare quod perierat, circumspicit huc illucq̄, & quasi in quatuor mundi plagas uocem intendens, ad se uenire iubet uniuersum hominū genus. Nā sese parē esse iuuandis omnibus, utpote per quē cōditi fuerāt omnes. Ad eū plane modū clamat idē Dominus in Esaia: Heus sitientes uenite ad aquas, & hi quibus deest argentū, uenite, emite, & comedite. Venite & emite absq̄ argento & absq̄ cōmutatione uinū & lac. Cōuocat uerò omnes, quia

omnium

omnium Dominus, & tam gentium quàm Iudæorū Deus: & conuocat ad salutem, conuocat ut accipiant, non ut afferant. Iudæi laborabant inutiliter sub iugo duræ legis, & metu pontificum sutorum non audebāt iugum illud excutere. Erant miserè impliciti, urgebātur ad seruiles labores, cogebantur in elementis mūdi uitam cum gemitu perdere. Qui doluisset uicem eorum, non erat inuentus. Populus gentium quoq; mirum in modum grauabatur, non in utilibus solū, uerumetiam impijs laboribus, unde præter scelera nihil lucrabatur. Sedebat ille totus in tenebris, spe omni uacuus. Sed miseretur Dominus utrisq;, & perspicuens contritionem calamitatēq; esse in uis eorum, utrosq; accersit. Seruator eorum futurus, si modo uocati ueniant, & dicto seruatoris tam munifici pareāt. Iudæi laborabant, & frustra exercebantur in infirmitate legis. Formidabāt semper huius maledictiones. Gentes oneratae erant, atq; adeo cooperatae omnino sceleribus & impietatibus. Nulla salus utrisq;. Venerunt igitur uocati tam ab ipso domino, quàm ab Apostolis seruis. Nam eadem uoce illi in uocandis conuiniis utitur, dicentes: Venite ad nuptias, paratae sunt omnia. Sic priores serui prophetae: Venite, comedite &c. ut supra. Et quid aliud uoluerunt sibi his uerbis, uisi ut religionem Christianam ingrederentur? seq; conferrent ad ecclesiam Euangelicam, recepturi cum fide sacrum lauacrum? Qui uenerunt, laborantes & onerati erant, cupientes leuamen. Et talibus ipse Dominus: cælo descenderat, nempe egrotorum medicus, non bene ualentium. Sed quid boni uenientibus ad fidem Christianam promittitur? Et ego, inquit dominus, refocillabo uos. Opera legis & onera peccatorum defyderabant refrigerium: neq; tamen omnes ut hoc refrigerio fruerentur, ad Christum uenire uoluerunt, malentes semper in uanum laborare, & uel ad mortē usq; onerari, quàm dare Deo gloriam,
in

in agnitione sui ipsius. Est autem hæc refocillatio, libertas Christiana, & remissio omnium peccatorum præteritorum. Quæ duo beneficia an non immensa sunt? Gratis refocillabat, id est, nullis præcedentibus meritis. Nam laborantes istos operarios propter opera sua, neq; ad se uenire iussit: nec ubi uenerant, refocillauit. Gratis enim saluati sua è calamitate fuerunt, iuxta Apostolum, & absq; commutatione acceperunt uinum & lac, iuxta prophetam. Hic saluatoris nostri benignitas, omni laude efferenda est, & prædicanda gratia salutifera. Laborantibus Iudæis contigit libertas à Mose pulcherrima. Oneratae nationes leuabantur peccatis suis, quæ sicut onus graue ipsas oppræsserant. Quid hic nisi summa gaudia & exultationes liberatorum atq; exoneratorum hominum? Audiuius fratres de accessione electorum ad messiam Domini, quæ fit per fidem & baptismum. Præterea de exhibita gratia seruatoris nostri, quæ electis contingit ad libertatem, adq; remissionis peccatorū consolationem. Reliquum est, ut audiamus, quæ alia ad eos dixerit, qui attracti uenerunt ad se, quiq; hodie ueniunt. Tollite, ait, iugum meum super uos, &c. Hactenus patienter audire sustinuit omnia sectæ populus, & etiam applausit uera cōcionantibus nobis. Sed nescio, qui placitum ei sit, quod nunc dicemus; non nos, sed magistrum nostrum, cuius sermo est, plene sequentes. Solent isti Schismatici ubiq; errores suos huius uerbi præsidio tueri: Venite ad me omnes qui laboratis, & onerati estis, &c. Mirum, quàm uociferentur, quàm ferociant inuitationis huius humanissimæ prætextu, canentes encomia sua longe ante uictoriam. Accedimus sententiæ gratiæ inuitatrici. Sed procedimus etiam, contemplaturi quid amplius loquatur Dominus. An non hoc iustius, quàm in uno uerbo tantum quiescere, neglectis reliquis, & uelle principium modo sermonis Euangelici uidere, sine

uerò eiusdem sermonis curare nihil? Audire uolunt tantummodo: Venite, ego reficiam uos. Tollite iugum meum super uos, auditu iucundum illis non est. Audire possint: Inuenietis requiem animabus uestris. At, discite à me, quòd mitis sum & humilis corde, auribus grauius audiunt. Ita enim seruitur & doctrinæ sectæ & moribus. Doctrina præter fidem ad salutem nihil admittit. Igitur recusant: Tollite. Mores eiusmodi sūt ut non possint non respuere, discite. Imò dices, ad discendum proni sunt. Scio, sed non ut discant, man sue te & humiliter uiuere, quemadmodum hic præceptum legunt. Nos uerborum progressum meditemur, sectam omittentes. Venientes ad Christum, id est, credentes & tincti in nomen ter adorandæ Triados, deposuerunt ibi quæ attulerant, uidelicet iugum & onus suum: Iugum Mosi, iugumque mundi grauissimum, & quicquid grauabat animam, quicquid excruciabatur conscientiam. Deposuerunt, inquam, ibi ferreum istud iugum, de quo in Deuter. Deposuerunt iugum oneris legalis, & sarcinam humerorum suorum, de quo in Esaia, Iugum scilicet illud, quod nec ipsi patres portare potuerunt, sicuti Petrus attestatur. Verum passus ne est illos deposito iugo ac onere abire omnino uacuos? Dimisit ita exoneratos, ut posthac sine iugo, sineque omni onere reliquam uitæ suæ portionem consumerent? Minimè, chariss. fratres. Secta, si talia docet, non docet, sed dedocet Euangelium, & animas fidelium non ducit, sed seducit. Euangelium ostendit, Christum saluatorem non modo de iugasse atque exonerasse eos qui antea iugo atque onere pressi, ad se uel tro accesserant: uerum etiam imposuisse ipsi aliud & iugum & onus. Ringeris hic, uideo, disciplinæ ossor. Nam tu Christianos Belial esse mauelis, & qui pristino iugo semel excusso, in posterum sibi uiuant, non Christo, non Ecclesiæ. Scriptura uerò longè secius habet, ut quæ passim indicet, misericordem De-

um

um quidem parcere, remittere, propitiari: sed, addere admonitiones, quibus pareat amodo misericordiam consecutus. Iugum pristinum, qualecunque illud fuit, ademptum, abrogatum, antiquatum est. Ea erat uetustas tædioque seruitutis, nunc uerò gratissima libertas noui Test. facta. At hæc ipsa libertas & manumissio, solida ueraciter non est, nisi noua illa Euangelica seruitus accedat, quam Apostolus sentit, ubi inquit: Cum sum ab omnibus liber, me ipsum seruum feci omnibus. &c. De Euangelica quoque seruitute Romanis sic scribit: Non estis sub lege, sed sub gratia. Quid igitur? Peccabimus, quod non sumus sub lege, sed sub gratia? Absit. An nescitis, quòd cui accommodatis uos ipsos seruos ad obediendum, eius serui estis cui obeditis, siue peccati ad mortem, siue obedientiæ ad iustitiam. Gratia autem Deo, quod fuistis quidem serui peccati, sed obedistis ex animo in eam, in quam traducti estis, formam doctrinæ. Ceterum liberati à peccato, serui facti estis iustitiæ. Mox: Quemadmodum præbuitis membra uestra serua immunditiæ & iniquitati, ad aliam atque aliam iniquitatem: sic & nunc præbete membra uestra serua iustitiæ ad sanctificationem. Cum enim serui essetis peccati, liberi eratis iustitiæ &c. Rursus: Nunc uerò manumissi à peccato, serui autem facti Deo, habetis fructum uestrum in sanctificationem, finem autem uitam æternam. An non S. Paulus hoc sermone nobis copiose enarrauit, quicquid Christus de iugo deposito, & de iugo imposto sentit? Sic supra idem Paulus interpretabatur ruditati nostræ locos priores Euangelij huius, interpretis is diuinæ mentis certissimus. De eadem seruitute ipsi scribit: Nunc autem liberati sumus à lege, mortui ei in qua detinebamur, ut seruiamus in nouitate spiritus, & non in uetustate literæ. Quæ & ipsa uerba Euangelium nostrum declarant. Huc pertinet exemplum seruitutis Paulinæ,

Bb 2

qua domino seruiunt, sicut Actorum liber habet, nō hoc tantum seruitutis exemplum qua seruiuit fratribus ut omnes lucrifaceret, sicuti paulo ante ē Corinthiis prælegi. Aut de seruitute in nouo fœdere dubitas? Audistin unquā cantantem Baptistæ patrem: Ut sine timore, de manu inimicorum nostrorum liberati, seruiremus ipsi (domino) cum sanctitate & iustitia coram ipso, omnibus diebus uitæ nostræ. Certe hæc de ijs occinit Zacharias, qui ad Christum iam uenerant, credentes, à iugo uetusto liberi, existentes sub gratia, &c. Colligitur uerò ex prædictis, iugū quod Christus tolli iubet, nihil aliud esse posse, nisi uitam Christianam, quæ auditu doctrinæ & opere constat, posteaquam credidisti. Tollite, inquit, iugum meum, quasi dicat, hæcenus portauistis iugum Mosi iugum Adam, iugum diaboli, lassati in uia iniquitatis. Nunc hoc abiecto, meum iugum uestris ceruicibus imponite, mihi redemptori uestro in posterum seruituri ac laboraturi. Non dimitto uos à me ita liberos, ut uestram uoluntatem secuti, in cōcupiscentijs carnis conuerseremini. Quæ si est libertas, diaboli, non mea libertas est. Nam ille promittit libertatem, ut seruos peccati faciat. At ego uos liberos ab omnibus, meos seruos esse uolo, ut sub iugo meo operemini, & sub signis meis militetis. Ecclesia mea, ad quam uenistis in fide, non theatra scena, sed uinea est, quæ labores & sudorem uultus poscit. Ecclesia mea non finit torpere quos accepit, sed exercet eos in stadio suo. Instigat suos, ut pro apprehendendo brabio excurrant, ut alter alterum in beneficiendo ad æmulationem prouocet, &c. Tale meum iugum est. Hoc qui ceruicibus imponere detrectarit, eum ego pro discipulo non agnoscam, & si omnem fidem habuerit. Sic uolo, sic iubeo: ut qui ad me uenerunt uocati, iugum meum rollant super se, id est, secundum disciplinam Euangelicam uiuant, in iustificationibus Domini sine querela.

querela. De iugo Christi diximus. Porro nunquid & onus est, quod imponit Christus ijs qui onerati ad se uenerant, sed per fidem lauacri ex gratia cito exonerabantur? Admodū. Nam ut iugum iugo commutatur, ita onere onus. Iugum labores ostendit, onus patientiam exigit. Non satis est Christiano, si in bonis operibus ambulet, perferre etiam debet quæcūq; aduersa ei accidere possunt. Proinde Apostoli se per cōiunxerūt cū doctrina honestiss. morū doctrinā crucis: etenim sicut per opera bona Christum sequimur, ita per patientiā atq; sufferentiā malorū omnium eūdem sequimur. Hic clamat S. Petrus: Christus passus est pro nobis, nobis relinquens exemplū, ut insequeremur uestigia eius, &c. Hic S. Paulus: Siquidē simul cū eo patimur, ut & unā cum illo glorificemur. Ipse Christus sic de tollendo crucis onere ad nos loquitur: Qui uult post me uenire, abneget semet. & tollat crucem suam ac sequatur me. Ante Christum cognitum baiulabamus onera Ægypti ad interitum: at quæ Dominus imponit, baiulamus ad uitam: nimirum per uarias tribulationes euntes in regnum Dei. Esse itaq; duo audimus, quæ ad uocationem nostri pertinent, & eam firmam reddunt, uidelicet operatio & passio. Hæc nobis credentibus iniungit saluator, si uelimus requiem parare animabus nostris. Bos & asinus, par animalium stolidissimorum licet, commoneant nos duernionis huius. Bos operatur iugo, asinus onus tergo uehit. Iugum boui, inquam, competit, onus asino. Arationi aptus bos est, uectioni asinus. Paterfamilias neutro horum carere in administranda domo potest. Et coniungere hæc duo animalia scriptura solet, in argumentum fortasse Christiani dogmatis. Apud Esaiam certe Christiani boues & asini dicimur, qui immittimus pedem in uberrima pascua reuelati euangelij, è quorum refectione fortes atq; robusti reddimur, tam ad operandum, quam ad ferendum.

Cauendum autē est sollicitē, ne qui prius iugum excussum in ecclesia Christi, ad idem subeundum decepti reuertamur. Quin Apostolum hīc audimus: In libertate qua Christus nos liberauit, stete, & ne rursus iugo seruitutis implicemini. Mali doctores uetus iugum ubiq; præferunt, & suum iugum satan ociosum computrescere uix sinet, quod in durissimo iugo Roboam tyranni olim figurabatur. De tollendo Christi iugo & ferendo onere inter patres, Hilarius sic: Legis deinde difficultatibus laborantes, & peccatis sæculi oneratos ad se aduocat, dempturumq; se laborem onusq; promittit, si modò eius iugū tollunt, Mandatorum scilicet suorum præcepta suscipiāt, eūq; sacramento crucis adeant, quia corde humilis & mitis sit, &c, Mox: Et quid iugo ipsius suauius? quid onere leuius? Probabilē fieri, scelere abstinere, bonum uelle, malum nolle, amare omnes, odisse nullū, æterna consequi, præsentibus non capi, nolle inferre alteri, quod ipsi sibi perpeti sit molestum. Hęc Hilarius. Audiuimus quid tollere super nos iussi debeamus in Ecclesia, ubi Christus est. Quid uerò nunc uult, ut dicamus ab eo: Primum, quòd mansuetis sit, deinde quòd ex animo humilis. Has uirtutes in se ceu in speculo terfiss, aspici, & harum exemplū à se accipi uult, ut dicere possimus, nos à Christo magistro didicisse, quòd simus alij, quàm fuerimus, homines. Et uirtutibus tantis pollicetur quietem animæ, id est, animi tranquillitatem, quam philosophi olim inuenire minimè ualuerunt. Mansuetudo siue mititas est, quando Christiani iniuriam irrogatam, neq; iure depellimus, neq; talione ulciscimur, sed toleranter perferimus, non aperientes os nostrum ad remaledicendum. Humilitas est, quando nosmetipsos abnegantes, de nobis meritis nihil præclare sentimus, præferentes nobis alios, accommodantes nos ijs & hominibus & rebus, cuiusmodi mundi superbia despicit. Professio

si uerè

si uerè mansueti ac modesti essemus, quemadmodum à Christo didicimus (omnis mansuetudinis & modestiæ fonte) nihil posset nobis accidere in toto isto mortalitatis salo, quod animos nostros ullo pacto perturbare ualeat. Ferocitas & arrogantia (uitia ijs uirtutibus opposita) alere tranquillitatem animi nō possunt. Æstuant infelices filij sæculi, & sicut mare feruens commouentur, nunquam quieti. Post Christum Dominum exemplar mansuetudinis Moses est, à quo etiam discere liceat, mansuetè ferre omnia. Post Christum præceptorem exemplar humilitatis Maria est, uirgo sacratissima, quæ se gessit tanto humiliter, quàm to maior erat, nimirum mater Messias. Qua dignitate, nulla præstat. Didicit mater à filio humilitatem cordis, qua ex humilitate, humilitatem quoq; suæ conditionis comminisci non uerebatur, cum fuerit alioqui fortis non aspernandæ. Restat scrupulus. Mouēt hūc osiores disciplinæ, licentiæ cultores. Quid ergo, inquit, incessimus Mosē cum suo iugo & onere, si quidem Christus etiam & iugo premit & grauat onere? Respondeo: Dis dia pason (ut dicitur) inter se differunt iugum Mosi & iugum Christi. Id quod ipse Dominus, uelut huic obiectioni occurrentis, ingenuè fatetur, cum suum iugum cōmodum, & onus suum leue esse dicit. Qua superadditione reuocat eos, quos forsā iugi atq; oneris mētio abegerat. Ac si diceret: Impono iugum meis fidelibus, sed meum iugum, & suaue. Hoc, qui uere mei sunt, non horrebunt, quando audiunt, meum esse iugum, utpote facturi propter me omnia uel molestissima. Ipsa nomenclatura iugi Christi dulcis in auribus erit meo populo, non aliter ac si non iugum, sed pabulum esset, siquidem gratiosa uox est, Christus. Præterea suaue est, & portatu commodum iugum meum electis meis, partim quòd sint eò proni ac spontanei, operante spi-

Bb 4

ritu meo in cordibus eorum, partim quod me flagrantiss. deament, qui amor uincit omnia impedimenta, atq; omnia ardua superat, ut & uelint & possint: partim quod expectent in spe firma hereditatem filiorum Dei, in caelis conseruatam. Quae spes, nihil tam durum est, quod non possit emollire. Certè talibus praecipua mea grauius non sunt, ergo nec iugum meum, quod ferè est praecipitorum meorum obseruatio. Quo autem iugum meum commodius faciliusq; sit, ipse ego iugatos discipulos adiuuo in omnibus subleuans eos, confortans eos, deducens eos, frater eorum, non dominus tantum. Eadem ratione onus meum quoq; leue est: primum, quia meum est, id est, à me impositum, siue meo iussu in humeros sublatum. Deinde quia propter me imponitur: nam mei quicquid persecutionis patiuntur, propter regnum Dei patiuntur. Postremo, quia ego eos paraclito misso consolor hortorq; proponens eis exemplum meum, & promittens conglorificationem, quae exuperat omnem sensum. Quae res mirum ni crucem grauius. uisu, leuissimam basalatu fecerit. Sit Christo laus & honor.

FINIS.

DE LIBERO ARBITRIO CHRISTIANI HOMINIS, epistola Georgij Wicelij.

LECTORI S.



*N*oli committere, ut diutius desiderares Lector catholice, Apophasin meam de uoluntate hominis, quam parochus cuidam, tale quiddam abs me petenti, ante triennium conscripsi. Ceterum quò lubentius nunc eam oppellam ædi patiar, improbi istorum clamores faciunt, qui grande nephas & morte piandum existimant, non insanire. Præter hos sunt, quorum animi ad bonorum operum studia flagrare cœperunt, ijs ne desit certa sua uoluntatis cognitio, tyrocinio hoc curatum putauit.

Vale. Eislebij,

Anno

M. D. XXXIII.

GEOR. VICELII.



Veris frater Andrea, quid post tot eruditorum digladiationes, de Libero arbitrio sentiam. Id quod ne tuæ charitati uel in hoc defuisse uidear, paucis expediero. Primum astipulor ijs, qui negant uocem liberi arbitrij esse de scriptura. Deinde uilorum mihi sententia probatur, qui autumant ea de re disputare curiosius quàm utilius esse. Censeo enim scripturas potius legendas, credendas ac seruandas purè simpliciterque, utut carnali sensui non nunquam oblucentur. Postremo illorum temeritas animo meo longe omnium displicet, qua turbarunt confuderuntque omnia, dogmatizantes non tam aliorum odio, quàm sui amore cæci, hominè tantūdem posse, quantum possit serra aut securis, decepti nimirum falsa Esaiæ prophætæ intelligentia. Heu quam illi uiam sceleribus & peccatis omnibus præstrauere rei animarum, quotquot eo dogmate illaqueate perierunt. Ceterum placet, uoluntatem dicere pro arbitrio, siue quia uoluntatis nomē agnoscit scriptura, siue quia aliquanto intelligibilius simpliciusque est. Quanquam non nescio arbitrium iam inde à primis ferè temporibus ecclesiæ Latinis usurpatum, Græci semper aut exusian appellarunt, hoc est, sui potestati. Sed ad rem. Arbitror igitur suam cuius mortalium esse uoluntatem. Num etiam liberam? Liberam utique ad malum, quò natura omnes propendent. Ad bonū ægra etiamnum est, uulnerata nimirum in paradiso, atque adeò tota penè assensu isto mortifero ad peccatū abolita, ut captiuitas potius hac in parte quàm libertas sit. Atque hoc de uoluntate hominis physici, id est qui naturæ ductu uiuit, dictum putes. Jam quos Deus opt. max. è regno mundi sublatos cupit, primū ip-

sis

sis in scijs, nec isthuc unquam cogitantib, tractu quodam lenissimo ad se, hoc est, ad bonū extimular (quæ res ad prouidentiam siue prædestinationem spectat, adorandam potius quàm scrutandam) & ita uoluntatem eorum instaurat ac medicatur, ut uelle *ad bonū*, siue ut more theologorum loquar, ad ea quæ sunt æternæ salutis animū applicare ualeant. Quo facto (sit autē modo incognito) adlubescit tractus illis de Deo sermo, & gestunt etiā ad auditū nomē Dei. Iam subinde audiētes creatoris saluatorisque sui opera ac promissa, ardentib, animis sursum anhelantib, concipiūt spiritum fidei, alij alijs plus minusue. Hoc concepro, habent semen Dei intra se, & planè conualescunt ex genuina & periculosa uoluntatis ægri tudinæ, adeò ut iā sanæ sanctæque, nedū liberæ uoluntatis homines efficiantur, promotore spiritu concepro. Fit enim huius occulta creatione, ut tales homines eandē habeāt cum Deo suo uoluntatē, hoc est, ut ea que uult Deus, uelint, cui nimirū toti fiducia amorisque adherent. En igitur tibi liberam uoluntatē hominis pneumatici, id est, eius qui spiritu diuino ducitur, quæ tamē ita libera est, ut ad bonum tanto propensior sit, quanto antehac ad malū. Potest ea tamē nonnunquā permisso Dei humiliantis, & impulsu carnis uicticis nimio ad malū deuergere. Illud certissimū, totā alioqui & semper quiescere eam in Dei uoluntate, præterea inuitā cedere, & coactā malo succubere. Ais: unde nam habet illi uoluntatē tā liberā tamque bonā? Nū ex sese? Respondeat Apostolus: Deus est, inquit ille, qui operatur in nobis (credentib,) ipsum uelle. Quia enim nos natura mali, quomodo bonum uelle natura possumus? Adeoque quos Paulus cogitare posse aliquid à nobis ipsis, tanquā ex nobis ipsis negat. Si nō cogitare, quāto minus uelle: si non uelle, quanto minus facere? Vides, unde fluat omne datum bonum & perfectū: Vides non accipere hominem quicquam, nisi desuper

desuper fuerit ei donatum: Vides eum nihil habere, quod non acceperit: Nolle uero bonum, natura nostrum est: Nam non boni bonum nolumus, sed malum uolumus. Voco autem bonum, quicquid ad caelestia aeternaque pertinet, Malum contra. Haecenus de uoluntate hominis, tam eius qui saeculi adhuc filius est, quam eius qui Dei filius, qui uero cepit *in uero* rege nerari: id quod nunc uulgo dicunt, ante gratiam & post gratiam. Psychici adeoque Choici animalia terrenaque sapiunt, uolunt, cupiunt, credunt, faciunt. Nec se eius possunt, quia meliores nati non sunt. E terra terra fit, e carne caro, nihil amplius. At, si ita res habet, cur olim iidem iudicabuntur? Nescio. Hoc unum scio, Iudicem non facturum illis iniuriam. Loquor autem de iis iterum, qui neque intus spiritu tracti tacti ue, neque uerbo Dei donati, neque a quoquam admoniti, neque Deum nisi ex mundi fabrica norunt, neque quicquam sciunt, nisi naturae legem. Huiusmodi cogi saepe a malo (quod terrae ui ardent) possunt, caeterum ad bonum adigi nequaquam. Et si maxime adigerentur, nolentes adiguntur, ni accedat manus Domini unica recreatrix. Verum longe aliter habet, si de iis loquar, qui habent uerbum uitae in se habitans, quo facta natur interior homo, cuius fide purgatur cor antea idololatriis foeditissimum, per quod Deum suum recte cognouerunt, iis inquam suam aliquo modo impartiuit uoluntatem Deus, ut quae Dei sunt, uelint. Unde fit, ut talium uoluntas in Lege Domini die ac nocte sit, & ut idem Dauid testatur: In mandatis eius uelint nimis. Haec tamen, quod bona est, quod liberetur ad diuina, cui nisi spiritui bono liberaliter ue dicandam putabis? Velle igitur habes Christiane. Quid praeterea? Num & facere? Respondeat iterum Apostolus: Deus est, ait ille, qui operatur in uobis (credentibus) ipsum operari, sine facere. Qui si operatur in uobis operari, quid ni operemur? Huc enim isto

isto loco spectat, ut credentes extimulet ad pia facta. Nec esse, cur diffidentes cauentur, se non posse. Tali bus audacter praecipit: Operantini, facite, lucete, obedite, &c. Talibus tota praecipit scriptura, Nempe iis, quibus datum est uelle, & iisdem posse ac facere. Iuxta illud: Omnia possum in eo, qui me confortat. Item: Omnia posibilia credenti. Nam unde uelle habent, inde & posse habent: unde posse, inde & facere. Tales, inquam, ut sine Christo nihil possunt facere, ita in Christo nihil non possunt facere. Ioan. xv. In Deo faciunt uirtutem, Psal. lx. Fortes nimirum in confortatore suo. Is enim ea ipsa praecipit illos, & ponit immaculatam uiam illorum. Psal. xviii. Talibus man datum Dei non mirabile sicut difficile est, Deut. xxx. Nec graue. j. Ioan. v. Confidunt in Domino, & faciunt bonum. Psal. xxxvij. Tales, ut cum scriptura iterum atque iterum loquar, faciunt quod rectum est, in conspectu Dei: faciunt iuxta uoluntatem Dei sui: faciunt iustitiam omni tempore, &c. Et quicquid faciunt, in gloriam & nomen Dei sui faciunt. Coloss. iii. Atque hoc ipsum possunt, non secundum suas uires, sed secundum energiam potentiae Dei, siue ut alibi Paulus, secundum potentiam energumenen in Christianis, secundum potentiam Dei & robur &c. Deus est, o fra ter, qui dat lassu uirtute, & ei qui sine fortitudine, robur multiplicat. Esai. xl. Quid hic desyderas? Res est in conspicuo. Omnes uires nostrae, qui sumus sub Euangelio, non tam Dei quam nostrae sunt. Nisi enim accepissemus, non haberemus. j. Corin. iiii. Nihil ergo in nobis gloriandum, sed in eo, unde in nos dimanat potentia, qua quod nolumus in obedientia Dei, praestare possumus. Nos quidem bene operari dicimur, at nisi is ante in nobis operaretur, qui solus bonus est, quid quaeso bullae possemus? Quid fructus ager profert sine concepto semine? Quid palmas extra uitae? Quomodo procedit sine uento nauis? Quo modo

modo it uitæ expers cadauer? Semen autem uerbum regni est, uitis Christus: uentus spiritus, uitalitasq; ipsa Christi, cuiusmodi acceptis quid ni & uelle & perficere ea queas, quæ tibi Christus præcepit, seruator tuus, cuius iugum suauæ & onus leue est, non ut Mosi erat, Act. xv. Esa. ix. Hinc uides Andrea, nodum dissecatum. Vides item; quàm turpiter errent, qui pro concionibus clamant ad quosuis, citra discrimen uel paganorū uel Christianorum: nihil potes, nulla tua uoluntas, chamo maxillis constrictis atq; oborto collo ducere nolens uolens, uel ad bonum uel ad malum. Deo autore malefacis, sicut Iudas, sicut Pharaon. Lutum es: nisi uellet Deus, in isto uitæ statu malo nõ degeres. Quiesce operator, coruum lauas, nullum tuum opus, quantumuis bonum, peccas, & in optimo opere. Quid conniteris seruare legem Dei, stulte? Putas eam tibi promulgatam, ut aut seruas, aut seruare possis? Quid? Etiam si serues, non seruas, sed simulas. Si lex potuisset seruari, Christus non uenisset: is demum compleuit. Audis damnari in Paulo operarios. Audis meritarijs dici: Discedite à me. Audis, uæ uobis hypocrite. Id genus sexcenta his annis non sine summa rei Christianæ perniciæ ab istis addiimus, qui labes & maculæ euangelij potius sunt, quàm euangelistæ. Harum uerò uociferationum, ut maxime non nihil suo loco uerum est, attamen tanta temeritate (non enim dicam autoritate) tantaq; imperitia & audacia eiusmodi feri in pleem non debuerunt. Quin ad distinctionē res uocanda fuerat: nempe ut uetus Adam, uetus creatura, natura humana, caro & sanguis, in carne habitans peccatum, totaq; ista terrena uis fuisset spe salutis expoliata, adq; nihililum deducta. Non item nouus Adam, noua creatura, natura diuina, Spiritus in pij hominis corpore habitās & omnis ista cællica uis, hoc est, homo secundum carnem, non secundum spiritum merebatur uituperari, idq;


idq; ut uis, uel ad extremum. Rem clarius dicam. Homo, in quantum homo, neq; uult, neq; facit quæ Dei sunt, sed hæc & uult & facit homo Christianus. Ante uerbum nihil poteras, sed ubi hoc concepisti, huicq; fidem dedisti (cooperante Domino) quid ni possis? Neq; enim ut audisti, tuum est, quod potes, sed illius ui potes, cuius ui uniuersa fiunt. Quorsum ergo que relas? Vellem libens obedire uoci Domini, si possem? Imò posses si uelles: nempe, à baptismo, Christo infusus, conceptor diuini seminis, credens Euangelio, &c. Ut uerò nolis, satagit Satan impeditor obedientiæ ab initio, & recte factorum. Satagit ille homicida in paradiso primum, ne opere fieret, quod diuinitus præceptum erat. Quòd si planè nihil uoluntatis animiq; ad pietatem sentis, tam es Christianus, quàm aurum scoria est. Attamen explora te ipsum accuratius. Ne protinus despera. Occulit enim Satan charismata diuinitus Dei, ne ips animaduersis utamur. Ora. Non possum, ais: Ora, inquam, & rumpe aëream istam telam, quam obtexit Satan. Iterum ais: Non possum. At tenta, mi frater. Suspira in altum, inuocata Dei dextera. Aspiciet te gratiofus, & uirtute induet, ut & uelis & possis. Nam promisit. Tu modò in Domino opus aggredere, & fac. Deus intus, tu foris operare, nec cessa. Si gratia affulget, perge in ea, eamq; saepe in teipso excita, ne torpeas. Audis Christum à te exigere præcepti sui obseruationem, Ne diffide, sed collige uirtutem exigentis in oratione, & fac. Præcepit enim ut facias. Et quid non facias, ipso fauente? Atq; ira habenti dabitur, ut abundet. Audis Christum à te exigere uitam euangelio recepto dignam. Perplexus hæres. Caro abhorret. At tu in spiritu confortare & roborare in nomine Iesu, adhibe in hoc ipsum omne studium ut subministres in fide uitam Christianā. In Domino potens poteris & faciens facies, iuxta uirtutem fortitudinis eius, qui excitauit Iesum à mortuis.

uis. Ne hæsitæ. Per calcetam perge carnem. Subde te iubenti. Treme ad uerba eius, & aggredere opus. Energia superna nõ tibi deerit, ea cœptum deducet, sustentans te in innocentia tuâ, Psal. xl. Tu in hoc adhibe epichoregiam tuam. ij. Pet. ij. Quid, ais, si non fecero? Respondeo: Si facere uolebas, cur audisti? Ob id ne, ut sciens uoluntatem Domini tui & non faciens, pluribus uapules plagis? Si dicas: Dõmine, non potui. In me, inquit ille, potuisti, sed gratiam meam neglexisti. An putabas manum meam abbreviatam? Nesciebas me non modo præcipere meis discipulis, sed addere quoq; unde, quod præcepi, præstent? Sementem concepisti, fructũ uerò nullũ tulisti, diabolo te regente. Abi quò dignus es. At ais: Quis omnia uel uult uel potest facere? Respondeo: Si uoluntas & potestas nostra tanta esset, dij nobis non hominẽs esse uideremur: nam illud soli Deo cõpetit: Omnia quęcũq; uoluit, fecit, Psal. cxij. & cxxxij. Atq; hic demũ locũ habet illud: Velle mihi adiacet, at perficere non reperio. Rom. vij. & Galat. v. Caro cõcupisc. ut nõ quęcũq; uolueritis, eadẽ faciatis. Donatur aliquid infirmitati carniẽ, ne inflemur, aliosq; despiciamus cũ pharisæo apud Lucã. Verũm tun' hinc deterrere à pugna, atq; labore? Minimẽ. Hoc ualidius aggredere. Voluntas in opus progredi à carne nõdum satis subacta uetatur aliquando, & rarius. Quid tum? Tu nihilominus reluctare. Semel uictrix caro, decies uincetur, si fortis in Domino, & fide solidus illi restiteris. Volente spiritu cogetur obtemperare nolens caro, quantumuis aliquousq; contra insanierit. Imperet carni spiritus, idq; serio, mirum ni cedat. Fruere promissione: Tu dominaberis eius. Gen. ij. Si uelle bonum adest, ne quiesce, dum & facere bonum adfit. Vtrunq; enim in te, ut audisti, operatur Deus. Phil. ij. Si ea fide & ordine de uoluntate hominis docuissent Antesignani illi, non tot uitij orbem implerent. Sed dum ambie-

bant

bant esse præ ceteris gratiæ prædicatores, facti sunt omnis licentię autores. Et eò rem adduxerunt, ut auditor octennis, flagitiosissimam & ethnicissimam uitam degat, nec per tot annos unam horam de facto aliquo præstando cogitarit. Qualem si roges, ecquid ita uiuat? Protinus responderet: Insanis, qui secus uiuã quum caream Gratia? Existimat enim miserum istud euangelicorum uulgus, sese perinde agi oportere à gratia, ut circulatorij statua arte agitur, qua uiui hominis instar per mensam incedat. Gratia manus illorum ab ipso sinu sensibiliter protendere debet. Gratia pedes illorũ protrudere debet. Breuiter gratia uẽti tempestuosi instar permouere illos debet, cuiusmodi quia nondum sentiscunt, gratiam sibi datam negant abijciuntq; uiuentes interim ut semper. Sed qualis opinio, talis ecclesię istius communitio, talis fides, talis uita Satan amat mortuam fidem, tolerat concionem uerboas magis quã euangelicas, fouet opinionem, mo dõ facta arceat: sciens, ut est callidus serpens, non uerbo sed uirtuti, non fictæ fidei, sed ueræ, non concionibus, sed actionibus, non opinioni, sed conuersationi uitam æternam deberi. Porro si sentiunt quod loquuntur, agnoscunt culpam, dato damno, & heu sero queruntur, præcones ineptius de lib. arbitrio apud populũ dissertasse. Sed quæso te, quomodo præcones ineptius potuerũt dissertare, quã de hoc scriptum legerant? Scriptores calceos consuerunt, prædicatores induerunt. Prolixior quã uellẽ fui Andrea, nec tamen animo meo feci satis. Dabitur aliis publico bono hac de re liber, interea epistolam hanc boni consule. Vale in Domino Iesu, à quo ceu capite in membra fluit unctio spiritus, deq; cuius plenitudine omnes credentes accipimus gratiam, ita ut possimus cœlestia querere, ne dum uelimus, huic unicum patre & paracleto laus, honor & imperium, per secula. Amen.

Cc



Posituro calamus in mentem uenit, è re fore, si sententiam meam de uoluntate hominis Christiani, ueterum etiam scriptorū testimonijs communirem. Nam licet sacræ literæ ad fidem faciendā homini pio sufficiant, non nihil tamen ponderis addit, si sciam ecclesiæ doctores eadem sensisse. Primo loco Cyprianū audi, Is ait: Dei est, Dei est, inquam, omne quod possumus. Dogma ecclesiasticum apud Tertullianum: arbitrium uoluntatis in primo homine infirmatum, nisi per gratiam baptismi non potest reparari. Quod amissum, nisi à quo potuit dari, non potest reddi. Itē: Hoc credimus secundum fidem catholicā, quod post acceptam baptismi gratiam, baptizati Christo auxiliante & cooperante, quæ ad salutē animæ pertinent, possint & debeant, si fideliter laborare uoluerint, adimplere. Ambrosius dicit: homini inest bonū nolle, per gratiam datur bonum uelle. Idem: Gratia humanæ uoluntatis dux est, non comes. Augustinus dicit: nolentem præuenit Deus, ut uelit. Item: Ipsa bona opera nobis ex Deo sunt, à quo & fides. Ioā. Chrysostomus: Volentibus gratia non denegatur. Neque gratia sine uoluntate, neque uoluntas sine gratia. Nam & terra non germinat, nisi pluuiā susceperit, nec pluuia fructificat sine terra. Rursum Augustinus: Præcepta diuina homini non prodesse, nisi haberet liberū uoluntatis arbitrium, quo ea faciens ad promissā præmia perueniret. Idem alibi: Qui liberum arbitrium tenetur adiuuari per gratiam, ut recta sapiamus ac faciamus, ut quum uenerit Dominus reddere unicuique secundum opera sua, inueniat opera nostra bona, &c. Hoc qui sentiunt, bene sentiunt. Idem: Si non est gratia Dei, quomodo saluat mundum? Et si non est liberum arbitrium, quomodo iudicat mundum? Idem: Liberum arbitrium ualet ad opera bona, si diuinitus adiuuetur, id quod fit humiliter petendo & faciendo. Idem: Deus iubet per legem, dat per gratiam, &c. Fulgentius

gentius dicit: Cognoscimus Dei esse, ut & bonum facere uelimus, & facere ualeamus. Maxentius episcopus dicit: Ad ea quæ ad uitam æternam pertinent, nec cogitare, nec uelle, nec perficere possumus, nisi per inoperationem intrinsecus, spiritus sancti, &c. Bernardus dicit: Gratia excitat liberum arbitrium, quum seminat cogitatum, quum fanat & immutat affectum, quum roborat, ut perducat ad actum. Vale iterum, ex Nymecia Saxonum. Febr. 28. anno 1530.

DE CEREMONIIS ANTIQVÆ ECCLESIE, ex Septimij Tertulliani libro, de corona militis.

ET ideo non ad eos erit iste tractatus, quibus non competit quæstio, sed ad illos qui studio discendi, non quæstionem deferunt, sed consultationem. Nam & semper quæritur de isto, & laudo fidem quæ antecedit, obseruandum esse quam didicit, & facile est statim exigere, ubi scriptū sit, ne coronemur. At enim ubi scriptum est, ut coronemur? Expostulantes enim scripturæ patrociniū in parte diuersa, præiudicant suæ quoque partis scripturæ patrociniū adesse debere. Nam si ideo dicitur coronari licere, quia non prohibeat Scriptura, æque retorquetur ideo coronari non licere, quia Scriptura non iubeat. Quid faciet disciplina? utrumque recipiet, quasi neutrum prohibitum sit? An utrumque reiiciet, quasi neutrum præceptum sit. Sed quod non prohibetur, ultrò permissum est, imò prohibetur quod non ultrò est permissum. Et quamdiu per hanc lineam seram reciprocauimus habentes obseruationem inueteratam quæ præueniendo statum fecit? Hanc si nulla scriptura determinauit, certe consuetudo corroborauit, quæ sine dubio de traditione manauit. Quomodo enim usurpari quid potest, si traditum prius non est? Etiā in traditionis obtentu exigenda est, inquis,

autoritas scripta. Ergo queramus an & traditionis scripta non debeat recipi. Plane negauimus recipiendam, si nulla exempla præiudicent aliarum obseruationū, quas sine ullius scripturæ instrumento solius traditionis titulo, exinde consuetudinis patrocínio uiridicamus. Deniq; ut à baptisinate ingrediar. Aquã adituri, ibidem, sed & aliquanto prius in ecclesia sub antistitis manu contestamur nos renunciare diabolo & pompæ & angelis eius. Dehinc ter mergitamur amplius non aliquid respondentes quàm Dominus in Euangelio determinauit. Inde suscepti, lactis & mellis concordiam prægustamus. Ex quæ ea die laua cro quotidiano per totam hebdomadã abstinemus. Eucharistiæ sacramentum & in tempore uictus, & omnibus mandatum à Domino, etiam antelucanis cœtibus, nec de aliorum manu quàm præidentium sumimus. Oblationes pro defunctis, pro natalitijs, annua die facimus. Die dominico ieiunium nefas dicimus, uel geniculis adorare. Eadem immunitate à die Paschæ in Pentecosten usq; gaudemus. Cali cis autem panis etiam nostri, aliquid decûti in terram anxie patimur. Ad omnem progressum atq; promotum, ad omnem aditum & exitum, ad uestitum & calceatum, ad lauacra, ad mensas, ad lumina, ad cubilia, ad sedilia, quacunq; nos conuersatio exercet, frontem signaculo terimus. Harum & aliarum eiusmodi disciplinarum si legem exoptules scripturarum, nulla legis traditio tibi prætendetur, auctrix consuetudo, confirmatrix, & fidei obseruatrice. Rationem traditionis & consuetudinis fidei patrocinatorum aut ipse perspicies, aut ab aliquo qui perspexerit disces. Interim nonnullam esse credes, cui debeat obsequiũ. Adijcio unum adhuc exemplum, quatenus & de ueteribus docere conueniat. Apud Iudæos tam solenne est fœminis eorum uelamen capitis, ut inde noscantur. Quærò legem. Apostolorum differo. Si Rebecca con-

specto

specto procul sponso uelamen inuasit, priuatus pudor legem facere non potuit, aut causæ suæ fecerit. Tegantur uirgines solæ, & hoc nuptum uenientes, nec antequàm cognouerunt sponso. Si & Susanna in iudicio reuelata, argumentum uelata præstat, possum dicere, & hic uelamen arbitrii fuit. Rea uenerat, erubescens de infamia sua, merito abscondens decorem, uel quia timens iam placere. Cæterum in stadio mariti non putem uelatam deambulasse, quæ placuit. Fuerit nunc uelata semper. In ipsa quoq; lege habitũ requiro, uel in quacunq; alia. Si legem nunquam reperio, sequitur ut traditio consuetudini morem hunc dederit, habiturum quandoq; Apostoli autoritatem ex interpretatione rationis. His igitur exemplis renunciarum erit, posse etiam non scriptam traditionem in obseruatione defendi, confirmatam consuetudine, idonea teste, probatæ tunc traditionis ex perseuerantia obseruationis. Consuetudo autem etiam in ciuilibus rebus pro lege suscipitur, cum deficit lex, nec differt scriptura an ratione consistat, quando & legem ratio commendat.

FRAGMENTVM PÆDAGOGIÆ

CHRISTIANÆ GEOR. VVICELII,

tribus dialogis completum.

CHRISTIANO LECTORI S. D.

E Diuo Paulo & Luca liquet, Timotheum Lystris ortum, patre Græco, seu gentili, ac matre Iudæa Eunica dicta. Auiã uerò Loide. Id quod si noris Lector, facillimè interloquutorum & propositum intelliges, & affectum. Vale.

Cc 3

DIALOGVS PRIMVS.

Interloquutores,

Theodorus, Timotheus, Theophilus, Lois, Eunice.

THEODOS. Heus adfis tandem Timothee, omiffis omnib. quæ inter manus habes. TIM. En me pater. Sed quo nunc te abdis? TH. Sequere. TIM. Papè, quid rei est? Au iam unà cum matre, non dico tristes, sed anxias in secretiore cõclau confidere uideo: è regione uerò Theophilum, susceptorem meum, pallidulum, atq; etiam subaufte- rum: quid futurũ, demiror: tale certè nunquam usu uenit: forte lapsus alicubi, multabor. Me miserũ. TH. Quid tremis puer? Hic non est, quod tibi metuas: posita sella sede. EUN. Si licet here, omnis intromitatur familia, siquidem isthuc percipiunt. TH. Licet. Sed ec- cam. Accedite uos: audite attentè. Nullo mihi proce- mio amici opus est ad eam rem, quam acturi in præ- sentiarum sumus. Nam quicquid est eiusmodi, munda- nis relinquo. Nos modestia, & uerborum breuitas decet. Verum tu nobis, fili Timothee, causa unica es confessus huius, quem suo nunc spiritu prouehat, qui est in medio nostri, Iesus Christus. Hunc igitur, ut negocio dexter adspiret, prouoluti precemur. Ab ora- tione inquit pater. Te nobis, ò fili, dedit Deus opt. max omnium plastes, ut datum reddamus: hoc est, ita in- stituamus ac formemus, ut datore deo dignus homo fias, ad cuius quippe imaginem conditus es: officij nostri fuerit, te ueluti refingere: tui uerò, esse tracta- bilem, exemplo sanctorum puerorum Isaaci, Samue- lis, Tobie, &c. Ac primum quidem noueris, huc te præscitum, quum nondum esses: & huc te baptizatum fili, quando esse in mundo cœpisti. TIM. Mane. Quid si- bi hoc uult, quod baptizatum me dicis pater? TH. Hoc ipsum tibi iam eram explanaturus. Proinde scito, in- fantulum, atq; adeò uix diecularem te, aqua uerbo

Dei

Dei sacra, in nomine Christi, teste ecclesia, Theophi- lo isto susceptore, lotum esse: Atq; hoc nõ modò, sed & fidem adorandę triados, Theophili ceu uicarij ore professum, abnegato satana, huiusq; regno. Porro ne- gocium istud rotum, baptismum appellamus Chri- stiani. TIM. Habeo. At quid sibi demum uult Baptis- mus? TH. Isthuc equidem progressu etatis tuæ in con- uentibus sat disces. Paucis tamè præstiterit id tibi hic indicasse. Accepisti Baptismum, ceu lauacrum, non quo sordes corporis abluuntur, sed quo bonam con- scientiam nactus es, deleto in hoc peccato. TIM. Craf- sius rem expone: nondum enim in me capit. TH. Bap- tizatus es: hoc est, emũdatus, sanctificatusq; & Chri- sti discipulus, ecclesie membrum, ciuis cœli factus, adeoq; regeneritus. TIM. Narras ingentia. Verum quid baptizato mihi faciendũ? quæ Christiani officia? TH. Audisti, te in Baptismo mundatum à peccato, sancti- ficatum, regeneritum. Audi plura. Idem ipse per Bap- tismum mortuus es, item sepultus: præterea nouus ho- mo excitatus. Quod cum ita sit, pristina relicta con- uersatione, piè, iuste, sobriè posthac tibi uiuendum in carne est. Ex mortuo igitur uiuens, membra tua ac- commodabis ad seruitutem eius, cui nomen dedisti, cui iuratus, cui deuinctus, cuius totus es. Hæc signifi- catio, hic usus Baptismi, quem olim accepisti. TH. Hu- iusmodi tecum rationes deputa Timothee. Ipse pro- te fidei uisi, proq; te orauit supplex, ut talis per ætatè, qualem oportet, reddare. EUN. Audis: opinor: fili mi, quæ te seriò cõmonuerit pater. Memineris sedulo, te baptizatum. Quæ res aliam uitam, alios mores po- stulat. LOIS. In me primum chare fili, fides habitauit Christiana. Prima etenim sum nostro de genere, quæ totum animum ad Christũ appuli, superstitione om- ni exuta. Persuaderi uerò me, licet adultam, facile pas- sa sum, audito nimirum Euangelio gloriæ Dei, testi- ficante eiusdem in me spiritu, uisis miraculis, cõper-

Cc 4

ta Christianorū unitate, simplicitate, sanctimonia, ac inaudita planè patientia. Quare credidi rata firmatq; esse quæcumq; nobis de deo creatore, de Christo seruatore, & de spiritu sanctificatore loquerentur Apostoli. Atq; eadem etiamnum credo, credamq; donec expirem: unde te decebit fili, auig tuæ uestigia sequi, si eò uenire uelis, quò me uenturam confido. **ΤΙΜ.** Ignoscite, si tardius res tantas decennis nimirum adsequar. Baptismum semel acceptum fortiter tenebo, mysterij memor. Vnum restat, uidelicet ut exactius si dem Christianam edoceat. **THEOD.** Rectè puer. Atq; id ipsum studiose curabitur. Nihil enim prius duco, quàm ne nescias quomodo, qua fide, in cuius nomē, inq; quam religionem baptizatus sis. Etenim quid minus ferendum eo milite, qui in album adscriptus, ipsum ignoret, imperatorem ne noscat quidem, sacramenta symbola ue militiæ nesciat. **THEOPH.** Abundè actum hac de re puto. Curam uestram filio plenius erudiendo admouebitis parentes. Fili tu inclinatus a re audies, ita, ut promissis stes. Nolim enim me susceptore unquam fateare, ni quod scis, præstes. Vos ualete. **THEOD.** Tu quoq;. Sed quò: Recta ne domus? **THEOPH.** Etiam, si tamen prius ptochodochium inuifero. **THEOD.** Fac quod decreuisti, quia Dominus tecum. **THEOPH.** Quæ tua Christe erga nos beneficentiæ quot merita? Beatos nos qui gratis tanta dona exceperimus. Utinam huiusmodi acta passim ita feruerēt, nedum celebrarentur. Quàm pius erat, quàm iucundum spectaculum? Ut seni lachrymæ cadebant, ut singultiebat uerius, quàm differebat: ut complicatis, ut iam ad pectus adactis manibus sedebant feminæ. Effice, ô Christe, ut exēplar hoc imitentur, quotquot tuo senonime uenditant.

Dialogo

DIALOGVS SECUNDVS.

Timotheus, Theodorus, Eunice.

Illud uitij plerisq; affert iuuenta, ut nihil neq; sciāt, neq; scire curent. Sed me fœlicem, qui, quod ætate læ uitio minimè fecissem, acri institutione & exercitatione eò ueni, ut fidei catholiçæ paradoxa atq; tyrocinia illa, quæ Christiani pueri scire interest, non modò memoria teneam, sed singula etiam uerba mihi perspecta atq; excussa sint. Bone deus quanto hoc parentum labore, qua diligentia, qua industria. Ut illi me exercuere, ut urfere solliciti: ut impulere nōnum quam feroculi. Nullum mihi interdiu ociū: aut enim in ludo sum, aut domi: utrobique uix respirare licet. Sæpe rogor, sæpe laudor, præmijs nōnunquam illicior. Ferulas rariuscultas patior, siue quia meapte sponte ad uirtutis studium propero, siue quia seruile est, libe- ralem hominem plagis tundi. Ludus literas, Christū & mores domus confert: nec dum satis. Equidē hausi non nihil, sed nimis lacteum ac præmolle illud ipsum est. Præmansum est, quod inferuere in os mihi parentes, quos non puduit repuerascere, ut puero mihi primordia religionis Euangelicæ inculcarent penitus. Sed Deus qui cœpit, perficiet. **THEOD.** Puer ubi est? **EUN.** In ludum, ni fallor, abiit. Aiebat insignis quiddam modò proditurum gymnasiarcham. **THEOPH.** Perplacet. Res literaria illi perquam curæ est: uellem ad pietatis studium tam esset propensus. **EUN.** At ego quod ad pietatem attinet: in eo nihil desydero. Nam scis, quàm egregiè calleat pleraq; religionis nostræ rudimenta. Et da mihi quadragenarium è superiore sæculo, quem huic compares. **THEOPH.** Gratia Deo, cuius præsidio docere eum ualuimus. Reliquum uerò est, ut maiora discat. Et ubi didicerit, reb. optimis adsuescat. **EUN.** Fortunatos nos, si illò procefferit puer. **THEOPH.** Spem ego optimam de eo capio. Indoles præclara est, cui gratia dei accessit uberrima: ad hæc institutio

non uulgaris. *E V N.* Maximè. Quis enim æstimet laborem magnitudinem, quos impendimus in illo formando? *T H.* Atq; hoc multo tempore, nimirũ à quinquennio usq; in decenniũ pueri. Verũ neq; operæ nos, neque sumptus pœniteat, mea uxor. Etenim optime nobiscum actum arbitror, ubi hanc domunculam primum extructam perpoliuerimus, & hunc agellum ritè excoluerimus: dulce hoc senectæ nostræ lenimen erit, & olim reddetur merces sanctissimi huius operis. Atq; adeo, ne uir quidem bonus sim, ni consulta patrum, ni leges, iuræq; seruem in instruendo gnato. *E V N.* A patribus quondam in synagoga frequenter audisse me memini legem istam: Docete filios uestros. Et illi quidem nihil laboris defugiebāt, quo liberis ingenuis fatis fieret. *T H.* Et hoc gentiles mei gnauiter præstitere, id quod ut sciret posteritas, utq; si quibus libet, eorum uterentur exemplo, monumentis tradidere. Alij thesauros natis suis reconcant incertos, alij aliud: nos optimam partem elegerimus. Et benè, benè inquam uiximus, si Paulinum illud re ipsa impleuerimus: Patres educate liberos uestros in eruditione & correptione Domini. *E V N.* Oprime dixti. Sudare perge, mi uir, me ut uis, adiutricè præstrenuam habes. Sed ecce è schola redit Timotheus. Quid tam cito? *T I M.* Cito, mea mater? *T H.* Quid insigne illud est, quod prodidit ludimagister? Quin tu nobis hoc, nisi nefas est, dicis. *T I M.* Equidem libens hoc fecero. De deo disputauit. *T H.* Hui præclarum isthuc. Sed audiam, perge. *T I M.* Verũ, qua hoc sermonis facultate felicitatē, neq; ego referre possũ, neq; tu intelligere. Horsum uerò prolababatur, ut quilibet hæcenus ceu dijs litatũ est, deos esse dubitaret. *E V N.* Pfy dubitaret? *T I M.* Imò. Num queso te, eximium est, gentilem eò progressum, ut de dijs addubitet? *T H.* Quid tum postea? *T I M.* Ingenuè negabat nomina esse posse, qui cernerentur. Atq; hoc rationib. multijugis confutauit

confutauit. *T H.* Nulli igitur dijs? *T I M.* Persequar rem pater. Esse autem Deum affirmabat, qui nimirum neq; cerneretur, neq; gestaretur. *T H.* Rectissimè. Sed qua auctoritate nitebatur homo gentilis? *T I M.* Erythrae ad hunc modum canentis: *ἄς μὲν ἔτι μὲν θεὸς οὐκ ἔστι θεὸς ἄλλῃ.* Et rursus: *ἄς θεὸς ἄς μόνος ἔστιν ὑπερμεγέθυντος ἀρίων τῶν.* *T H.* At quid de Ioue, Apolline, Neptuno, Hercule, Aesculapio, Diana, Vesta, & id genus portentis? *T I M.* Dicebat & hos Deos esse minimè omniũ posse. Primũ, quòd ab alijs geniti essent: deinde, quòd mortales. In summa, quòd neq; seipfos, neq; alios iuuare possint. Viros maximos fuisse illos, dum uiuerent, non abnuir. *E V N.* Mirabor, si isthuc Lystris impune prodiderit. *T H.* Quid uis? Occasum idololatriæ omnis quasi per umbram uideo. Consistere enim ea isto seculo qui poterit? Suos planè recipit oculos Asia. Sarcæmonibus datum, fat manufactis statuis. *E V N.* Tu uelim cautè auscultes de Theogonia nugantes illos. Nihil enim ibi sanum. *T I M.* Ne uerere. Altius enim in me radices egit Christi semen, quàm ut ab ullo serpentis antiqui sibilo corrumpi queam. Vtor iudicio. E literatore, literarum, non dei cognitionem requiro. Nam istud perinde esset, ac si è pumice aquam, è caluo capillum, atq; nudo uestem postularer. Dicendi scribendiq; non credendi aut colendi rationem scholæ subministrant. *T H.* Pulchrè omnia. Verũ cœnam nunc apparato, fili. Nonnihil enim ieiunis gustandum. *T I M.* Factum puta, mi pater.

DIALOGVS TERTIVS.

Theodorus, Eunice, Timotheus.

Insidet pectore meo pueri non instituendi modò, sed perficiendi etiam cura. Nec satis consilij suppetit, qua id uia optimè fieri debeat. Si cessaro, omnis labor, quo iam pridem conteror, perijt. *E V N.* Vere or ego, marite, ne quid noxæ nimia ista & præpostera dili-

ra diligentia puero gigner: nosti decēnem esse, corpusculo tenero, uiribus infirmis, præcoci ingenio, memoria præter ætatem acerrima, paratissimaq;. Vide ne rumpatur nimiū tensus funiculus. Paret ille, scio ad quid uis uocanti, idq; *ἀπὸ τοῦ κούρου*: sed parum pronidum isthuc fuerit. τ. Η. Tempestiue mihi illud Platonis suggeris: Serius absoluit, qui nimum properat. Quare remissior ero, at non cunctantior. Circumcisum enim est, & admodum breue, quicquid mihi superest temporis. Amisso me, nullus erit. Enitar, dum licet, & in ipso aliquid relinquam, quod me uixisse testetur, Heus Timothee, quid rerum agis? τ. Η. Homeri Odysseam describendam mihi iniunxit magister: in hoc omnis sum. τ. Η. Instantiam probo. Num quid Demosthenicum quoq; mandauit? Num Aristophanicum? τ. Η. Nihil non. τ. Η. Qui sufficis exhauriendis tot laboribus? τ. Η. Addit uires omniū conditor. τ. Η. Num idem & literarum conditor? τ. Η. Quid nī? τ. Η. Bene sentis. Verum illud ego nunc tibi præcepero, ut rebus melioribus temet serues. Nolim enim ita totum prophanis deditum. Semper absides Homero, semper Hesiodo: sed aliò posthæc ducendus es, aut trahendus, si recuses. Vereor plus iusto tua indole tā felici ab usū scholæ sint. Vasculum preciosius aliquāto est, quàm cui rudera ista congruant. τ. Η. Rudera? τ. Η. Maximè, si compares Christi studijs longè omnium & uerè liberalissimis. τ. Η. En me, cereum flexibilem q; & fragilem adhuc, destina me cui libet studio. Nam pater melius nosti, quid filio potissimum expediat, & stat sententia, me tibi per omnia obtemperaturum. Ε. V. N. Percense, quæ cum discere atq; facere uelimus. τ. Η. Rei summa est. Es pietati destinatus, quantus quantus es, ad hanc natus, atque adeò ab ipso Deo sculptus es, huic uni omnem uitam addicere debes, huic uacare, hanc amplecti, hanc colere. Id quod ni feceris, primùm fidem solues, deinde existimationem

nem tuam lædes: postremò domū nostram omnem funestabis: mori me deniq; coges. Memineris te Christo, non mūdo natum, & ortum tuum Ecclesiam uen dicare sibi. Mentis bene sanæ es, scio: at nī moderere, peristi. Ait quidam: Quot capirum uiuunt, totidem studiorum milia. Sed audis, ad quod studij genus tu applicare animum debeas. Cætera ualeant. Age igitur nate, Christum Iesum animo cōcipe, infige, tene, Hunc ama, hunc admirare, de hoc optimè senti, hunc cogita, hūc somnia. Succurrat baptismus, huiusq; repræsentatio, uota, pollicitationes. Grādescere te, nos uerò senescere uideo. Quapropter ad altiora uehendus es tu, & nobis tui causa ad uigilandum sollicitus. Orare nosti? τ. Η. M. Trienniu totum noui. τ. Η. Num quod oras intelligis? τ. Η. M. Intelligo, Sed quàm uellè, melius. Ε. V. N. Equidem sedulo te docui: quare ignorantia culpat in me transferre non potes. τ. Η. Iam uerò fili nil proderit, orare nosse, ni ores: Nec si ores, aliquid est, ni rectè ores, hoc est, toto spiritu. Sed heus Eunica, hanc ipsam curam suscipies, qua, ut scis, puero inculcabis rectè precandi methodum. Huic ad datur gratiarum actio, ut qui orauit, idem gratias agat diuinæ bonitati: & hanc instilla. Audis? Ne fatigare. Quid enim perinde debemus benigno patri, quā gratiarum actiones, atq; eas multiplices? A socru operam subsidiariam posce, ne qua fiat, ut deesse nobis ulla parte uideamur. Precari uerò te quotidie oportebit, dum uiuas. Vbi uerbis precari non licet, mente precare. Est, qui audiat. Est, à quo, quod precaris, impetres: ne diffide. τ. Η. M. Habeo. Quid præterea nato præcepturus eras pater? τ. Η. An legere calleas, superuacaneum est quærere. Verum & hoc ad usum conuerte, sed pium, sed salubrem, sed honestum. Quare hoc partium tuarum erit, ut quotidie domilegas, partim tibi, partim familiæ. τ. Η. M. At quid legam? num Homerum? τ. Η. Minime, Quid enim domui meæ cū cæco illo

illo nugatore? Sed Christum, Paulum, ac ceteros. Hæc teneus eloquentiam comparasti tibi, posthac sapientiam, iustitiamq; .EVN. Fortasse nunquam uidit librū religionis nostræ, quem uulgò nouum Testamentum appellant. TIM. Vidi, mea mater, & quidem sepiissime. TH. Num item legisti? TIM. Legi, sed cursim. Plurima ne legi quidem. TH. Homericus es, hunc enim spiras modo, TIM. Quid facerem? quum nobis neq; aliud prælegeretur, neq; aliunde capere Græcitatē liceret. Adeoq; ni illi mihi contigissent autores, cui quæso usui foret noui Testamenti codex? Græcè nimirum & is scriptus. Hunc certè duce Homero, legere didici, intelligere uerò alio duce discam. TH. Rectè omnia, illū ipsum librum: ut dixi: lectitabis, familia ueluti corona cinctus. TIM. Eundem interpretabor scilicet? TH. Vbi ipse didiceris. Id temporis lege duntaxat, repete, idq; suauis uoce & articulata: fortè erit, qui lectum explicet inter eos, quibus legitur. TIM. Plurane audiam pater? EVN. Præteris psalmodiam. TH. Obscurum tibi, opinor, haudquaquam est, ut dis suis: qui tamen dii non sunt: occinant ciues gentiles: Nempe præanas, hymnos, odas, epinicia: Hominibus uerò episodia, epicedia, epithalamia. Qui igitur conueniet, ut Christiani Christo suo carmen non dicant? An non flagitium, & hac quidem in parte inferiores esse nos prophanis? En habes ideo libellum hymnorum, uulgò Psalterion uocitatum, unde horis diei quibus libet Deo nostro cantillabis, teq; ac alios oblectabis, atq; roborabis, idq; ubilibet. Neq; enim non quiuis locus pijs *ἑστῆσι* quodpiam est. Quis hymnorum istorum autor? TH. Et hoc officij tibi iniungo uxor, ut non solum qui psalmos composuerit, puero adnuncies, sed qua etiam dialecto, & quanta sedulitate à patribus tuis olim sint decantati, quippe Hebræa. EVN. Addā hystoriarum occasiones omnes, quibus nati sunt psalmi. Et ipsa te, anime mi, paulatim literas maiorum meorum

meorum doctura, ut ad hoc iter instruam, Hebraice nonnunquam psallere statui. TIM. Beas me dulcissima mater. TH. Utinam pleraq; cum uoluptate aliqua fiant.

FINIS.

¶ Hoc, quicquid est, nugabar in Saxonia,
anno 1529. Reliqua inber-
ciderunt.



IN LIBRVM VVICE,

LII DE SANCTIS,

I N D E X.



Bdia. 35. eiusque	ptor	201
uictoriam.	Alexander Hierosolymo-	
Pagina 41	rum episcopus, in carce-	
Abelis interi-	re defunctus	127
tus 2	Alexandrinam ecclesia quis	
Abgarus 168	primum constituerit. 174	
Abraham 3. 4. eius libe-	Amandus Episcopus 14. 0	
ralitas & pietas 3	&	141
Afflictorum consolator Noe.	Amantes redamandi 278	
pag. 2	Ambulare cum Deo 2	
Afræ condemnatio 247.	Anastasia cum sororibus.	
preces & mors 248	336	141
Agatha 135. in carcerem	Anastasius cum 60 alijs stran-	
abducta. 136. ad supplicium	gulatus	118
educta 137	Andreas apostolus 62	
Agathæ faucium corpus di-	Andreas post diuisionem,	
uinitus sanatum 137	quos petierit 215	
Agaurus locus 275	Angeli cur amandi 278.	
Agnes 127. duodecimo æ-	quando contristentur. 278	
tatis anno mactata 128	quibus letentur 297	
Agnæ etymon 128	Angeli num adorandi 279	
Agnæ uirginis & marty.	Angelorum cum diabolis pu-	
historia ex Ambrosio. 136	gna ob animam Martini.	
Agricola & Vitalis 277	pag. 326	
Ahia Silonites 32	Angelorum & diaboli di-	
Alani Marte celebres 87	uersa intentio 278	
Aluinus quo pacto neca-	Angelorum malorum ori-	
tus 240	go. 279. progenies. 280.	
Aluinus Luitgeri præce-	quot & quæ genera 280	

Angurius martyr	309	B Abylas	127
Anima sine corpore ubi a-		Baptismi energia	77
gant	301	Barbara à patre trucidata	67
Anna diu sterilis. 229. eius-		Barbara qua occasione fi-	
dem ad Deum preces. 229		dè palam professã. 65. 66	
Anna Mariæ meter	229	Bartolomeus quanta per-	
Antiochiæ qui fuerint do-		peffus	ibid.
ctores	205	Barchochabas	214
Apollinarius	283	Barnabæ & Pauli profes-	
Apollonia uirgo & mar-		sio	206
tyr	138	Bauaria in quatuor partes	
Apophthegma Martini. pa-		diuisa	198
gina	325	Belial angeli specie Iulianã	
Apostoli quibus armis mun-		aggressus. 144. ab eadem	
dum uicerint	221	colligatus	146
Apostolorum qui fuerint		Bellephorontis continen-	
consanguinei	216	tia	9
Apronianus	251	Benedictus	347. 348
Aqua falsis in locis præter		Bonifacius	194. primum
naturam lactea	160	Vinfridus dictus	192
Aquitaniæ situs	235	Brigitta	118
Arcadius & Satyrus	114	Brixius	322. 327. 328
Areopagita	284. 285	Burchardus Anglus	345
Arthemia	253. 258	C Aleb	7
Arthemie baptisatio	254	Callista & Chresta	121
Aspari fluij irruptio	62	Cantus, Cantianus, Cantia-	
Assa 31. ab Hanane repre-		nilla, martyres	350
hensus	36	Carolus Magnus	234. 235.
Assa podagricus	31		241
Asterius	143		242
Attila terror orbis & uir-		Carpasius	257. 259
ga Dei appellatus	86	Carthago à Gensericò ca-	
Azaria	34	pta	86

Catharina

Catharina uirgo	343	Cruce Christi quomodo in-	
Casianus martyr	313	uenta	133
Catharina uirgo	344	Crucis Christi figura	26
Cecilia uirgo	268. 337. 341	Cyriacus	253. 254. 255. 256
Celerinus	268. 269		257
Cheldiontus	302. 305. 306		402
Chilianus	200	D Armones	280
Christi amor erga nos quã-		Dagoberti Gallorũ re-	
tus	364	gis filioli miraculosa re-	
Christi natiuitas qualis	60	sponsio	141
Christiani bobus & asinis		Daniel in ferarũ lacum mis-	
apud Esaiam comparati.		sus, securus	45. 46. 47.
pag.	389		48
Christiani, in quibus leuitis		Darius Babylonis euerfor.	
præstantiores	2	pag.	48
Christophorus	229	Dauid	25. 28. 30. 36
Chromatius	115	Debora	18
Chrysofonus martyr	315	Decem millia martyrum,	
	336	quando extiterint	245
Chrysofomus	116. 117	Desiderius rex Longobar-	
Claui Domini	134	dorum	236. 238. 239. 240
Clemen pontifex	342. 343	Deus infirmiores elegit.	19.
Cœnobia antiqua ab huius			25
ætatis cœnobijs diuersa.		Dei sinistra saluari quid. pa-	
pag.	318	gina	243
Coimitha ex Eusebio	140	Deo grata quæ	78
Constantia Constantini fi-		Deo quæ offerenda	2
lia quomodo sanata	137	Deuteronomium quãdo in-	
Crato orator	143	lucem editum	42
Crescens in Gallia sepultus.		Didymus præceptor Hiero-	
119	213. 257	nymi	283
Crispina utra Dei manu sal-		Dioctetiani uxor Christia-	
uata	244	na facta	173
		Dionysius areopagita	284

D d 2

Dionysius à Paulo conuersus	284	Embaxus publicè filias interemit	21
Dionysius Episcopus statuitur	285	Emerentiana	136.137
Dionysii reprehensores. pag.	286	Enkratius ubi sepultus	290
Dionysii scripta	285	Enoch	2
Diuitijs quomodo utendū. pag.	8	Enoch in paradysum sublatus	2
Domestica exempla ad uitutem multum ualere.	268	Enoch uitæ commodis partibus	2
Dominus quibus seruis letetur	269	Enos	2
Dorothea Alexandrina.	121	Eobanus coepiscopus Bonifacij	195
122	123	Episcopū quid deceat	202
Drusiana à Ioanne ex mortuis suscitata	100	Epistola ad Hebræos quare titulum desideret	212
Duodecim tribus unde Ecclesia quamdiu munda	7	Erminulphus hæreticus à Bonifacio egregiè conuictus	194
pag.	295	Efra	43
Ecclesiæ duces post Domitianum qui	296	Esther	49. & 54
Ecclesiæ persecutio	295	Euchorius Treuerorū episcopus	202
Efficacia precum ad Heme-tecyum	302	Eucharij successor	204
Eli	23	Eulalia uirgo	78
Elizabeth Saxonica	335	Eulalie etymon	79
Elizabeth regina cuius filia. 328. eius ab incunabulis pietas, abstinentia, benignitas coniugium ibid.		Eulogius martyr	309
Elizabetha	55	Eunuchus Candaces in Arabia martyrio coronatus. pag.	115
Blisabeth	330. 331. 332	Eustachius	164
		Eustachius Cornelium & Iobum ad uitā reuocat.	79
		Eustachius	165

Eutropia

Eutropia & Nicasius	85	uerba	518
Exuperij oratio	277	Franciscanorū incarcerationio	318
Ezechia	40	Frāci quos præcipuos olim rectores habuerint	234
Ezechias ab Isaia reprehensus	36	Francorum ad bellum alacritas	242
Abianus	126	Francorum reges oleo sacrarum	108
Fabianus Anthero Rom. Episcopo, qua occasione substitutus	126	Francorū regum quæ olim potestas	234
Fabianus sub Decio occubuit	127	Frigoris effectus uarij	153
Fastus contemptrices	55	Fructuosus martyr	309
Faustinus & Simplicius. pagina	224	310	311
Faustini & Simplicij corpora ubi	224	Ad Galli, qua occasione Christum professi	108
Felicitas & Perpetua	161	Gedeon	19
Felicitas parturiens bestis obiecta	161	Georgius draconē in Lybia transfodit	170
Felix	165	Georgius quis fuerit et quo tempore extiterit	170
Felix quomodo mortuus. pag.	166	Georgius quomodo cruciatus	171
Felicis exufflatio ualida. pagina	114	Georgij mors	172
Fidem omnia sensibilia supergredi	362	Georgio precante, templū cum idolis conflagratur. pag.	172
Finis legis quis	363	Gertrudis Pipini filia	20
Flacilla Augusta	333	Geruasius et Protasius.	204
Flacillæ pietas	333	Geruasius & Protasius partium pietatē imitati.	204
Fortitudo mulieris	354	Geruasii passio & mors. pag.	
Franciscani quinque occisi propter euangelium	318		
Franciscanorum ad regem			

D d 3

<i>gina</i>	204	<i>Herculeus Caesar</i>	274
<i>Gloria, persecutionis co-</i>		<i>Herculeus cur Christianos</i>	
<i>mes</i>	126	<i>euocarit</i>	274
<i>Gloriam ignominia præce-</i>		<i>Herculei idololatria</i>	275
<i>dit</i>	10. 21	<i>Herodes in exilium quare</i>	
<i>Gordius miles Cæsariensis.</i>		<i>pulsus</i>	206
179. 183	184. 185. 187	<i>Herodias cuius filia</i>	206
<i>Gothi ab Hunnis fugati.</i>	86	<i>Herodis factum</i>	27
<i>Gozberti ducis miserabilis</i>		<i>Herodis festum</i>	271
<i>cedes</i>	201	<i>Hessones fontibus & lignis</i>	
<i>Græcorū philosophia qua-</i>		<i>sacrificarunt</i>	194
<i>lis</i>	244	<i>Heua</i>	1
<i>Gregorius Nazianzenus,</i>		<i>Hieroboamitarum redar-</i>	
<i>preceptor Hieronymi.</i>	283	<i>gutor Abias</i>	32
H <i>Abel</i>	1	<i>Hieronymus cur Romam</i>	
<i>Hadrianus pōtifex.</i>	241.	<i>missus</i>	201. 282. 284
&	336	<i>Hieronymi de Ioānis episto-</i>	
<i>Heretici huius ætatis qua-</i>		<i>lis iudicium</i>	98
<i>les</i>	378	<i>Hieronymi in eremo uita.</i>	
<i>Heretici quando orti</i>	295	<i>pag.</i>	282
<i>Hanani</i>	34	<i>Hilaria</i>	246
<i>Hanna</i>	23	<i>Hilarius</i>	109
<i>Hebræorū ingratitude</i>	12	<i>Hippolitus</i>	260. 261
<i>Helena Constantini mater.</i>		<i>Historia & uita sanctorum</i>	
<i>pag.</i>	132	<i>cur legenda</i>	181
<i>Heli sacerdos quid iudica-</i>		<i>Historia mulieris Vercella-</i>	
<i>rit de Anna Samuelis ma-</i>		<i>ne</i>	353
<i>tre</i>	232	<i>Homo quale plasmā</i>	1
<i>Helias</i>	16. 32. 33	<i>Homo unde constet</i>	297
<i>Heliseus</i>	37. 38	<i>Hulda</i>	43
<i>Hemeterius</i>	302	<i>Humanus sermo laude cœ-</i>	
<i>Hemeterij sepulchrum ubi.</i>		<i>lesti inferior</i>	353
<i>pag.</i>	302	<i>Humilitas reginæ Eliza-</i>	
		<i>beth</i>	

<i>beth</i>	329	<i>Iehu</i>	38
<i>Hunuldu quid molitus.</i>	235	<i>Iephta</i>	21
<i>Hymni</i>	162. 287. 297. 309	<i>Ignatius</i>	91
<i>Hypocritæ hodie qui</i>	48	<i>Ignatij ad bestias damnati</i>	
I <i>Acob patriacha</i>	7	<i>præclara uox</i>	92
<i>Iacobus cognomento iu-</i>		<i>Ignatij ad Rom. epistola.</i>	91
<i>stus, cuius filius, & quid</i>		<i>Imperium quo pacto rectè</i>	
<i>scripserit</i>	168	<i>gubernetur</i>	334
<i>Iacobus maior</i>	228	<i>Infirmiores à deo electi</i>	19
<i>Iacobus primus episcopus</i>		<i>Ingratitudo erga Elisabetā</i>	
<i>Hierosolymitanus</i>	167	<i>reginam muliercula</i>	332
<i>Iacobus quam diu rexerit</i>		<i>Innocentes Bethlehemitii-</i>	
<i>ecclesiam</i>	168	<i>ci</i>	100
<i>Iacobus quādo passus ibid.</i>		<i>Interpretatio nominum Vi-</i>	
<i>Iacobus quibus prædica-</i>		<i>talis & Agricole</i>	177
<i>rit</i>	ibid.	<i>Interpretatio prouerbij Sa-</i>	
<i>Iacobus & Philippus fra-</i>		<i>lomonis</i>	179
<i>tres</i>	166	<i>Ioachim</i>	232
<i>Iacobi facilitas in remitten-</i>		<i>Ioannes apostolus & euan-</i>	
<i>do</i>	227	<i>gelista</i>	98. 222
<i>Iacobi apostoli laus</i>	95	<i>Ioannes baptista</i>	206. 207
<i>Iacobi miracula ubi legan-</i>		&	208
<i>tur</i>	229	<i>Ioannis Chrysostomi uita,</i>	
<i>Iacobi mors</i>	169	<i>ex Socrate</i>	116
<i>Iacobi apostoli uita & ue-</i>		<i>Ioānes eleemosynarius</i>	119
<i>stes quæ fuerint</i>	168	<i>Ioas</i>	39
<i>Iacobo conuiuium nuptia-</i>		<i>Iob</i>	51
<i>le factum</i>	7	<i>Iob patientia</i>	51. 52
<i>Iacobi quot fuerint</i>	ibid.	<i>Iobia filia regis Persarum.</i>	
<i>Iael</i>	19	<i>pag.</i>	255
<i>Iddi, impietatis redargu-</i>		<i>Ionathas</i>	25
<i>tor</i>	32	<i>Ioram ab Helia reprehē-</i>	
<i>Iehasiel</i>	35	<i>sus</i>	33

Iosaphat	36	Iustitia humana, iniustitia
Ioseph	9	coram Deo 370
Iosephus cognominatus bar		Iustorum tribulationes mul
nabas cuius fuerit	205	tæ 52
Iosephus ex infimo euectus		L Argus 249
pag.	9	Lauditius praefectus 252
Iosephi patientia	ibid.	Laurentius 261
Iosephi historici de Ioanne		264 265.266
et baptisate opinio	207	Lex à Mose cur secta 15
Iosias Ezechia pietate su-		Lex Dei ab Esra, quomo-
perior	42	do & quoties lecta 44
Iosua	17	Lex naturæ quæ apibus in-
Iosua principum exemplar.		nata 179
pag.	17	Lioba Britanica uirgo 198
Iosua Zerobabelis synchro-		Locus apud Ioannem quo
nus	43	pacto intelligendus 261
Iosuae apud deum gratia.	18	Longior etas longi carce-
Isaac	5.6	ris patientia 250
Isaias medicus	72	Longobardi regem uolunt.
Iudæi pedagogiam magni		87.236 238.239.240
faciunt	24	Lot 4
Iudas Matathie filius	55	Lucas euangelista 293
Iudas proditor quare Isca-		Lucia 74.76
riot dictus	217	Lucinæ domus in templum
Iudas quib. prædicarit.	294	mutata 76
Iudæ scripta	ibid.	Lucius 77
Iudices	18	Ludonicus Seringie prin-
Iudith	53	ceps 331. eiusq; in Sarace
Iuliana uirgo & martyr.		nos profectio 293
144	145	Luitgerus doctor Frisonum.
Iulianus	244.245	201 202.292
Iulitta	158.159	Lupus Vasconie princeps.
Iustinus martyr.	99.213.214	235 236

Macarius

Macarius Hierosolymo-		tore 147
rum episcopus 133		Mathias, ex Hieronymo.
Macherunta castellum 271		pag. 148
Magi à Balaam oriundi. 105		Matronarum exemplar. 4.
Magi alio tramite ad suos		& 7
conuersi quid doceant. 106		Mauritius 274.275.276
Magorum corpora unde Co-		Maximus hierotheus 285
loniam translata 107		Medicus à Deo creatus 42
Magorum encomium ex scri-		Melania & Paula 293
ptoribus 102		Merita humana nihil ad
Magos pro maleficis, cur		gratiam diuinam facere.
accipiat sermo commu-		pag. 369
nis 104		Michea 34
Mansuetudo Christi, quæ.		Miles quid imperatori, qd
pag. 390		Deo debeat 277
Marcellus episcopus 249.		Miracula 95.208.306.311.
256 259		317. 355
Marcus euangelista 174		Monachus antiquus ab
Marcus Tranquilliani filius		hoc longè diuersus 282
capite plexus 125		Monachum quid deceat. 90
Mardocheus 50		Monasterium Ordorf quan-
Margareta 225.226		do & à quo conditum. 194
Maria Magdalena 226.227		Mononymi inter apostolos
Maria mater & uirgo 58.		quot & qui 216
& 61		Mors quid 297
Martha 242.243		Mortui lintheo cur tegan-
Martinus quando mortuus.		tur 298
pag. 325		Mos Saracenorum 318
Martinus episcopus 320.		Moses. 11.12.13.14.15.19.24
321.322 323.324		& 606
Matthæus 215.273.274		Muliercularum hypodig-
Matathias 55.56		ma 19
Mathias apostolus, ex Ara-		Mygdonia quomodo Syri

D d 5

nocent	229	ritati interdictus	1
Mystica interpretatio sub-		Patientie exemplum	52
uectionis martyrum	350	Paulus & Petrus apostoli.	
N Abuchodonosor bru-		pag.	208
tum factus	45	Paulus	205.211.212.245
Naemi uiduis imitanda	22		324
Natiuitas Christi qualis	60	Pauli & Barnaba ab alijs	326
Neceſſitas durum telum.	68	ſegregatio	205
Neophytorum feſtum	195	Perfeſtum eſſe quid ſignifi-	
Neſſus centaurus	229	cet	3
Nicaſius & Eutropia	85	Peccatū quō expiatum.	363
Nicolaus	68	Perpetua & Felicitas	162
Noach	23	Petrus apoſtolus	210
O Ctodorum urbs	275	Petrus poſt diuiſionē quos	
Odilia	77	adierit	210.215.342
Odilio monachus	78	Philippus apoſtolus ubi e-	
Offerenda Deo quæ	2	uangeliū prædicarit.	168
Olibrius tyrannus	225	Philippus	166.167.168
Onus Christi quid	339	Philo hiſtoricus Petro apo	
Origenes	64.65	ſtolo conuerſatus	175
Oſualdus rex cui factis ſi-		Philoſophia Græcorū qua-	
milis	316	lis	244
P Adagogia Tobie, iuuen-		Philoſophi Chriſtianiſ in	
te legenda	53	multis præſtantioreſ	24
Pædagogicæ exēplū.	3.24.61	Pietas poſt ſe crucem tra-	
Pagani ſepulchrum Ioan-		hit	340
nis deſtruunt	208	Pij in terra impia qui	22
Palmæ martyrum, Chriſti		Pijs qui uitandi	37
triumphus	175	Pinchas	16
Papie & Mauri in tormen-		Pipinus	234
tis conſtantia	255	Pliniꝝ iudicium de Chriſtia-	
Papie obſidio	240	nis	295
Paradiſus cur Adami poſte-		Pœnitentia, correſtionis co-	
		meſ	

mes	33	Rebecca	7
Polycarpus	110.111	Remachus	204
Populi erga factos fauor	312	Remigiꝝ	107
Potēs uere qui ſui potēs	20	Reſtitutio	362
Præſecti ad Laurentiū ora-		Reſurgentiꝝ corpora qua-	
tio	263. & ſequenti	lia	298.299
Præſbyteri Chriſtianiꝝ of-		Roma ab Hunnis expugna-	
ficium	16	ta	87
Praxedis	213.224	Ruth	23
Principis contra Deum iuſ-		S Abbas	90
ſa non curanda	276	Sacerdotiꝝ conſulatibus	
Probis uiris quæ mors di-		præferendum	245
gina	303	Sacrificare liberos quibus	
Prochorus cum Ioanne in		peculiare	21
Pathmon relegatus	100	Samſon eiꝝq; fortitudo	22
Prophetæ ex inſimo euecti.		Samuel	24
	19	Sancti cur nō indigeāt com-	
	25.26	mendatione à rebus	245
Prophetæ	24.25.34.57	Sanctorum infinita millia	
Prophetæ quorum extant		tempore Nicaſii	88
monumenta	57	Sapientia humana nota eſt	
Protasius et Geruaſius.	204.	erroris	379
&	205	Saporis legatio ad Cyria-	
Pudore dignum uere	247	cum	254
Puerperæ quō ſaluatur	1	Saporis uerba	255
Pulcheria auguſta	334	Sara	4.7
Pyrgita uirgo	119	Saturninus	250.252
Q Vadrageſima martyres.		Satyruſ & Arcadius	114
	153		
	155.156	Saxonum uincuntur à Thu-	
Quintianus	319.320	ringis	193
Quirinus	162	Saxonum aſidua bella.	241
R Abanus abbas	203	Saxonie ſitus & magnitu-	
Radegundis regina.	334	do, idololatria	241
Rahab	18	Sebaſtianuſ	

Sebastianus	123.125	T Abula marmorea in sar-	
Sedes Episcopales quare		cophago Agathæ re-	
sunt metropoles	198	perta quid prætendat. pa-	
Sepeliētium cadavera præ-		gina	137
mia	299	Tecla et Leba fœminæ ad	
Sepulchra cur extruantur.		munus concionandi uo-	
pag.	298	cantur	193
Sermo mollis iram frangit.		Tertulianus	102
pag.	8	Thebæ urbs	274
Seruorum piorum forma.		Thebana legio	275.276.
5	7	☞	277
Simon Zelotes	294	Theodorus	116
Simon quare Cananeus di-		Theophilus	122
ctus	216	Thesauri ecclesiæ qui sint.	
Simplicius et Faustinus.	224	pag.	262
☞	225	Thesauris quo pacto uten-	
Sisimius ad Maximianū re-		dum	263
sponsum	250.251.252	Thomas apostolus	92.215
Sixtus	262	Thuringi uincūt Saxones.	
Smaragdus	249	pag.	193
Sodomæ subuersio	5	Tiberius imperator Chri-	
Sole uita	203	stianus	316
Solomon physicus et pe-		Tiburtij historia	222.337.
titio	32	☞	340
Sophia uxor Iustiniani.	316	Timotheus	115
Susanna	54	Titus	115
Soteris	245	Tobias	52.53.299
Stephanus protomartyr.		Traianus Caesar	294
93	95	Traionis pietas	249
Sturmis abbas quæ coceno-		Trinonymi apostolorum,	
bia condiderit	191	quot et qui	216
Symphorosa	222	V Africies pia	39
Synagoga.	12	Valentinus	142.143.
		☞	

☞	144	Vineæ plantator Noah	3
Vedastus	141	Vindicta diuina	259
Victoris mors	277	Vlysses patiens	52
Vincentius	118.290	Vualburga uirgo	317

FINIS INDICIS.

BASILEÆ, EX OFFICI-
NA IACOBI PARCI, SVMPTI-
BVS IOANNIS OPORINI,
ANNO M. D. LVII.
MENSE AVGV-
STO.

